

15
15



Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. X.

D. SALOMONIS DEYLINGI OBSERVATIONUM SACRARUM


PARS PRIMA,

IN QUA MULTA SCRIPTURÆ VETERIS AC NOVI TESTAMENTI DUBIA VEXATA SOLVUNTUR, LOCA DIFFICILIORA EX ANTIQUITATE, ET VARIÆ DOCTRINÆ APPARATU, ILLUSTRANTUR, ATQUE AB AUDACI RECENTIORUM CRITICORUM DEPRAVATIONE SOLIDÈ VINDICANTUR.

APPENDICIS LOCO ACCESSIT ORATIO DE INGENIO ISRAELITARUM ÆGYPTIACORUM.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR, AC TERTIA PARTE AUCTIOR.








LIPSIÆ,

Sumptibus HEREDUM FRID. LANCKISII,

ANNO MDCCXX.



PRÆFATIO.

Um diſſipatis mearum Obſervationum exemplis Bibliopola novam moliretur editionem, jure abs me poſtulavit, ut opus univerſum denuo recenſerem, &, ſi quid in promptu haberem, quod ad emendationem, & ampliorem nonnullorum capitum illuſtrationem utile videretur, cum eo communicarem. Cui officio eo minus volui deeſſe, quo magis ex repentina voluminum diſtractione, & indiciis aliis intellexi, hanc meam qualemcunque operam L. B. non diſplicuiſſe. Siſto igitur novam primi faſciculi editionem, plurimis

mendis expurgatam, & tertia parte auctiorem. Non pauca hic invenies divinioris codicis loca intellectu difficiliora, aut graviora sacræ doctrinæ quæsita, solide enucleata, vindicata, & ex variæ doctrinæ apparatu, fontibus ubique monstratis, illustrata. Quæ, etsi in priori editione non exstabant, lectu tamen visa sunt digna, nec temere prætermittenda. Quo referri velim Cheruborum constitutionem ad custodiendum Paradisi aditum, a profanis hominibus derisam, illustrationem vaticinii, quo Esavus, fratrum natu major, serviturus dicitur Jacobo, miraculosam item solis ac lunæ stationem a Josua imperatam, quam recentiores quidam scriptores valde solicitarunt, & in iniquiorem sensum rapuerunt, nec non corvos Eliæ nutritores, aliaque capita, inpræsens non enumeranda. Nonnulla prioris editionis argumenta, circa quæ Viri quidam eruditi a me dissentiunt, ita explicavi & temperavi, ut iis satisfactum iri confidam. Sæpe, rei

magis

magis illuſtrandæ ac confirmandæ cauſſa, nova ex antiquitate attuli præſidia. Eo imprimis pertinet ſingularis & oppido rarus Conſtantini M. nummus in Tabula ænea figura 5. exhibitus, cujus caput ambit nimbus. Tropæum cruciforme perinde ac figura 1. & 2. pertinet ad illuſtrandum Capitis XXXIX. Paragraphum IIX. Sed globo, quem Conſtantinus manu tenet, notatur orbis imperium. Pilam enim in ſigno conſtituiſſe fertur Auguſtus, teſte Iſidoro, propter nationes ſibi in cuncto orbe ſubjectas. Ab illo tempore figura orbis, veluti ſymbolo, ſignificarunt Imperatores Romani, ſe univerſi terrarum orbis imperium adeptos eſſe. Idem declarant Caracallæ, Didii Juliani, Elagabali, aliorumque nummi a Mediobarbo & aliis exhibiti, in quibus Imperatores globum manu geſtant, adſcriptis verbis: RECTOR ORBIS, noſque ita confirmant, ut de errore Peireſcii Cap. LIV. notato nullus dubitandi locus ſuperſit.

In quibus omnibus pertractandis ita me versatum esse puto, ut veritatis amorem, candorem, ac modestiam æquus harum rerum existimator nusquam sit desideraturus. Jucundis præterea exemplis & claris rerum argumentis excitare volui Theologiæ cultores, ut quantum spatium in sacris studiis sibi emetiendum, quibusque literis animus imbuendus, mature intelligant, ac discant, quantam utilitatem præstent elegantiores literæ, quæ a multis ingenti cum dedecore ac detrimento negliguntur. Islebiæ die X. Calendas Octobr. M. DCC XX.

INDEX


Fig. 1.
S.P.Q.R.





Fig. 2.


Fig. 5


Fig. 3


Fig. 4.

INDEX OBSERVATIONUM *PARTIS PRIMAE.*

cessisse. Negatur Deum, quando Genes. IX. dixit, se arcum suum in nubibus positurum esse, erroneæ vulgi opinioni se accommodasse, sicut Sturmius, aliique sunt opinati.

IX.

Circa locum Dan quousque Abrahamus hostes persecutus dicitur Genes. XIV, 4. Spinoza, Jo. Clericus, & H. Witsius notantur, ac locus ab interpolationis suspicione liberatur.

X.

De vocibus אל שדי disputatur, & in earum originem ac significationem inquiritur.

XI.

Agitur de Saræ nonagenariæ pulcritudine ex Genes. XX, 2. & an formæ elegantia Regem Abimelechum in amorem pentraxerit quæritur. Refellitur R. Simonius, qui difficultatem ex confuso, turbatoque veterum voluminum ordine solvere conatus est. Ostenditur denique, historiam hanc secundum temporis & rei gestæ ordinem a Mose descriptam, suoque loco insertam esse.

XII.

Sensus verborum Genes. XXV, 23. *major serviet minori* genuinus, collatis aliis locis Malach. I, 3. & Rom. IX, 13. eruitur, & contra Jo. Marckium vindicatur, evidenterque monstrarur, sub his verbis nequaquam latere mysterium de Jacobi æterna electione ad vitam, & Esavi reprobatione ad mortem.

XIII.

Jobabum, cujus fit mentio Genes. XXXVI, 33. diversum esse ab Hiobo probatur ex diversa utriusque vocis origine, & circumstantiarum varietate. Erroris origo ex lacinia illa LXX. virali versioni ad calcem Jobi adsuta derivatur.

XIV.

Vindicatur locus Gen. XXXVII, 14. quem post Spinozam, Simonium & Clericum H. Witsius a seriore manu textui intrusum esse opinatur.

XV.

Vaticinium Jacobi de Beniamine lupo Genes. XLIX, 27. enucleatur, & de Apostolo Paullo intelligendum esse, docetur.

XVI.

Cum annis quadringentis & triginta, quibus Israelitarum servitus in Ægypto definitur Exodi XII, 40. 41. conciliatur prædictio divina Genes. XV, 13. 14. quæ repetitur a Stephano Act. VII, 6. Locum in mendo non cubare, nec ad versionis LXX. viralis græcæ, nec ad Samaritani interpretis fidem refingi debere, ostenditur.

XVII.

INDEX OBSERVATIONUM.

Quo

Quo tandem ſenſu Jeremias mendaces ac ſuperſtitioſos gentilium vates eo nomine appellavit, declaratur.

XXXVII.

Verba Jerem. XLIX, 38. *& ponam ſolium meum in Elam &c.* ex pervetuſto Ebræorum, Græcorum, ac Romanorum more illuſtrantur.

XXXVIII.

Lamentatio Hieroſolymæ a Chaldæis exciſæ Thren. I, 12. & 18. nec non Jerem. LI, 8. ex antiquis Chaldæorum ritibus illuſtratur.

XXXIX.

תו illud Ezech. IX, 14. contra Baronium atque Huetium non de litera Thau, ſed de certo ſigno exponitur. Signum crucis nec apud Judæos, nec apud gentiles ſalutis inſigne fuiſſe probatur, quamvis utrisque perquam fuerit uſitatum.

XL.

Disquiritur de loco Matth. II, 23. atque oſtenditur, quo ſenſu & in quo Scripturæ Vet. Teſt. loco Chriſtus a Prophetis appellatus fuerit Nazarenus?

XLI.

Sal terræ Matth. V, 13. & Lucæ XIV, 34. ex agricultura explicatur.

XLII.

De publicanis agitur ad Matth. IX, 10. & ratio redditur ex antiquis auctoribus, cur cum peccatoribus conjungantur.

XLIII.

Vexatisſimus locus Matth. XXVII, 9. de Jeſu triginta argenteis vendito, examinatur, collatisque optimorum interpretum opinionibus, Grotii ſententia reliquis præfertur, & confirmatur.

XLIV.

Præmia Chriſti diſcipulis ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ conferenda Matth. XIX, 28. exponuntur, & Herm. Alexander Roëll, aliique refelluntur.

XLV.

Quam miraculoſa fuerit veli ſciſſio Matth. XXVII, 51. quando ruptum ſit, & quid ſciſſio illa ſignificaverit ex Ebræorum monimentis deſcribitur.

XLVI.

Explicatur, quo ſenſu apud Marcum dicatur Cap. VI, 5. Chriſtum nulla miracula Nazarethæ patrare potuiſſe? Servatoris auctoritas contra Lucilii Vanini objectiones vindicatur.

convincitur, doceturque, quid ac quotuplex missa fuerit in veteri Ecclesia. Peirescii error de missatici sacrificii antiquitate ex nummo minus recte inspecto, detegitur. Grabius notatur.

LV.

Quando Actorum Capite XXVII, 40. πηδάλια memorantur, nulla admittitur enallage numeri, sed luculentis veterum auctorum testimoniis monstratur, naves apud veteres duo gubernacula habuisse.

LVI.

Paulli Apostoli in insulam Meliten ejecti miraculum, & Melitensium judicium ex Act. XXVIII, 1-6. exponitur & illustratur.

LVII.

Vexatissimus locus de creatura gemebunda, Rom. VIII, 19. sub examen vocatur. Potiores veterum æque ac recentiorum interpretandi rationes adferuntur, & examinantur. Nostra tandem subjungitur, & argumentis e textu sumtis probatur.

LVIII.

Quid Paullo sit: ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνεῖν, Rom. XII, 13. explicatur, vulgaris lectio defenditur, & Henr. Valesius, aliique, qui pro voce χρείαις legerunt μνείαις, & de memoriis sanctorum interpretati sunt, refelluntur. Veterum Christianorum liberalitas erga pauperes laudatur.

LIX.

Disquiritur, an ex verbis: τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη, I. Corinth. V, 7. probari possit, agnum paschalem sacrificium proprie dictum fuisse? Dorschens, & Seb. Schmidius cum Danhauero, aliisque Theologis conciliantur.

LX.

Locus I. Cor. IX, 27. a depravatione Pontificiorum vindicatur, ostensaque spontaneæ flagellationis origine ostenditur, quid ὑπωπιάζειν notet apud Græcos, ac quo sensu hypopiasmus Paullinus accipiendus sit?

LXI.

Occasione loci I. Cor. X, 16. cujus puritas ex Græce loquentium consuetudine defenditur, monstrosum Pontificiæ Transsubstantiationis dogma novis argumentis refellitur, & Cartesii, Maignani ac Rohaultii exemplo ostenditur, nullum Pontificium Cartesianis placitis addictum, illud admittere aut defendere posse. Et cum recentiores nonnulli ex Pontificiis ad tuendum illud confugere soleant ad disciplinam arcani in Vet. Ecclesia sancitam, de origine ejus ac duratione contra Schelstratium, Ant. Pagium & Nat. Alexandrum ex Historia Ecclesiastica agitur.

INDEX OBSERVATIONUM.

LXII.

Quando mulier ἐξουσίαν ἔχουσα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, 1. Cor. XI, 10. memoratur, exponitur id de *potestate & dominio in capite*, hoc est, in marito agnoscenda, rejecta *velaminis* notione.

LXIII.

Paulli Apostoli θηριομαχία 1. Cor. XV, 32. producitur, & explicata vocis significatione, ritusque inhumanitate, tralate de adversariis praeferocis ingenii, cum quibus ipsi, quoad Ephesi vixit, confligendum fuit, exponi debere, ex temporum ratione demonstratur.

LXIV.

Differitur de discrimine personarum in Novo Test. per Christum sublato, & verba Paulli Gal. III, 28. 29. 30. ex Ebraeorum ritibus & sacris exponuntur.

LXV.

Investigatur ratio, Jac. Altingio praeeunte, cur Christus pro nobis in mortem traditus, θυσία εἰς ὀσμὴν εὐωδίας oblata, Ephes. V, 2. dicatur.

LXVI.

De interpungendi ratione ac sensu celeberrimi loci 1. Tim. III, 15. agitur. Rationes cur, & unde Ecclesia στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας dicatur, adferuntur, ac quis verborum sensus sit, declaratur.

LXVII.

Examinatur locus 1. Petr. III, 21. & disquiritur, quo sensu baptismus per foedus bonae conscientiae cum Deo ab Apostolo definiatur? Missa sententia eruditi cujusdam viri, quae in Vesperis Gröninganis exstat, item Seb. Schmidii atque Heinsii, ἐπερώτημα secundum fori sensum, & ex JCtis Graecis exponitur.

LXVIII.


Ex Ebraeorum sacris lux adfunditur loco Ebr. III, 1. 2. in quo Christus dicitur Apostolus & Summus Novi Test. Pontifex.

LXIX.

Ἔγγυος κρείττονος διαθήκης Ebr. VII, 22. quo sensu Christus vocetur? Inde probari non potest, quod Christus in Vet. Test. nudus fuerit fidejussor. Coccejani refelluntur.

LXX.

Ostenditur ἀστέρας πλανήτας in Epistola Judae, *versu 13.* perinde ac apud Graecos Astronomos, stellas coeli erraticas esse, non ignes fatuos, ut nonnulli putant. Planetarum ordo, numerus & habitudo ex recentiorum Astronomorum conjecturis describitur, ac indicatur, quam similes eis sint falsi Ecclesiae Doctores.



OBSERVATIONUM SACRARUM PRIMA
DE
VATICINIORUM IN GENTE EBRAEA ORIGINE.

§. I.



Ulla in re magis τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ observantur, quam in illa profanorum quorundam hominum opinione, qua vatibus in populo Ebræo constitutis mentem Divinam revelatam esse, eosque Divino afflatu excitatos scripsisse, impie & peraudacter negant. Primo enim divinandi facultatem homini naturalem esse fingunt, contenduntque, Prophetis, qui Divino Spiritu dicuntur acti, 2 Petr. I, 21. non alia ratione mentem DEI revelatam esse, quam

 illa

illa, quæ naturalis eſt, atque iis omnibus conſveta ac trita, qui varia rerum divinarum humanarumque cognitione animum imbuere laborant. Medium hoc RATIOCINATIO pervulgata notione appellatur. Vid. WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist P. II p. m. 125.*

§. II. Hoc enim Ebræis in more maxime poſitum fuiſſe ajunt, ut res magnas & extraordinarias adjecto DEI nomine deſcriberent, quod exemplorum inductione de *monte DEI*, *urbe DEI*, *flamma DEI*, *ſomno DEI & ſexcentis aliis* probant. Exinde colligunt, VIROS DEI, quorum mentio in Scripturis fit, non eſſe homines divinitus afflatos, ut vulgo putatur, ſed viros ingenio doctrinaque præſtantes, quos Græci æque ac Latini DIVINOS appellent. *DEI* item *Spiritum*, quem habere dicuntur, non niſi excellentem & divinum mentis habitum notare contendunt, cum evidentis perinde ac confeſſæ ſit veritatis, רוח *mentem* ſæpe ſignificare. Nec tamen inficiantur, Judæos, qui iſtis loquendi formulis frequenter uſi ſunt, opinatos eſſe, ſuorum Prophetarum vaticinia immediate a DEI Spiritu proceſſiſſe. At vero hanc ipſam opinionem abſonam ineptamque eſſe vociferantur, quæ non niſi profundæ rerum naturalium ignorantiæ, craſſæque ſtultiſſimæ gentis ſuperſtitioni debeatur, qua Judæi inducti ad DEum ſtatim retulerint, quod rectius ad innatam quandam animi vim retuliſſent, cujus beneficio aliquis futura æque præcognoſcere, ac præteritorum recordari poſſit. Hæc opinio apud PLUTARCHUM *in Libro de oraculorum defectu* argumentis aliquot propugnatur, quam fuſius expoſuit & acrius urſit PETRUS PETITUS, Philoſophus & Medicus Pariſienſis *de Sybillis* Libro I. cap IIX. Fortiori phantaſiæ atque imaginationi vim *μαντικὴν* tribuit THOMAS HYDEUS de *Religione Veterum Perſarum p. 387. & 393.*

§. III. Impiæ huic ſententiæ ATHEI hodierni, ſeu, ut appellari malunt, DEISTÆ, non tantum ſubſcribunt, ſed amplius præterea progreſſi defendunt, magnam in cienda vaticinandi facultate ingenii ac temperamenti vim eſſe. Nam quo plus atræ bilis in corpore congeſtum, quo vividior etiam imaginatio fit, hoc ſæpius, hoc felicius, vaticinia pro temperamenti ratione variantia edi affirmant. Aſſertionem P. PETITUS cap. XI. Libri citati Moſis atque Eliæ exemplis probat, quos ita in ſacris literis depingi opinatur, ut temperamento, corporiſque habitu melancholicos fuiſſe haud difficulter intelligatur. BENEDICTUS de SPI-

NOZA

NOZA doctrinæ impietate, opinionumque absurditate Atheus percelebris, probaturus, melancholiam & vividam imaginationem necessaria Prophetarum requisita fuisse *in Tr. Theologico-Pol cap. II. p. 15.* ita philosophatur: *Prophetæ non fuerunt perfectiore mente prædíti, sed potentia vividius imaginandi. De Salomone enim constat, eum sapientia quidem, sed non dono prophetico ceteros excelluisse. Prudentissimi etiam illi, Heman, Darda, Kalchol Prophetæ non fuerunt; & contra homines rustici, & extra omnem disciplinam, imo mulierculæ etiam, ut Hagar ancilla Abrahami, dono prophetico fuerunt præditæ.* Existimat igitur SPINOZA, impurissimique ejus sectatores, prophetias fuisse nihil aliud, quam hominum fanaticorum & melancholicorum phantasmata, ineptasque imaginationes, iis sive vigilantibus, sive dormientibus objectas, & Scripturam viros sapientes, quales præter Salomonem HEMAN, 1. Chron. VII, v. 33. DARDA, KALCHAL, ETHAN, 1 Reg IV, v. 31. fuerunt, non facere Prophetas, hanc ob causam, quod eorum prudentia phantasiæ ludibriis non reliquerit locum. Contra vero rudem rusticorum pastorumque plebem, ac infirmas mulierculas vaticinandi dono ornatas repræsentari, manifesto scilicet indicio & argumento, ex sola vivida imaginatione, & atræ bilis abundantia divinum illud prophetandi donum gigni. Idcirco etiam asserit SPINOZA ex libris Prophetarum nec rerum naturalium, nec spiritualium cognitionem hauriri posse, cum simplex imaginatio non involvat e sua natura certitudinem, quia a sola imaginatione seu objectione imaginum, tunc forte extra phantasiam non existentium, intellectui facta, pendebat. Vid. JOH. HENR. HEIDEGGERI, *Exercitat. Bibl.* Tom. I. Diss. X. § XXXI. p. 308. 309. CHRIST. KORTHOLTUS *de Tribus impostoribus p. 83. & 84.* & JACOBUS BASNAGIUS *in Histoire des Juifs T. III. L. IV. p. m. 268. §. XII.*

§. IV. Cujus detestabilis opinionis veritatem exinde etiam intelligi probarique posse SPINOZA l. c. p. 18 & 19. putat, quod pro affectuum diversitate ipsa etiam Prophetarum vaticinia fuerint diversa. Nempe, si Prophetæ erant hilares, eis revelatas fuisse victorias, pacem, & quæ porro homines ad lætitiam movent: si tristes erant, bella eis, supplicia, & quævis mala revelata fuisse. Potuisse etiam Prophetantium affectus Musica excitari, ut lætiora prædicerent. Hoc probat imprimis ex illo casu Elisæ 2 Reg. III. v. 14. qui, ut Joramo prophetaret, organum musicum petiit, nec antea

DEI mentem percepit, quam musica excitatus dispositusque esset. Hoc autem facto Vatem læta Joramo prædixisse, quod antea facere non poterat, quia iratus erat. Iratos equidem aptos credit SPINOZA ad mala & tristia, non æque vero ad bona & læta imaginanda atque prædicenda.

§. V. Recensuimus hactenus bona fide Deistarum opinionem circa prophetias, allatis simul eorum argumentis, quibus moti confirmatique, tam impie de Divinis vaticiniis sentiunt, & loquuntur. Sed cum omnibus piis talia opinionum monstra detestamur, dignissimaque judicamus, quæ cum exsecrandis Auctoribus suis igne infernali exurantur. Nunc ordo, quo semper usuri sumus, postulat, ut Doctissimorum virorum vestigiis insistamus, opinionem cum allatis rationibus confutemus, veritatemque divinitus perclementer patefactam ad salutem hominum, defendamus, & ab illatis profanorum injuriis vindicemus.

§. VI. Ante omnia inficiamur, divinandi facultatem menti humanæ ex se & sua natura inesse, qua res futuras fortuitas prævidere ac prædicere possit. Quidquid enim homo certo futurum esse præscit, id ex rerum causis prævideat, necesse est. Sed cum ejusmodi causæ in arcanis DEI consiliis absconditæ lateant, quæ nulli mortalium explorata perspectaque sunt, patet simul hoc, quod nemo res, casu ac fortuito futuras, prævidere ac prædicere possit, nisi id habeat ex Divina & immediata revelatione. Ita existimarunt omnis ævi Sapientes, HESIODUS, SOCRATES, CELSUS Philosophus apud ORIGENEM, aliique, sicut id ostendunt H. WITSIUS Tom. I. Miscell cap. VII. Libri primi §. VII. p. m. 54. GUILIELMUS NICHOLLSIUS, Theologus Anglus, *P. II. Collat. cum Deista* p. 143. HEIDEGGERUS in Exercit Bibl. Tom. I. Dissert. VII. §. III. p. 164. & 165. JAMBLICHUS magni inter suos nominis Philosophus egregium opus scripsit *de Mysteriis*, in quo totam fatidicam vim ad unum DEUM referendam esse, sæpius inculcat, nec segniter in eo castigat PORPHYRIUM, Præceptorem suum, quod vaticinii causam in quadam animi motione posuerit, quæ cum instabilis sit, & inordinata, vaticinium, quod constans esse debet & stabile, ex ejusmodi motione pendere non posse. Adeundus omnino legendusque est P. D HUETIUS, qui in *Dem. Ev. Axiom. IV. p. 22. & 27.* veterum Philosophorum & Poetarum consensu amplissime probavit, omnem propheticam facultatem a solo DEO esse. Nec inutiliter conferri pos-

possunt, quæ NIC. GURTLERUS cap. VI. *Systém. Theologiæ Propheticæ* contra AMMIANUM MARCELLINUM, qui Libro XXI. cap. 1. docuit, Solem, mundi mentem, elementis præsentiendi facultatem imprimere, ac animas humanas, quæ ejus scintillæ sint, inflammando futurorum conscias reddere: & contra PLUTARCHI de vi fatidica sententiam, qua vaticinandi facultatem homini natura inesse, ac terram præterea halitus ad divinandum aptos eructare existimavit, erudite pariter ac eleganter disputavit. Conf. *Acta Er. Lips. 1703. p. 99.*

§. VII. Objiciunt nobis, viros DEI, quo nomine Prophetæ in Scripturis veniunt, non esse homines divinitus inspiratos, sed viros ingenii dotibus excellentes, doctrinaque præstantes, quemadmodum Platonem eandem ob causam DIVINUM appellari constat. Ad hoc respondetur primo, quod Prophetæ in Scripturis rarius viri DEI appellentur. Sæpius ejusmodi vocantur nominibus, quæ peculiare aliquod cum DEO commercium innuunt. Deinde ipsa hæc denominatio donum supernaturalis revelationis in Prophetis supponit. Provocamus ad 1 Reg. XVII. v. 24. ubi mulier, filium ab Elia e morte suscitatum videns, ait, עתה זה ידעתי כי איש אלהים אתה ודבר יהוה בפיך אמת *hoc nunc scio, quod vir DEI es, & verbum DEI in ore tuo veritas.* Ergo h. l. איש אלהים is est, qui verbum DEI immediate sibi revelatum in ore habet, munerisque Prophetici veritatem miraculis, divinitus ea efficiendi concessa facultate, confirmat. Eadem Eliæ de hoc titulo mens est 1 Reg. I, v. 10. *Si igitur ego* VIR DEI *sum, descendat ignis de cœlo,* &c. quod ad dona extraordinaria, & ad extraordinariam vocationem pertinet, ut recte arbitratur JAC. GUSSETIUS, Theologus Grœningensis, in Commentariis Linguæ Ebraicæ Amstelod A. 1702. editis. f. 64. Quæ tandem ab adversariis de רוח אלהים *Spiritu DEI* objiciuntur dubia, vana itidem sunt, solutuque facillima. Luculenta enim Scripturæ loca exstant, in quibus non mentis excellentia, sed revelatio divina per Spiritum DEI manifeste indicatur, Gen. XLI, v. 38. Num. XXVII, v. 18. Es. LIX, v. 21. Ez. XI, v. 5.

§. IIX. Falsum est, melancholiam dispositionem esse ad prophetiam, eandemque perinde ac vividiorem imaginationem ad divinandi facultatem necessario requiri. Nam mens læta & alacris ad recipiendam divinam revelationem non minus est accommodata, quam tristis, rebusque adversis depressa. Rem omnem

 solo

ſolo Davidis exemplo confirmabo, quem ſangvinei temperamenti hominem fuiſſe, ex Scripturis abunde conſtat. Nec facile eo inducar, ut credam, Hemanem, Aſſaphum, ſimilesque Muſicæ præfectos, & vaticinandi facultate præditos, atque ob tot confectos hymnos celebres, melancholicos fuiſſe. Perinjurius in Moſen eſt P. PETITUS, qui virum ſummum, regendoque populo, multitudine innumerabili, non imparem, *atrabiliarium* fuiſſe exinde ſuſpicatur, quod oves Iethronis ſoceri ſui in deſertis pavit, & tarde difficulterque fuit locutus, ac quadraginta tandem dies absque cibo in monte Sina permanſit incolumis, quæ omnia pro manifeſtis indiciis habet, atram bilem in Moſe valde abundaſſe. Neceſſe non eſt, ut ratiocinationis hujus impietatem juxta ac abſurditatem detegam, & prolixe refellam. Res per ſe concidit, quando præſertim cogitamus, Moſis ſcripta nullas melancholiæ notas habere. Videatur W. NICHOLLSIUS *l. c. p. m. 145. 146.*

§. IX. Pari temeritate Elias melancholicis adnumeratur, *primo* ob vitæ ſolitariæ amorem, dum libenter juxta torrentes, & in ignotis montibus habitavit; *Deinde* etiam ob corporis habitum, qui 2 Reg. I, v. 8. deſcribitur, nec obſcurum melancholiæ ſignum PETITO videtur. Quis enim ignorat, Eliam ad effugiendum hoſtium furorem, divinoque mandato 1 Reg. XVII, v. 3. in ſolitudine vixiſſe, & in locis ab hominum commercio remotis? Quando autem II. Reg I, v. 8. איש בעל שער *Dominus pili* ſive *vir piloſus* dicitur, referri id debet ad veſtitum, quia Prophetæ olim villoſis veſtibus induti incedebant, Zach. XIII, v. 4. Vid. JO. BRAUNIUS *de Veſtitu Sacerd. Hebr. L. I. Cap. IV. p. m. 70. & 75.*

§. X. Sapientiam cum dono prophetandi conſiſtere poſſe, variis demonſtrari poteſt exemplis. Moſes Prophetarum princeps inſtitutus fuit in omni ſapientia Ægyptiorum. Nathan, Eſaias ac Daniel in Regum aulis educati, & in omni doctrinæ genere eruditi, magni ac perilluſtres Vates exſtiterunt. Falſum præterea eſt, quod ait Spinoza, Salomonem Regem ſapientiſſimum Prophetam non fuiſſe. Certe bis ei ſe revelavit DEus. Nec Hemanum ſapientia impedivit, quo minus Propheta eſſet, & in eorum ordinem referretur. 1 Chron. XXVI, v. 5.

§. XI. Tandem nec ab affectibus Vatum viſiones pependiſſe, DANIELIS exemplum docet, qui in ſummo luctu conſtitutus, lætiſſimam de Meſſiæ adventu promiſſionem a Gabriele accepit, Dan. IX, v. 20. quod profecto fieri haut potuiſſet, ſi, quod

SPIN-

SPINOZA audacter affirmat, pro temperamenti varietate vaticinia semper variassent. Sic enim tristibus non nisi tristia, lætis non nisi læta, & iracundis nonnisi minæ revelatæ essent, quod tamen secus est. Nonne MOSES, mitissimæ vir indolis, fulminibus, minis, dirissimisque imprecationibus, in effrenatum, durumque populum suum aliquoties detonuit? Nonne ESAIAS læta æque ac tristia prædixit? JEREMIAS certe cum ob afflictas collapsasque patriæ res in luctu ac squalore esset, felicem lætissimumque civium suorum reditum e Babylonia non minus prædixit, ac ipsam deportationem descripsit. Hæc omnia gravissimi erroris ac detestabilis impietatis SPINOZAM convincunt, nec ullum, nisi apud Atheos, Reipublicæ pestes, inveniunt applausum. Vid. H. WITSIUS *in Tom. prior. Miscell L. I. cap IX.* & WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist.* Part.II.p.m.154.

II.
DE MOSE, PENTATEUCHI AUCTORE.

§. I.

ETsi multos jam sua ætate extitisse testatur Eusebius *de vita Constant. M. L. I. cap. XII.* qui Mosis historiam μύθε σχήματι παραδεδομένην falsam & belle excogitatam esse credebant, nunquam tamen de genuino Pentateuchi auctore majori ardore ac argumentorum numero, dimicatum fuit, quam superiori seculo factum esse recordamur.

§. II. Nihil impræsens dicam de injuriis, quas vel olim JULIANUS Apostata, vel nostro tempore impudentissimi verbi Divini irrisores contra Mosaicam historiam, atque veritatem descripti diluvii, ac creationis universi, miraculorumque fidem, nequiter evomuerunt. Horum enim quodlibet suo tempori ac loco reservabo, & quoad fieri poterit, confutabo. Nunc de eo duntaxat solicitus ero, & exquiram, utrum Pentateuchus Mosi, cujus nomen præfert, tanquam auctori secundario recte adscribatur, necne.

§. III Nam famosus ille fabulæ Præadamiticæ assertor IS. PEIRERIUS periisse fingit illos libros ac fastos, quos Moses conscripserat, & in quibus fuse enarraverat Judæorum suorum originem

ginem atque fata, ab Adamo inde, sangvinis Judaici auctore, ad sua usque tempora. Nobis autem illorum monumentorum non nisi excerpta quædam, tumultuarie collecta supereſſe opinatur. Videatur *Syſtema Præadamiticum*, perniciosum opus *Libr. IV. cap. I.* cujus virus ſalubri pœnitentia Auctor non eluit, uti de ipso HUETIUS *in Dem. Ev. Prop. IV. cap. XIV. p. 298.* liberaliter prædicavit, ſed potius auxit, poſtquam, ſi non ſponte ſua, certe tædio carcerum, quibus Bruxellis mancipatus erat, deſertis Reformatorum ſacris ad Pontificios defecit. Vid. HEIDEGGERI *Exercit. Biblicæ Tom. I. Diſſert. IX.* §. *XVII. p. 260.* Extat de PEIRERIO *Epiſtola ad Philotimum*, qua exponit rationes, propter quas ejuraverit ſectam Calvini, & Librum de Præ-Adamitis, *Francofurti* 1658. in 4. in qua ſuſpicio noſtra non obſcure confirmatur.

§. IV. TH. HOBBESIUS, quem SALDENUS *audaciſſimum & impudentiſſimum Philoſophorum omnium hujus ætatis* merito vocat *Otiorum Theol.* p. 399 Moſis libros ſic dictos contendit, non ab Auctore, & quod a Moſe ſcripti ſint, ſed quod de Moſe agant; quamvis non diffiteatur, ſcripſiſſe forte Moſen Librum legis, qui in Devteronomio contineatur a cap. XI. usque ad caput XXIIX. Vid. ejus *Leviathan P. III. cap. XXXIII.* Nec mirum, Hobbeſium in hac opinione eſſe, qui l. c. codicem ſacrum pro meris laciniis & ἀποσπάσμασι ſcriptorum Divinorum venditat, quæ tumultuaria, neſcio cujus demum auctoris, opera, fuerint congeſta.

§. V. Quam impiam ac deteſtabilem plane philoſophandi libertatem affectatus ſit BENEDICTUS DE SPINOZA *in Tractatu Theologico-Polit.* a nemine ignoratur. Quemadmodum homo iſte omnia & ſolidæ pietatis, & ſinceræ Theologiæ, & totius Chriſtianiſmi fundamenta convellit, ac ubique eo inclinat, ut exitialem, ac peſtiferam, & nimis hac ætate contagioſam Deiſtarum hæreſin tueatur, quod P. D. HUETII eſt judicium l. c. ita argumentis, ab Aben-Eſra & Præ-Adamitarum conditore, ſubminiſtratis, aliisque venenis undique collectis, cap. IIX. contra Moſem acerrime diſputat, atque contendit, omnes, quos in Sacro codice invenimus Libros hiſtoricos, res ante Esdræ ætatem geſtas narrantes, unum eundemque habere Auctorem, quem Esdram fuiſſe temere ac nulla idonea ratione niſus, affirmat. Si ex SPINOZA quæris: cur tota retro antiquitas, qua meliorum partium fuit, Moſi hos Libros communi conſenſu adſcripſerit, & unde nomen Moſis a prima ſtatim eorum origine acceſſerit? reſpondet eodem

fere,

fere, quo HOBBESIUS modo, *forte Esdram primos quinque Libros suos nomine Mosis vocavisse, quia in iis præcipue ejus vita continetur, nomine desumto a parte potiori.*

§. VI. Hos excepit RICHARDUS SIMONIUS, Presbyter Oratorii in Gallia, Criticus itidem audacissimus, qui Mosi in Pentateucho nihil reliquit, præter leges & constitutiones. Itaque historia creationis, diluvii, uno verbo, Liber primus, quem Genesin vocant, & maxima secundi Pars ac quidquid pertinet ad historiam in sequentibus Libris Pentateuchi, non sunt Mosis. Diversa tamen a Spinoza, quem confutare molitur, incedit via. Prophetas videlicet sive scribas publicos commentus est, ab ipso Mose constitutos, secundum laudabilem, quem in aula Pharaonis degens, deprehenderat Ægyptiorum morem. Horum munus fuisse ait, commentarios conficere, & in his negotia publica, & quidquid memoratu dignum, in gente Ebræa contingeret, consignare. Iisdem etiam licuisse putat, Libros Sacros ex arbitrio in certam formam redigere, addere iisdem aliquid, aut detrahere, prouti commodum fuerit visum. Tradit porro, ex prolixis horum scribarum voluminibus, illa scripta Sacra, quæ in præsentem diem possidemus, compilata esse, cumque id a variis factum sit, hinc contigisse contendit, quod tam crebrae, tam otiosæ, ac odiosæ adeo repetitiones occurrant, & quod turbatus historiæ nexus sibi non ubivis respondeat. Capite V. sigillatim Hist. Crit. V. T. Libr. 1 pugnat, Mosen Pentateuchi Auctorem non esse, sed evincere conatur, scribas quosdam publicos ex antiquis Ebræorum annalibus Pentateuchum eduxisse, & in eam formam, qua nunc apparet redegisse. Vid EZ. SPANHEIMIUS *in Epistola ad amicum de Critica V. Test. Simonii p 26.*

§. VII Restat Theologorum quorundam Hollandiæ opinio, quæ *in Judiciis* eorum, Gallico sermone, contra famosam Rich. Simonii Criticam V. T. editis, exstat. Quinam sub illorum Theologorum nomine lateant, non scrutabor impræsens. R. SIMONIUS in responso, ea judicia *Triumviris* Socinianis tribuit, quorum duo Amstelodami degant in Hollandia, tertius autem sit minister Charentonensis. Sigillatim JO CLERICI, literarum Ebræarum apud Amstelodamenses Professoris, secta Arminiani, maximas in formandis, omnes in publicandis illis judiciis partes fuisse existimat. Vid. *Acta Er. Lips. 1686. p. 439 & 440* H. WITSIUS *Tom. I. Miscell Libr. I. cap. XIV.* §. *VII. p. 106.* In illo libro, Scribæ equidem Simonii ridentur, doceturque, illam hypothesin,

B non

non nisi ex aliquot Scriptoribus subleſtæ fidei obtruſam eſſe, ſed Pentateuchus tamen, peſſimo SIMONII exemplo, Moſi abrogatur, quicquid ſit de Chriſti, Apoſtolorumque vulgari opinioni accommodatis allegationibus. Congeſta ibi videas larga e Pentateucho loca, quæ Moſis non modo excedant tempora, verum antevertant quoque. Aſſertur præterea & laudatur amici conjectura, qui neſcio cui ſacrificulo Samaritano Pentateuchum adſcribit. SALOMON van TILL hujus ſententiæ Auctorem facit NOALLIUM de VERSE *in Atrio gentium omnibus infidelibus aperto*, P. III. p. 193. Res nova & antea inaudita a Novatoribus illis ita proponitur: *Probabile eſt Pentateuchum eſſe compoſitum eo tempore, quo veteres Judæorum characteres, quibus primum ſcriptus eſt. notiores erant novitiis, quos in captivitate Babylonica adoptaverant, & ab eo Auctore, qui neque Samaritanis, neque Judæis eſſet ſuſpectus atque e cujus manu utrique eum haud illubenter ſuſciperent. Omnia hæc concurrunt in Sacerdote iſthoc Iſraelitico e Babylonia miſſo, ut novos Palæſtinæ incolas edoceret ritum, quo regionis iſtius DEUS amabat coli 2 Reg. XVII, 24.* Vid. *ipſa Judicia p. 128.* Annum, quo hæc facta ſint, determinare vix audet Auctor, niſi, quod poſt decimum octavum regni Joſiæ contigiſſe id illi videatur, quo anno liber legis inventus fuit, ſiue quo extremam manum operi ſuo imponere Sacerdos iſte Bethelanus non potuiſſet.

§. IIX. Prodiit paulo poſt JO. CLERICI commentarius in Moſis Prophetæ Librum primum. Illi præfixæ ſunt Diſſertationes tres, in quarum tertia, cui titulum fecit *de ſcriptore Pentateuchi Moſe*, mutato conſilio, communem ſententiam propugnat. Ut igitur obtineat, Pentateuchum Moſis eſſe opus, obſervat, tria rerum genera in eo legi. *Primum* eſt rerum ante Moſen natum, aut ſaltim adultum geſtarum, qualem hiſtoriam integer Liber Geneſeos & Exodi initium comprehendit. In hiſce nihil eſſe contendit, ſi pauca quædam excipias loca, quod per ſe Moſem ſcriptorem reſpuat. Saltim inter eruditos diſceptari, *unde hæc hauſerit omnia Moſes? Alterum* genus rerum in Pentateucho comprehenſarum, partim leges, quæ Exodo, Levitico, Numeris, & Deuteronomio continentur, partim res aliæ, tempore Moſis in populo Ebræo geſtæ, conſtituunt. Legis ſaltim omnia præcepta a Moſe literis eſſe mandata, ex iis locis patere ait. in quibus vel legem DEUS Moſen ſcribere juſſerit, Exod. XXXIV. 27. vel eam ipſe revera ſcripſiſſe dicatur, ut Exod. XXIV. 4. Devt. XXIIX. 58. 61.

cap.

cap. XXIX. v. 20. 27. XXXI. 9. 26. Quod autem historiam sui temporis totam literis consignarit, ex eo colligit CLERICUS, quod partem aliquam Historiæ, quæ tamen tanti non erat, v. g. bellum in Amalekitas gestum Exod. XVII. 14. nec non Israelitarum in deserto mansiones, Num. XXXIII. 2. scripsisse diserte legatur. *Tertium* rerum genus in Pentateucho absolvunt additamenta illa, quæ MOSIS ævo posteriora sunt. Hic in designando Auctore aquam sibi hærere fatetur CLERICUS, nullumque esse sapiente ἐποχῇ tutius perfugium censet. Omnes enim interpretes, quorum alii JOSUAM, alii ESDRAM, alii Ebræorum ὑπομνηματογράφους auctores faciant, meris conjecturis duci arbitratur. Conf. *Acta Er. Lipſ. 1694. p. 19. 20.*

§. IX. Lex certe, seu quinque Libri legis, a Christo & Apostolis constanter Mosi Auctori tribuuntur. Ita Christus ad Judæos Joh. V, 46 *Si crederetis Mosi, crederetis mihi*, περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψε. Ubi observes, quod tempore Christi *Moses & Mosis lex* Pentateuchum significet. Luc. XXIV. 27. dicitur Christus incipiens a Mose, & omnibus Prophetis, explicasse ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ αὐτοῦ, *in omnibus Scripturis* Mosis & Prophetarum *quæ ad ipsum pertinebant*. Atqui Scriptura Mosis a Scriptura Prophetarum distincta, est Pentateuchus. Declaratur hoc uberius v. 44. *oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetarum & Psalmorum de me.* Conf. Luc. XVI. 29. Paulus exserte Mosi adscribit Pentateuchum II. Cor. III. 15. ex quo loco manifestum fit, Libros V. Test. historiam continentes, qui illo tempore a Judæis legebantur, Mosis nomine venire. Idem diserte testatur Jacobus Act. XV. 20. 21. cum ait: *Moses ab antiquis ætatibus oppidatim habet, qui ipsum prædicant in Synagogis singulis sabbathis.* Illud autem, quod, uti Mosaicum, in synagogis legitur, integer Pentateuchus est, in LIV. paraschas sive *lectiones* divisus, ut quotannis absolvi posset. Jacobus præterea abstinentiam sangvinis suadens & ad Libros a Mose scriptos provocans, respicit ad interdictum, quod exstat Gen. IX, 4. Ergo ex Jacobi sententia Moses est Geneseos, in qua lex illa Noachidis lata legitur, Scriptor atque auctor.

§. X. Ex dictis patet, integrum Pentateuchum *legis* nomine venire. Cum autem Moses *legis* (in hoc sensu acceptæ) auctor vel sexcentis in locis dicatur; palam est, quod idem sit auctor totius Pentateuchi.

§ XI. Devteronomium, משנה, procul dubio supponit aliam legem, & eam quidem, quæ in quatuor Libris præcedentibus continetur. Cum autem, vel ipsimet Adversarii fateantur, Mosem Devteronomii, seu *repetitæ legis*, auctorem esse, necessario inde consequetur, eum etiam pro auctore reliquorum Librorum quatuor, qui ei tribuuntur, habendum esse.

§. XII. Eadem fuit ultimæ antiquitatis sententia. Intelligimus hoc ex pervetusta Scripturæ V. T. divisione in MOSEN, PROPHETAS & PSALMOS, Luc. XXIV, 44. ubi ipse Servator eam non improbat. Non dissimiliter antiquissimi Scriptores Sacri Mosem pro Pentateuchi auctore agnoverunt. Jos. I, 7. 2 Chron. XVII, 9. Neh. I, 8 9. Fundamentalis certe est hodiernæ Synagogæ articulus, Mosen totum Pentateuchum ex DEI dictantis ore scripsisse. Hoc si quis neget, is pro fidei Judaicæ desertore omnium consensu haberetur. Docet hoc H. WITSIUS ex *Catechesi Judaica in Præfat. ad Tom. prior. Miscell.* §. *VII. edit. nov.*

§. XIII. Sunt qui ad sententiam nostram confirmandam testimoniis veterum utuntur, & ad profanos auctores eo provocant lubentius, quo frequentius illi Mosen Judæorum Legislatorem appellant, & quo plura ex Pentateucho Mosis surripuisse, ac in suas fabulas transtulisse videntur. Hoc P. D. HUETIO *in Dem. Evang.* præ ceteris placet, qui HESIODUM multa ex Libris Mosaicis hausisse tradit, atque SANCHONIATHONEM Berytensem, Phœnicum historicum, vehementer laudat, quando ejus fragmenta in sententiæ confirmationem subinde allegat. Sed cum de auctoris hujus ætate nihil certe constet, & a viris eruditis fabulis accenseantur, quæ de Sanchoniathone feruntur, ut apparet ex *Viri Cl. JO. ALB. FABRICII Bibl Græcæ L. I. Cap. XXVIII p m. 165*, & *SAINJORE* sive *R. SIMONII Bibliothecæ Criticæ Tomo I. Cap. IX*, non immerito reprehensus videtur Præsul ille Gallicanus ab ANT. VANDALE *in Diss. de Sanchoniathone.* p. m. 477. & 500. Equidem HUETII institutum per se vituperari nequit, quando prolixe ostendere conatur, historiam fabularem gentilium ex Libris Mosaicis ortum ducere. At vero & causæ, & existimationi fortassis melius consuluisset, si eruditionis hac in parte suæ, & πολυαναγνωσίας aliquanto parciorem se promumcondum præbuisset, nec ejus rei argumenta, & antiquitatis exempla, toto, quod ajunt, horreo orbi Christiano admensus esset. In tanta enim, quam undique collegit, antiquarum fabula-

rum

rum farragine fieri non poteſt, quin aliquam multa inveniantur, quæ non niſi tenuem admodum cum Moſis hiſtoria ſimilitudinem habent, & valde frigida collatione cum eo contenduntur, quod eſt H. WITSII judicium *Tom. I. Miſcell. L. I. cap. XVII. §. 2. p. 183.* Magis interea probatur L. E. DU PINII opinio, qui ex Pentateucho Samaritano luculentius documentum, quam ex omnibus profanis Scriptoribus peti poſſe arbitratur. *Prolegomenes ſur la Bible T. 1. c. III. A. E. L. 1700. p. 7.*

§. XIV. Multum roboris ſententiæ, hactenus a nobis defenſæ, exinde accedit, quod, ſi a Moſe diſcedas, nullus definiri poſſit Pentateuchi auctor. SPINOZA equidem allegavit Esdram, ſed temere & citra ullam veriſimilitudinis ſpeciem. Nam multis ante Esdram annis, tempore videlicet JOSUÆ, cap. IIX, 34. DAVIDIS & SALOMONIS 1 Reg. XI, 2. & AMAZIÆ, *qui fecit, ſicut ſcriptum eſt in lege, in Libro Moſis 2 Chron. XXV, 4.* Pentateuchus jam exſtabat. Idem percommode demonſtrari poteſt ex diſſidiis Judaicæ ac Samariticæ Eccleſiæ, quæ unanimi conſenſu hos libros olim ſine ulla immutatione receperunt, & in hodiernum usque diem ſumma animi religione ſervarunt, quod Samaritani tamen, ob implacabile in Judæos odium, nunquam fuiſſent facturi, ſi ſciviſſent, illos ab Esdra profectos eſſe. Denique ſummus ille conſenſus, qui inter utrumque Codicem, Ebræum nempe & Samaritanum eſt, invicte probat, Esdram in Pentateucho nihil mutaſſe, quoniam Samaritæ, acerrimi Judæorum hoſtes, nunquam permiſiſſent, ſuum codicem ad Ebraicum emendari & refingi. Vid. SALOMON van TILL *in Atrio gentium omnibus infidelibus aperto* P. III. v. 196. & ſeqq.

§. XV. Quicquid R. SIMONIUS de ſcribis publicis, omnia in diurna acta referentibus, prolixe diſputat, ut ad eos Pentateuchi originem reducat, id cum H. WITSIO l. c. p. 116. *ad ſomnium ex eburnea porta* referendum eſſe arbitramur. Nam temere, & ſine ulla idonea ratione tales ſcribæ finguntur, & ab initio ſtatim Reip. Iſraeliticæ, ac in ipſo adeo deſerto, jam exſtitiſſe traduntur, quos Scriptura plane ignorat, ſicut erudite oſtendit HEIDEGGERUS *Exercit. Bibl. Tom. I. Diſſ. VIII §. IIX p. 219. ſeq.* Tum perabſurde Θεόπνευστοι ſtatuuntur, qui ex SIMONII opinione tot errores, & vitioſas trajectiones in Scripturis admiſerunt. Argumenta, quæ Criticus iſte pro novella opinione ſtabilienda excogitavit, perinfirma, & ita comparata ſunt, ut nihil

probent minus, quam cujus gratia afferuntur. Num ideo forte necesse erat, ut Moses tales Scribas publicos in gente sua constitueret, quia in aula Pharaonis educatus, vidit, Sacerdotes illius regionis, ἱερογραμματεῖς dictos Græcis, scribarum munere perfunctos esse? Ego certe non credo, quod Moses, quæ apud Ægyptios recepta ac constituta observavit, in Israelitarum Rempublicam continuo induxerit. Non inficior, Mosen peregregium Legislatorem fuisse, sed non admitto excellentis Legislatoris munus esse, ut scribas publicos constituat, quales Criticus noster in divinioris Scripturæ fraudem, & Traditionis stabilimentum finxit. Quantum enim per novæ Critices principia Traditioni accedit, tantum Scripturæ Divinitati, certitudini ac perfectioni decedit. Vid. HEIDEGGERUS l. c. §. XXXII. p. 236. 237. L. E. DUPIN *T. I. Proleg. cap. II.* EZ. SPANHEIMIUS *in Epist. ad amicum.* B. ALBERTI *Interesse Rel. Christ. p. 97.* B. JO. BENED. CARPZOVII *Oratio inauguralis sub initium Prof. Theol. Ord. 1684. Lipsiæ habita.* FRID. SPANHEMIUS *in Elencho Controversiarum 1694. edito p. 643.* aliique.

§. XVI. Quod ultimo tandem loco istum Sacerdotem Samaritanum attinet, quem in tanti operis, qualis Pentateuchus est, auctorem erigunt *Theologi Hollandiæ in Judiciis suis*, ac orbi obtrudunt, impetrare abs me vix possum, ut credam, viros illos rem serio agere voluisse. Quis enim induci potest, ut credat, sacrificulum Samaritanum, qui contra DEI præceptum ad altare Bethelicum sacris operatus fuit, in *Cuthæorum*, *Havæorum*, *Chamathacorum*, vilissimarum gentium gratiam, illos conscripsisse Libros, qui tot præclara de munere & adventu Messiæ, ex tribu Judæ oriundi, documenta in se continent, & qui a Judæis non solum, sed ab ipsomet Servatore, ejusque Apostolis amati, laudati, & in fidei, morumque regulas propositi, enixissimeque commendati fuerunt? Et quotusquisque ex Judæis recepisset Sacerdotis Apostatæ commenta? Cur homo iste dignior erit, quam Moses, cui Pentateuchi origo adscribatur? Si Mosi earum rerum cognitionem denegant, quæ illius ætatem antecesserunt, unde, quæso Te, sacrificulo illi Samaritano tanta, & tam accurata rerum antiquissimarum cognitio? Loco illo 2 Reg. XVII. nihil aliud indicatur, qnam Sacerdotem quendam e captivis, qui in Assyriam Mediamque fuerant abducti v. 28. legem ritusque Divinos Samaritas docuisse, JO. CLERICUM autem,

tem, vel quisquis tandem absurdæ impiæque illius opinionis sit Auctor, Sacerdotem istum magno errore ex Babylonia eduxisse.

§. XVII. Ad octodecim illa Loca, quæ objiciuntur, necesse non est ut sigillatim respondeamus, cum præsertim JO. CLERICUS, postquam ad saniorem mentem rediit, *in Prolegomenis Commentarii in Genesin Differt. III.* fateatur, pleraque ex illis dubia esse, nec sic posse urgeri, quasi passim in Libris Mosis recentioris ævi essent argumenta: Et perpauca esse, quæ ab alterius, forte Prophetæ, manu provenisse liqueat, & quæ non obstent, quo minus Mosis opus esse hosce Libros dicamus. *Conf. A. E. Lips. 1694. p. 20.* Erudite copioseque ad singulas fere objectiones respondent P. D. HUETIUS *in Dem. Ev. Prop. IV. cap. XIV.* HEIDEGGERUS *Exercit. Bibl. T. I. Differt. IX.* JUSTUS CHRISTOPH. SCHOMERUS *in Collegio novissimarum Controversiarum cap. II.* RICHARDUS KIDDER *in Differt. de Aut. Pentateuchi, Comment. ejus in Pentateuchum conjuncta*, & qui in primis laudandus erat, H. WITSIUS *in priore Miscell. Tomo cap. XIV. L. 1.* qui in eo tamen imprudenrer egit, quod quatuor loco JO. CLERICO largitur §. *XLVIII. p. 130. l. c.* nempe Gen. XIV, 14. XXXVII. 14. Exod XVI, 35. Devt. III, 14. in quibus aliquam serioris manus interpolationem agnoscit. Hæc loca a nobis alibi, cum opportunum fuerit, vindicabuntur.

III.
DE NATIVA SIGNIFICATIONE VOCIS ברא Gen. I, 1.

§. I.

PErvetusta est sententia, ac communibus fere interpretum suffragiis recepta, vocem ברא, qua Moses sub initium statim historiæ Sacræ, in describenda universi hujus creatione ex nihilo, usus est, significare *ita aliquid producere, ut supra omnem rerum naturam sit, adeoque ex nihilo.* Docetur porro, ברא, quod hoc loco exstat, & Latine per *creare* reddi solet, a verbo עשה *fecit* differre, sicut species a genere. Unde a ברא *creavit* recte concludi arbitrantur ad עשה *fecit*: Deumque, qui est בורא *Creator cœli & terræ*, recte etiam dici עושה *factorem cœli & terræ.* Sed non statim

ſtatim & ubique a τῷ עשה *fecit*, ad ברא *creavit* colligere fas eſſe, cum a genere ad certam ac determinatam ſpeciem N. V. C. Vid. SEB. SCHMIDIUS *in h. l.*

§. II. Pernegat vero JO. CLERICUS, hoc in loco doceri, aut ex nativa ſignificatione verbi ברא poſſe deduci, materiam mundi ex nihilo creatam eſſe. Ebræos enim veteres, dum hocce uterentur vocabulo, ne cogitaſſe quidem de creatione ex nihilo, ſed idem cogitaſſe, quod animo Latine aut Græce loquentium obverſatur, quando vocibus *κτίζειν* & *condere* utuntur. De quibus verbis conſtet, quod vel generatim quamcunque rei formationem, vel, ſi de regione aut urbe agatur, coloniæ deductionem, aut quiddam ſimile notent. Ut fides fiat aſſertioni, provocat cumprimis ad Ezech. XXIIX, 13. ubi de urbe Tyriorum legitur: *Deliciæ Tuæ in Te paratæ fuerunt die,* (הבראך) *qua creata es* hoc eſt, ab ea die, qua exſtructa, & civibus impleta es. Hoc forte ſenſu exponendam eſſe cenſet vocem ברא in primo verſu Geneſeos, ut Moſes ſignificet, vacuam deſertamque fuiſſe terram, priusquam a DEO parata colonis excipiendis, iisque inſtructa eſſet. Vid. JO. CLERICI *Commentar. Philol. in h. l.*

§. III. At vero nondum everſa eſt hac CLERICI ratiocinatione communior ſententia, cujus antea fecimus mentionem. Docet exemplorum inductio, qua omnino in hac doctrinæ parte ſtandum eſt, ברא eſſe verbum ſoli DEO dicatum, & quod de divinis duntaxat operationibus adhibetur. Rem acu tetigiſſe mihi videtur JAC. GUSSETIUS *in Commentar. Linguæ Ebr. f. 146. ſub voce* ברא, quando hunc vocum fecit ordinem, ut עשה ſit genus quoddam, פעל ſpecies ſubalterna, actiones rationalium agentium notans, & ברא ſpecies ſpecialiſſima, ad actiones DEI reſtricta. Itaque quemadmodum פעל non communicatur cauſſis brutis, eo quod involvat proprietatem brutis incommunicabilem, *rationis videlicet vim*: ſic ברא non communicetur creaturis, quia involvit attributum creaturis incommunicabile, *nempe infinitatem*. Quapropter operari per infinitatem, ſeu per vim infinitam ברא eſſe arbitratur, & merito exponi *producere rem ex nihilo, ſeu ex materia indiſpoſita & inhabili*, ad quod utrumque infinitas potentiæ ſupernaturaliter operantis requiratur.

§. IV. Elegans præterea hujus verbi proprietas eſt, a perpaucis hactenus obſervata qua non ſolum notat *creare* rem ex nihilo, ſed etiam *rem*, *cui nulla res ſimilis adhuc erat, producere*. Hanc peculia-

peculiarem vocis proprietatem primus, quantum constat, ABARBANEL aperuit, ex quo hausit HOTTINGERUS *in Hexaëmero p. 237.* post quem H. WITSIUS *Oecon. fœderum L. I. cap. VII. §. 26.* etsi uno duntaxat verbulo, approbavit, ex quo utroque sumsit & laudavit JAC. GUSSETIUS *in Commentar. Linguæ* Ebr. f. 147. D. Moses certe mundi creationem narrans accurate eam proprietatem observat, & ברא rei novitate distinguit ab עשה. Ita Gen. I, 21. de balænis ac cetis, & v. 27. de productione hominis ברא usurpatum invenitur. Contra de expanso non, ut de re, cui similis nulla fuisset antea, dicitur ברא, sed עשה *fecit v. 7. l. c.*

§. V. Equidem sententiæ nostræ, cui JO. CLERICUS confidentissime contradixit, objici potest, ברא adhibitum legi de productione hominum in successivis generationibus, aut constitutione Reipublicæ, quæ omnia per causas secundas fiunt, & per vim earum finitam. *Conf. Psalm CII, 19. Ezech. XXI, 35. & XXIIX. v. 13. & 15.* Sed observes, eam vocis significationem in Kal nunquam inveniri. Citata loca sunt Conjugationis Niphal. Falsum deinde est, ברא de creatione magistratuum, aut urbibus conditis ullibi usurpari. Ea enim significatio Græcæ Latinæque linguæ est propria. Porro notandum, objectis illis locis Metaphoram subesse, quæ propriam verbi significationem immutare haud potest. Denique sciendum, *in Scripturis respici sæpe effecta relate ad causam primam prætermissis secundis. Prima autem illa concursum suum exercet per vim infinitam.* quæ regula GUSSETII est l. c. Falsum igitur est quod R. SIMONIUS dicit, sententiam vulgatam de verbo ברא magis ex præconcepta de creatione ex nihilo opinione, quam vi & proprietate, ipsius vocis venire, *Histor. Crit Vet. Test.* L. II. cap. V. p. 29 & Libr. III. cap. III. p. 9. ubi solam Judaicam traditionem ad Christianos transmissam id dogma demonstrare putat, quam a Scriptura si divellas, illam solam nihil probare.

§. VI. Exinde etiam haut difficulter intelligitur, quam graviter turpiterque SPINOZA erret, cum negat, Deum aliquid ex nihilo creare posse, & argumentis, quæ multum a sana ratione dissident, contendit, in idea creationis ex nihilo contradictionem dari. Nititur hæc persuasio alio absurdissimo SPINOZÆ errore, quo malitiosissimus iste omnis religionis desertor, fingit, Deum omnium rerum causam esse *non transeuntem*, sed *immanentem*, sive ut loquitur *in scholio Prop. X, P. II. Ethices*, Deum esse causam rerum

 non

non tantum *secundum fieri*, *sed etiam secundum esse*, ita ut mundus non a Deo ex nihilo productus sit, sed ex ejus natura necessario fluxerit, adeo ut omnes creaturæ, res extensa perinde ac res cogitantes, sint in Deo, ceu modi, & sicuti decreta Divina in Deo esse concipiuntur. Hoc modo ipsemet perabsurda animi sensa exponit *in Epist. ad Oldenb. p. 453.*

§. VII. Quid doctrinis hisce ineptius vel monstrosius fingi & excogitari possit, non video. Nobis exploratum certumque est, Dei, & ejus intellectionem, non revera a Deo differre, sed nostro solum concipiendi modo a Dei natura distingui, in se autem Deum decernentem, & Divinum decretum idem esse. Fingas vero, si lubet, eandem esse creaturarum rationem, easdemque eodem modo in Deo esse, sicut ejus decreta, quemadmodum SPINOZA fabulatur: tunc profecto necesse est, ut mens mea, mens tua sit ipse Deus, mentem meam, mentem tuam formans. Omnes creaturæ corporeæ erunt Dei decreta, & Dei idea, si Deus illarum *causa immanens* est, *non transiens*. Homo, rana, lumbricus, pulex, & vilissima quævis insecta erunt idem, quod Dei volitio, & intellectio, & cum hæc a Dei natura non differant, erunt ipse Deus. En Tibi, L. B. blasphemias, & ejusmodi opinionum monstra, quæ omnes ipsius insaniæ terminos longissime excedunt. Spinoziana hæc deliria acute explodit ipsius SPINOZÆ hypothesibus insistens, P. POIRET *Cog. Rat. L. I. cap. V. p 31 32.*

§. IIX. Creatio mundi ex nihilo nullam involvit contradictionem. Multi ex vetustissimis Philosophis, recto rationis usu pollentes, agnoverunt, aperteque fassi sunt, mundum ex nihilo conditum esse. Rem more suo amplissime probavit P D. HUETIUS *in Quest. Alnet. L. II. cap V. p. 137 138.* Conferatur Viri Ce. *JO. ALBERTI FABRICII Bibliothecæ Græcæ liber secundus Cap. XII. p. m. 473.* nec non *RADULPHI CUDWORTHI systema intelligibilis universi p. 197 & 751. 763.* CHRIST. WITTICHIUS, perspicacissimus Theologus ac Philosophus recte distinguit has duas Propositiones: *Creatura facit aliquid ex nihilo*, & *DEUS facit aliquid ex nihilo.* In priori repugnantiam esse concedit, in posteriori autem nullam esse asserit. Cum enim ab æterno præter DEUM nulla res *h e nihil* esset, Dei potentia factum est, ut res fierent, & sic quasi ex nihilo emergerent. Verum est, creaturæ potentiam semper pro objecto habere debere materiam, in quam agat, secus autem se res habet cum potentia Dei infinita. Videndus est

ipse

ipſe WITTICHIUS *in Anti-Spinoza, ſeu Examine Ethices Spinozianæ* p. m. 420.

§. IX. RENATUS DES CARTES, Philoſophus ſuperioris ſeculi perilluſtris, *ex nihilo privativo,* ſeu rudi ac indigeſta mole mundum creatum eſſe, negavit, dum fabulatus eſt, (*fabulam* enim, excogitatam abs ſe mechanicam mundi ſtructuram, in epiſtolis & alibi ipſe appellat) mundum ſecundum mechanicas motus leges a Deo fabricatum eſſe, & thraſonice jactauit, poſſe ſe, ſi materia & motus ſibi darentur, alterum mundum, huic ſimilem, facile creare: Perinde fere, ac ARCHIMEDES olim vaniſſime promittebat, ſe loco moturum eſſe totius terræ machinam, ſi extra terram daretur punctum, ubi pedem figeret. Conf. CARTESIUS *de Methodo p. m. 23.*

§. X. Falſum eſt, vergitque in infinitæ Dei potentiæ opprobrium, aſſerere, mundum ſecundum mechaniſmi leges, nec extraordinario Dei concurſu, productum eſſe. Indicat hiſtoria Moſis, confirmat id Auctor Epiſtolæ ad Ebræos, omnipotenti Dei verbo creatum eſſe mundum. Nam ſi Deus mora temporis motuque indiguiſſet ad res producendas, illæ jam aliunde dependiſſent, & non ex ſolo Dei nutu, quod tamen & Chriſtianæ fidei & rectæ rationi repugnat.

§. XI. GUIDO GRANDUS in *Act. Erud. Lipſ. Suppl. T. V. p. 260.* exiſtimavit, creationem mundi ex nihilo illuſtrari poſſe ex paradoxo illo Mathematico, quo eadem linea vel quantitas infinities poſita & infinities ſubtracta relinquit ſui medietatem. Eam quippe infiniti vim eſſe contendit, ut etiam quod per ſe nullum eſt, multiplicando in aliquid commutet. Illuſtris LEIBNITIUS confirmavit rem omnino ita ſe habere, etſi MARCHETTUS, Profeſſor Mathematum Piſanus id negavit. At vero ex hoc principio minus commode illuſtrari poſſe creationem rerum, quæ ex nihilo fit per divinam omnipotentiam, idem LEIBNITIUS *l. c. p. 264.* recte notavit. Nam creatio non eſt ſimplex repetitio nihilorum, ſed continet realitatem novam & poſitivam ſuperadditam. Confer. *Acta Erud. Lipſ.* 1713. *menſe Januar. p.* 30. 31.

IV.

QUANAM DE CAUSA DEUS ANIMANTIA ADDUXERIT AD ADAMUM, ad Gen. II, v. 18. 19. 20.

§. I.

ADamum non solum rerum divinarum peritum fuisse, sed naturæ quoque arcana cognita habuisse, & omnium animantium indolem ac mores exacte intellexisse, adeoque, edito hujus sapientiæ specimine, universis animantibus divino jussu ad eum congregatis, nomina convenientissima imposuisse, plerique S. Scripturarum interpretes censuerunt, sigillatim ABR. CALOVIUS in *Comment. ad h. l. p. m. 292.* HEIDEGGERUS in *Hist. Patriarch p. 148*, SAM. BOCHARTUS *T. I. Hierozoici Libr. I. Cap. 9*, PETAVIUS *T. III. Dogmat. Theol. p. 136*, & Vir Celeb. JO. FR. BUDDEUS *in Hist. Eccles. V. T. Tomo priore p. 93*, ubi observat, non aliam fuisse causam, cur Deus animalia ad Adamum adduceret, quam ut ab eo nomina suæ naturæ convenientia acciperent. Quin & ipsis plantis nomina ab Adamo fuisse imposita MORERIUS in *Lexico Historico* tradit. Longigius progressus est R. ABRAHAM apud B. RIVINUM in Dissertatione de *Serpente Seductore p. 56.* קריאת שמות לכל הדברים *denominationem omnium entium* atque ipsius Jehovæ ad Adamum referens. ISAACUS PEYRERIUS *L. III. de Præ-Adamitis Cap 3. p m. 158.* conjecit, Adamum eo tempore, quo naturam animantium & volatilium omnium conceperit, eodem momento scriptis illam mandavisse, & in commentaria retulisse nomenclaturas omnium. *Quomodo enim*, inquit, *fieri potuisset, ut omne quod vocasset Adamus, ipsum fuisset nomen ejus tempore Moysis, nisi Adamus eodem momento, quo suis nominibus vocabat animantia, & volatilia omnia, dictionaria illorum nominum composuisset ad usum posteritatis, & ne exciderent memoria Adami ipsius multorum animantium & volatilium nomina, quæ nunquam forte deinceps visurus erat.* Quæ conjectura etsi communi eruditorum consensu explosa est, hoc tamen non impedivit THOMAM DE TORQUE-

QUEMADA, quo minus deliraret & assereret, ex hujusmodi Commentariis ADAMI non modo MERCURIUM TRISMEGISTUM naturalis scientiæ arcana hausisse, sed mire etiam profecisse THOMAM AQUINATEM, librum de *Essentia & Ente* scripturum. Videantur ATHANASII KIRCHERI *Obeliscus Pamphilius p. 5.* & Viri, Cl. JO. ALB. FABRICII *Codex Apocryphus Vet. Test. p. m. 4.*

§. II. Missis hisce similibusque nugamentis revertimur ad historiam Moysis de animalium ad Adamum adductione, cujus caussam plerique interpretes tam recentiores quam antiqui non aliam fuisse aiunt, quam nominum impositionem, persuasi, Deum in Edene homini omnes naturæ opes exhibere voluisse, & eidem omnia stitisse animalia, ut, illis visis, sciret nullum esse simile. Quin & conjugium inter primos parentes initum per hunc conventum fieri voluisse solemnius. Et hoc modo bruta homini se subjecisse, & nomina sua tanquam a Domino accepisse. Has rationes edisserit SAM. BOCHARTUS *Hieroz. P. I. L. I. Cap. IX f m. 54. & 57.* Sane in eo omnes fere consentiunt, scopum primarium adductorum animantium fuisse nominum impositionem, ab Adamo, tanquam eorum Domino instituendam secundum cujusvis bestiæ indolem, mores & conditionem. Idcirco Mosis historiam Genes. II, 9. 20. in hunc fere modum exponunt: *Et adduxit DEUS animalia ad Adamum* לראות מה יקרא לו *ut videret, quid vel quomodo vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* Quod tam sapienter ab Adamo factum esse putant, ut ipsius DEI judicio illa nomina animantibus imposita iis exacte convenirent, & peridonea essent ad significandas eorum naturas ac formas, quemadmodum luculenta illius nomenclationis specimina dedit, eademque more suo erudite explanavit BOCHARTUS *l. c. f. 59. & seq.* Hanc ὀνομαθεσίαν Adamicam B. CALOVIUS noster in *Commentario ad h. l. p. m. 29. & 330*, præeunte Megalandro B. LUTHERO, luculentissimum primigeniæ sapientiæ argumentum esse censuit, unde colligere possimus, Adamum non instar infantis rudem fuisse, uti SOCINISTÆ fingunt, sed tanta sapientia præditum, quanta nullus unquam mortalium fuerit ornatus. Nempe in Adami animum Deum multa infudisse, quæ non nisi gravi labore, & longa experientia a nobis addiscantur. Ita ut non solam superficiem, ut nos hodie, sed & ipsam rerum naturam intro-

 tro-

quam Adamum juſſum eſſe diu multumque inter viva animantia, quomodocunque vocarentur, circumſpicere, num in illis aliquod deprehenderet, quod ad ineundam ſocietatem in auxilium adſciſcere poſſet. Nullum autem inventum eſſe ex animantibus brutis ad vitæ & conjugii conſuetudinem accommodatum. Idque Moſem memoriæ prodidiſſe, ne Iſraelitæ more vicinarum gentium cum brutis commiſcerentur. Hanc opinionem ab ISAACO ABARBANELE ſubobſcure olim proditam, didicit HARDTIUS, eandemque, ut commendabilior eſſet, ſuo ingenio & doctrina exornavit. Efficere tamen non potuit, ut omnibus eruditis placeret & probaretur induſtria in illo loco explicando collocata. Videantur *Relationes Veteres & Novæ A. Ch. 1705. p. 228*, B. JO FECHTIUS in Præfatione ad Commentarium AUGUSTI VARENII ad Eſaiam, & MICH. LILIENTHALII *Selecta Hiſtorica & Literaria 1715. edita Obſervat. X*, Commendarunt autem & ſuo calculo adprobarunt Viri Cl. JO CHRIST. ORTLOBIUS in Schediasmate Lipſiæ 1708 edito *P. II.* de *Caine non deſperante*, nec non JO. FR. REIMMANNUS in *Introductione ad Hiſtoriam Literariam Antediluvianam p. 52.*

§. IV Nos media via incedendum eſſe arbitramur, perſuaſi confirmatique argumentis e ſacro textu ſumtis. Convocatio animantium ad Adamum ob duplicem potiſſimum cauſſam videtur facta a Deo. *Primo*, ut Adamus cœlebs, absque ſocia ſolitariam agens vitam, & conſpectis animantibus brutis per paria incedentibus, ita ut unusquiſque mas ſociam haberet ejusdem ſpeciei fœminam, conjugis adipiſcendæ deſiderium intra ſe ſenſurus, oculis luſtraret & examinaret omnia animantium genera, ac tentaret מַה יִּקְרָא־לוֹ *quodnam ex illis advocare*, ſeligere, & adſciſcere *poſſet* in Societatem & adjutorium ſuum. Hoc Dei T. O. M. præſentantis animantia Adamo conſilium fuiſſe, clare intelligitur ex *commate 18*, ubi dixerat, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciam ei auxilium.* Confeſtim omnia animantia adducuntur ad hominem, & eidem oſtenduntur, non aliam ob cauſſam, quam ut illa contemplaretur, & quæreret, annon in tanto eorum numero ac varietate invenire poſſet עֵזֶר *auxilium*, ſive conjugem ad ſocietatem & auxilium ſibi aptam. At vero etſi omnia accurate luſtraverat, tamen inter illa nullam invenit ſociam ſibi accommodatam, & ad neceſſarios hujus vitæ uſus utilem. וּלְאָדָם לֹא מָצָא עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ, LXX τῷ δὲ Ἀδὰμ οὐχ εὑρέθη

εὑρέθη βοηθὸς ὅμοιος αὐτῷ. VULGATUS Alexandrinam versionem secutus, sensum magis, quam verba textus Hebræi expressit: *Adæ vero non inveniebatur adiutor similis ejus.* Recte autem observavit DRUSIUS ad *h. l* vocem לאדם hic occupasse locum pronominis לו *sibi*, quemadmodum in aliis locis Scripturæ antecedens nomen repeti & poni solet pro pronomine, quod Grammatici appellant *enallagen antecedentis pro relativo.* Exempla vide apud SAL. GLASSIUM *in Phil. S. p. m. 719.* Ita h. l. exponenda sunt verba Mosis: *Et advocavit Adamus animalia, sed non invenit Adamo* h. e. *SIBI*, auxilium seu auxiliatricem. Quamvis enim bestiæ nobis auxilio sint, unde est, quod *jumenta* vocantur: tamen illarum natura a nostra prorsus diversa est, notante BOCHARTO *l. c. f. 57. Nam si externam corporis nostri speciem harum nonnullæ ex parte referant, ut*

Simia quam similis turpissima bestia nobis:

tamen omnibus deest, quod in nobis est eximium, ratio nempe, & oratio, quæ sola est mentis interpres, & unicum societatis inter homines vinculum. Sed postquam Deus ex costa Adami mulierem condidit, ויביא *& adduxit* eam ad marem, perinde ac alia animantia antea *adduxerat* contemplanda, Adamus, vix eam conspicatus, continuo sociam agnovit sibi commodissimam, & exclamavit lætus, זאת הַפַּעַם עֶצֶם מֵעֲצָמַי וּבָשָׂר מִבְּשָׂרִי *hac* tandem *vice* post frustraneam sociæ inquisitionem inter animantia bruta, exhiberi conjugem, אִשָּׁה *viraginem* ex suis ossibus & carne exstructam, & hactenus desideratam. Hæc Moses commemorat, ut Judæos a commerciis cum Spiritibus perinde ac a Sodomitica commixtione cum brutis, Orientis populis haud infrequenti, averteret.

§. V. *Altera* ac consequens illius lustrationis ratio erat, ut Adamus divinæ sapientiæ specimen ederet, & animantibus ejus conspectui & examini expositis, nomina eorum naturæ convenientia, ac imposterum perpetuo mansura, imponeret. Nam versu XIX. dicitur, *omne nomen, quo sibi adesse jussit Adam animam viventem, illud est nomen ejus*, proprium nempe & perpetuum. Et in *commate XX.* diserte legitur, ויקרא שמות *&* compellavit seu *vocavit nominibus*, quasi essent in Hebræo בשמות. *omne pecus, omnem volucrem cæli*, & omnem feram agri, sed sibi auxiliatricem non invenit, quæ idonea & grata esset. Conferantur JAC. BERNARDI *Nouvelles de la Republique des Lettres, mense Aprili A. Ch.*

A. Ch. M. DCCV. p m. 410. Acta Erud. Lips ejusdem anni, mense Junio p. 247, & Nova variorum scriptorum collectio Halæ Magdeburgicæ A Ch. 1716. edita, Fasciculo I. Cap. III p. 30. Hebræorum placita enarrat JOANNES BUXTORFFIUS filius in *Dissertationibus Philologico-Theologicis* Diss I. §. XXIV. p. 17. Verba Mosis הוא שמו ex veteribus urget EUSEBIUS *Præparat Evangel. XI. 6.* Διὰ τοῦ φάναι τοῦτο ἦν ὄνομα αὐτοῦ, τί ἄλλο ἢ κατὰ φύσιν τιθεῖσθαι τὰς προσηγορίας περίστησι, *Cum ait*, ipsum erat nomen ejus, *quid aliud, quam appellationes, uti natura postulabat, inditas esse significat?*

V.
FRUCTUS EX ARBORE VETITA IN PARADISO DECERPTUS EX VETERUM FABULARUM INVOLUCRIS ERUITUR ad Gen. III, 1-7.

§. I.

Etsi gentiles paulo sapientiores ex misera humanæ naturæ conditione in eam ducti sunt conjecturam, hominem, qui tot ærumnis esset addictus, insontem non esse: tamen originem peccati in genus humanum transmissi, singulatim lapsum primorum parentum prorsus ignorasse existimantur. Nec aliunde certa illius calamitatis notitia repeti & hauriri potest, nisi ex historia sacra a Mose divino afflatu conscripta. Ubi clare docemur, primos homines in summo felicitatis gradu constitutos, ab infernali genio, qui se in serpentem insinuaverat, deceptos, de fructu arboris vetitæ comedisse, a sanctissimo conditore ac Patre suo descivisse, indeque criminis convictos, e Paradiso ejectos esse, ac omne malorum genus in se suosque posteros derivasse.

§. II. Nihilo tamen secius ad ipsos etiam ethnicos aliqua istius veritatis & historiæ notitia dimanasse videtur. Sed fabulis involuta & valde obscurata fuit. Operæ pretium, nec quidquam ab instituto nostro alienum facturi sumus, si aurum ex isto fabularum sterquilinio eruamus, vel veritatis obscuratæ scintillulas aliquas in tantis tenebris saltim commonstremus. Terrestrem Paradisum in quo Adam & Eva, antequam a Deo deficerent, suavissime vixerunt

runt veteres occultarunt & descripserunt sub Hesperidum hortis, ad Oceanum Atlanticum sitis, qui feraces erant aureis malis, qualia CALLIMACHUS *Hymno in Cererem vers. 10. p.m 159.* aliique Poëtae laudarunt. Exstat panarium hisce Hesperidum pomis repletum in quodam Tarrensium nummo Gazæ Mediceæ. Notatu præ ceteris dignus est ANTONINI PII nummus, qui inter aereos maximi moduli exstat in Cimeliarchio Gallorum Regio, quem Vir illustris EZECHIEL SPANHEMIUS contemplatus est & descripsit in Notis eruditissimis ad citatum CALLIMACHI locum *p. m. 670*, unde nos eum mutuo acceptum exhibuimus in opusculi hujus frontispicio. In illo nummo conspicitur Hercules mala aurea ex arbore decerpens. Visitur etiam serpens, LADON dictus, ex arbore pendens, & mala illa custodiens. Nec desunt Nymphæ Hesperides in illo nummo. Ad quem illustrandum laudatissimus SPANHEMIUS attulit versus APOLLONII *ex Libro IV. v. 1396*, ubi fabula illa enarratur:

\- - - - - - ῷ ἔνι ΛΑΔΩΝ
Εἰσέτι πε χθιζὸν ΠΑΓΧΡΥΣΕΑ ῥύετο ΜΗΛΑ,
Χώρῳ ἐν Ἄτλαντος, ΧΘΟΝΙΟΣ ΟΦΙΣ, ἀμφὶ δὲ ΝΥΜΦΑΙ
ΕΣΠΕΡΙΔΕΣ ποίπνυον, ἐφίμερον ἀείδουσαι

\- - - - - - *In quo campo LADON*
Ad hesternam usque diem AUREA custodiebat MALA,
In Atlantis regione, TERRESTRIS SERPENS, cui NYMPHÆ
HESPERIDES ministrabant, suavissime concinentes.

Monent eruditi APOLLONII enarratores l. c. non ipsum Herculem aurea illa mala cepisse, sed, Promethei monitu, dono accepisse ab Atlante, qui relicto tam diu cœli, quod humeris sustinebat, onere, aurea illa ex eadem arbore poma pactus sit. Cumque in eadem fabula caput serpentis ab Hercule legatur elisum, quis, illustri SPANHEMIO judice *l. c. p. 671. non continuo agnoscat in veteri illa fabula adumbratum primæ parentis pomum ex arbore serpentis suasu in Paradiso decerpentis, idemque Adamo tradentis factum?*

VI.

CHERUBORUM CONSTITUTIO AD CUSTODIENDUM PARADISI ADITUM

Gen. III, 24. §. 1.

§. I.

Ejectis ex paradiso protoplastis tanquam divinis hostibus, & amœnissima habitatione indignis, Deus cherubos & flammam gladii hac illac se vertentis ad custodiendam arboris vitæ viam ibi collocavit. Ea res, a Mose literarum monumentis prodita, irrisoribus visa est incredibilis, & divina sapientia prorsus indigna. Intelligere quippe non possunt, quam ob rem Cherubi veluti excubiatores & speculatores ad paradisi portas fuerint conconstituendi evaginato gladio, ut homines eo forte redituros repellerent. Diu nimis Angelico isti præsidio excubandum ibi fuisse nimirum per 1656 annos ad diluvium usque. Num quæso,

Sic vacat exiguis rebus adesse Diis?

Existimant divinæ sapientiæ magis consentaneum fuisse flumine aut fossa circum paradisum ducta & undis plena Adamum atque Evam, rei nauticæ imperitos, ab ejus ingressu arcere. Recitat hanc profanorum hominum opinionem W. NICHOLSIUS *in Conference with a Theist P. I. p. 233.*

§. II. De vocis כרוב significatione multæ sunt dissensiones inter eruditos. Cl. HARDTIUS pro ingenii novaturientis pruritu hosce Cherubos de Caini posteris interpretatus est. Quod lectori tanto magis mirum videbitur, quanto certius est, ipsum eorum parentem illo tempore, quando nepotes ad custodiendum paradisi ad tum finguntur constituti, ne natum quidem fuisse. THEODORETUS & PROCOPIUS *spectra horribilia*, MUSCULUS *volucres grandes & terribiles* intellexerunt Alii vero Cherubos rectius exposuerunt de Angelis, qui sub hac imagine in Scriptura S. nobis exhibentur, quemadmodum vel ex initio Ezechielis constat. Fallitur H. GROTIUS, quando existimavit, hic esse ἓν διὰ δυοῖν, & Cherubos cum flamma gladii esse *flammeum gladium*, quem interpretatur de ignibus ex bituminoso Babylonis agro accensis, qer quos solos datus fuerit aditus in Paradisum, qui Adamo hoc pacto clausus fuerit. Displicuit vero hæc opinio ipsi JO. CLERICO, perpetuo ceteroquin H. GROTII admiratori, cui vero videtur similius, Deum Angelos misisse, qui Babylonici aut similis agri bitumen accenderent, eoque quasi flammeo gladio ad arcendos homines uterentur. Alii commentatores de ignibus ex cœlo emissis cogitarunt. Fulgura certe perinde ac ignes ex terra bituminosa & sulphurea excitati homines ab ingressu

D 2

greſſu paradiſi arcere potuerunt. Hoc jam olim LACTANTIO in mentem venit, qui *Inſtit. Divin.* L. II. Cap. 12. ſcripſit, Deum ejeciſſe hominem de Paradiſo, ſententia in peccatores lata, ut victum ſibi labore acquirerent, ipſumque Paradiſum igni circumvallaſſe, ne homo poſſet accedere.

§. III. Quidquid ſit, hæc ſane ſententia longe præferri debet nugis Pontificiorum, ignem purgatorii hinc accenſuris, nec non opinioni TH. AQUINATIS, & TH. BURNETII, qui Cherubum cum flammante gladio expoſuerunt de Zona torrida, quam homines tranſire nequiverint, Hac enim ratione paradiſus in Auſtrali mundi hæmiſphærio collocandus eſſet. quamvis ne ſic quidem res bene videatur ſucceſſura. Nam Zona torrida non eſt inhabitabilis ſed pro incolarum indole ſic ſatis temperata. Ergo per illam protoplaſti ab introitu paradiſi non potuerunt prohiberi.

§. IV. WILL. NICHOLSIUS in *Collatione cum Theiſta P. I. p. 233.* gladium igneum exponit per flammam dividentem & ſecantem, *the flame of cutting or diviſion, or a dividing flame.* Gladium diviſionem notare probat ex Matth. X, 34 & Lucæ XII, 51. *So that this dividing flame, or fiery diviſion is but anſwerable to the wall of fire ſpoken of by the Prophet Zechary Cap. II. v. 5. which the Lord promiſed to make about Jeruſalem. It was the acceſſion of ſome inflamable matter, round about the garden, which excluded all comers to it, till ſuch time as the beauty, of the place was defaced.* NICHOLSII igitur ſententia eſt, circa Paradiſum ab omni parte, ubi adiri poterat, murum igneum fuiſſe, qualem Deus Zach. II, 5. ſuo populo promiſit, qui prohibuerit homines ab aditu Paradiſi, usque dum deſtrueretur. Si quæramus ex NICHOLSIO, quidnam Angelis negotii ſit cum ejusmodi munimento igneo, Paradiſum a terra inhabitata ſeparante, & quæ Angelorum juxta tale munimentum neceſſitas? Reſpondet, hunc eſſe Hebræorum ſcriptorum morem, ut opera Dei inuſitata ac ipſas plagas, *peſtilentiam, famem,* Angelo deſtructori adſcribant: *It is the cuſtom of the Hebrews to expreſſ all the extraordinary works of God by Angels, as to call a plague famine &c. a deſtroying Angel,* p. 235.

§. V. Hæc equidem expoſitio ingenioſa eſt & erudita, ſed a nativa ac ſimplici oratione Moſis longius recedere videtur. Memoratur Angelus paradiſi cuſtos cum flamma gladii ſeſe vibrantis. Quæ

Quæ autem ratio nos permovet, ut interpretemur de ignibus seu per fulgura ex cœlo emissis, seu ex terra sulphurea excitatis prope paradisum? Ejusmodi ignes minus diuturni sunt, & repente evanescunt. Sed flamma gladii se vibrantis diu perduravit. Dicitur enim וישכן *& commorari fecit Deus Angelos* non solum, seu Cherubos, sed להט *ipsam flammam*, si non ad diluvium usque, quæ CORNELII a LAPIDE ἄγραφος est assertio, tamen ad satis diuturnum temporis spatium, usque dum fertilitas & amœnitas paradisi destrueretur.

§. VI. Nos simpliciorem interpretationem afferemus Notum est, Angelis, divina judicia adversus homines exequuturis, aut rem, ne fiat, impedituris, in Scriptura S. tribui *gladium* aut aliud instrumentum nocivum, Angelicæ potentiæ & vindictæ de peccatoribus sumendæ indicium & insigne, Numer XXII, 23. Jos. V, 13. 2 Sam. XXIV, 16. Iidem tanquam ignei & flammantes describuntur, dicunturque Hebræis שרפים quasi *καίοντες*, & ardentes, ac flammæ ignis Psalm CIV, 4. Similitudinis ratio procul dubio petita est ab insigni Angelorum splendore, quem sua præsentia de se spargunt. Provocamus ad Angelorum apparentiam in Scripturis descriptam, quæ cum igneo ac rutilante splendore plerumque conjuncta fuit, Luc. II, 9. Inde erat terror & trepidatio spectatorum, qui tantam cœlestium Spirituum claritatem ferre non poterant, Luc. I, 12. Intelligimus igitur per *Cherubos illos* Angelos paradisi custodes, qui maximo splendore, qualis politissimi gladii ad solem vibrati flamma & coruscatio esse solet, homines reditum in paradisum tentaturos, minaciter territabant, & ab ingressu ejus arcebant, ac toties apparebant, quoties homines eo redire audebant. Quanquam nec B. LUTHERI expositionem a PELARGO laudatam, & ab AB. CALOVIO nostro in *Commentario ad h. l. p 442.* confirmatam, improbandam esse censeamus, qua Cherubin in via habuisse censentur non *ferrum*, quo arcerent accessuros. sed להט *gladii versatilis*, h. e. *fulgetrum*, seu *flammam*, qualis est fulguris, quæ incerta est, & perstringit oculos, eamque flammam habuisse formam gladii, qui moveretur assiduo, seu vibraretur, sicut in *Actis* linguæ Apostolorum apparuerunt divisæ, tanquam ignis.

VII.

DE CONSTITUTIONE QUATUOR ANNI TEMPORUM,

Gen. VIII, 22.

§. I.

GRata mente Divina ſapientia, & bonitas, in ſalubri temporum varietate conſpicua, adoranda eſt, cujus beneficio diverſa anni tempora *frigus & æſtus, hyems & æſtas* per vices redeunt quemadmodum DEUS, ſe perpetuo hoc præſtiturum eſſe, ſancte pollicetur l. c.

§. II Ubi ſciendum eſt, quod diverſa hæc anni tempora *hyems atque æſtas, ver & auctumnus*, pendeant ab obliquo, aut inclinato telluris ſitu ad Solem, ſive ad axem Eclipticæ, ſicuti iis, qui in erudito pulvere exercitati ſunt, ignotum eſſe non poteſt. Mutato igitur priſtino terræ ſitu, neceſſe eſt, ut ipſa antiqua temporum conſtitutio immutetur.

§. III Diſputari vero cœptum eſt ab aliquo tempore, quæſitumque, annon aliqua mutatio temporumque diverſitas in anni formam poſt diluvium demum, non obſcuro horum ipſorum verborum Gen. VIII, 22. indicio, inducta ſit? Ita opinatur TH. BURNETIUS *in Theor.* Lib. II. cap X. & allegatis DEI verbis, ſignificari contendit nullas temporum viciſſitudines ante diluvium in terra fuiſſe, ſed aliquam mutationem, aut inæqualitatem in anni formam poſt diluvium demum inductam eſſe. Ideo putat, ſitum telluris primigeniæ ad Solem, rectum fuiſſe, unde perpetuum Æquinoctium, & æquabilis totius anni, revolutio, nulla *Veris, Æſtatis, Auctumni Hyemisque* viciſſitudine turbata, non potuerit non oriri. Monet præterea, & recte quidem ac peropportune, hodiernam anni temporum viciſſitudinem, inde oriri, quod axis globi terreni ad Eclipticæ planum non eſt erectus, verum a perpendiculo verſus idem ad angulum XXIII. graduum cum dimidio, inclinatur. Quem obliquum *axis* poſitum rem maxime funeſtam, nobisque perniciofam eſſe BURNETIUS, ejusque ſectatores opinantur. Nam ſi poli ad planum Eclipticæ recti etiamnum eſſent, ut ante diluvium fuiſſe credunt, tum vero æternum ver ſummamque

que cœli clementiam, ac perpetuam serenitatem futuram esse, quin vivaces Methusalæ annos sperari posse. Pollicentur denique fructus omni tempore maturos, herbas succidas & virescentes, animalia maxima ac potentissima, si terra eodem Solis calore perpetuo foveretur, & ejus situs, non immutatus aliquando, sed etiamnum rectus esset. Conf. THO. BURN. l. c. L. II. cap. IV.

§ IV. Equidem non negamus, testimonia quædam veterum Philosophorum de mutato telluris situ hodienum superesse, quibus traditur, mundum versus partes meridionales, aut Polum Antarcticum, inclinatum aliquando, depressumque fuisse. Docuerunt DIOGENES ET ANAXAGORAS ἐκκλιθῆναι πῶς τὸν κόσμον ἐκ τοῦ αὐτομάτου εἰς τὸ μεσήμβρινον αὐτοῦ μέρος, *mundum quodammodo inclinatum fuisse quasi sua sponte in partes Austrinas, idque forsan a Providentia factum, ut mundi partes aliæ non habitari, aliæ habitari possent, ratione frigoris, ardoris, & commodæ temperiei.* PLUTARCHUS *de placitis Phil. L. II. Cap. VIII.* Idem confirmarunt suo assensu EMPEDOCLES, LEUCIPPUS, DEMOCRITUS aliique. Legatur PLUTARCHUS *de placitis Phil. L. III. capite duodecimo*, cui titulus ΠΕΡΙ ΕΓΚΛΙΣΕΩΣ ΓΗ͂Σ, *de inclinatione terræ.* Conf. TH. BURNET. *l. c.* L. II. *Cap. X. p. 141.*

§. V. Nos vero his veterum testimoniis, ex incerta ac perobscura traditione ortis, nondum movemur, ut Theoristarum opinioni, de inclinato demum post diluvium terræ situ, subscribamus. Multis enim, idoneisque rerum argumentis evincere possumus, perpetuum illud Æquinoctium, quod olim fuisse fingunt, ipsius Globi terraquei formæ repugnare, rerumque naturæ bellum indicere. A præsenti Axis positu inclinato gratissimæ juxta ac utilissimæ anni vicissitudines oriuntur. Sed inclinatione sublata Sol nunquam propinquior nobis fiet, quam vigesimo primo Martii, aut vigesimo tertio Septembris fieri consuevit. Ita vero perierunt non tantum populi sub utroque Polo, si qui ibi sunt, sed omnes etiam Polis viciniores, ac sigillatim Septentrionales, e quorum numero nos etiam sumus. Nec victum, unde vivant, terra amplius suppeditabit. Nam ut fruges, & fructus, & vina apud nos maturescant, æstas, quin & auctumnus nobis opus est, requiruntur longiores dies, minor radiorum Solarium obliquitas, propiorque Solis vicinia; ut ardoribus æstivis fruges ad maturitatem cogi, & fructus rite excoqui possint, id quod æquali ejusdem annui caloris distributione non

posset

posset fieri. Populi præterea, qui sub perpetuo Æquatore, aut prope eundem habitant, ob perpetuam Solis præsentiam intolerabili æstu enecarentur. Ex quibus patet, potiorem terræ partem vastam, desertam, & inidoneam futuram fuisse animantibus fovendis, & nutriendis, si perpetuum Æquinoctium a Deo primitus fuisset constitutum.

§. VI. Graviter non minus errant THEORISTÆ, cum vitæ nostræ brevitatem ab inæquali anni forma & intemperata vi frigoris atque caloris, corpus alternatim impetentium, provenire putant, contra vero longævitatis antediluvianæ originem, ac caussas a perpetua illa cœli clementia & æquabilitate, eademque naturæ facie ac tenore deducunt. Illo enim tempore, quo perpetua fuit cœli clementia, ac serenitas, temporum mutationibus, per vices sibi succedentibus nondum turbata, abfuisse ajunt inæquales aëris motus, ventos, imbres, ac insalubres terræ exhalationes, quibus nunc mutato terræ situ, atmosphæra corrumpatur, hominumque vita decurtetur.

§. VII. At vero frustra supponitur, ventos pluviasque ac reliquas atmosphæræ mutationes a solo Solis cursu dependere. In magnam caussarum partem veniunt ignes subterranei, qui immensam vaporum vim ex terræ visceribus, subinde extrudunt, lunæ item positiones, certosque marium & montium, lucuum & silvarum situs. Ponamus Solem ab Æquatore nunquam recedere, tamen a perpetuis alterationibus aër non erit immunis. Argumento sit maxima atmosphæræ nostræ intemperies, & impetuosus ventorum furor, qui mensibus anni nostri æquinoctialibus, *Martio* videlicet & *Septembri*, frequenter oriuntur. Explosa imaginaria isthac cœli tranquillitate, corruat necesse est constans ista hominum valetudo, & longævitas quam inde deducunt. Neque ex perpetua aëris tranquillitate, & æquabilitate caloris, factum esset, ut homines tam vegeti & vivaces fuissent, ac persuadere nobis conantur. Nam qui hodie Zonam torridam inhabitant, & ab æquinoctio perpetuo quam proxime absunt, provectiorem ætatem non attingunt, nec tanto corporis robore, animique virtute gaudent, ac illi, qui Polis sunt viciniores. Quod manifestum est indicium, graduales caloris frigorisque vicissitudines, nec valetudinem destruere, nec animi vires infringere, nec mortem accelerare, sed vitam, viresque potius augere & prolongare. Vid. RICH. BENTLEII *stultitia Atheismi p. 494.* DETHL. CLUVERUS *in Geologia Cap. VII. p. 12.*

§. IIX.

§. IIX. Nec ratio dari, nec satis explicari potest, *unde* & *quomodo* facta sit mutatio inter Solem atque tellurem, ipse TH. BURNETIUS interrogatus, qua machina, quave vi, quo modo item ac tempore facta sit Solis ex Æquatore in Zodiacum translatio, ignorantiam suam candide professus est. Nec ego crediderim, futurum unquam, ut aliquis sectatorum idoneam ejus mutationis rationem proferre possit. Contra diversæ anni vicissitudines ante diluvium non solum, sed in ipsa mundi creatione expresse commemorantur Gen. I, 14. Ait enim Deus, sidera fore in varios usus, & primo quidem לאתות *in signa*, ut sint vexillorum instar, sub quibus Deus gressus nostros dirigat. & indicet eam terræ partem, qua ire est animus: Deinde לימים ושנים *in dies & annos*, ut continuas temporis quantitates, cursui siderum, per vices sese volventium, æquales efficiant: & denique למועדים *in tempora determinata atque statuta* quæ astrorum motu dividuntur, ac quibus certis sideris moti terminus, progressusque definitur. Cum autem hæc statuta tempora (מועדים) annis atque diebus opponantur, vix aliud quid sub iis intelligi posse putamus, quam quatuor illas anni partes, *Verem & Æstatem, Autumnum atque Hyemem*, in quas integer annus a Deo jucunda quadam ac perutili varietate divisus est. Quæ omnia THEORISTAS erroris convincunt, ac sigillatim BURNETIUM, qui quatuor illas temporum vicissitudines ante diluvium fuisse negat, & post-diluvianis primum apparuisse, novo rerum ordine inducto, opinatur. Vid. WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist* P. II. *p. m.* 188. & JOHN RAY *Wisdom of God manifested in the Works of the Creation p. m.* 144.

VIII.

DE IRIDE, FOEDERIS DIVINI SIGNO, Gen. IX, 10. 14. 16.

§. I.

POst solem totum hoc universum nihil elegantius habet, quod magis delectet, & quod spectatores in majorem sui admirationem rapiat, quam *Iridem*, signum illud fœderis, quod Deus, orbe terrarum eluvione perdito, cum genere humano fecit. Quid

ergo mirum, si Peruani in America, excellenti Iridis elegantia, divinaque specie decepti, illam, ut Deam quandam, coluerunt?

§. II. Si ullum autem in scientia naturali argumentum copiose ornateque tractatum fuit, de Iride certe hoc debet affirmari. Quis nescit, ut veteres sileam, RICCIOLI, H. FABRI, P. GASSENDI, HAMELII, MARIOTTI, ECKHARDI, HAMBERGERI, STURMII, & quem primo loco commemorare oportebat, REN. CARTESII industriam felicissimosque conatus? De hoc enim affirmant omnes intelligentes, & æqui harum rerum existimatores, eum hujus phænomeni rationes & modum, quo colores *Iridis* producuntur, tam subtiliter & accurate pervestigasse, ut hoc inventum inter omnium elegantissima, quæ ab ingenio ejus profecta sunt, jure meritoque numerari possit. Ab his igitur discendum est, quomodo Iris gignatur, quidve ad generandam eam requiratur, ut Scripturam, quando de cœlesti hoc phænomeno loquitur, recte interpretemur, & profanas opiniones, si invalescant, idonea ratione rejiciamus & confutemus.

§. III. Diu multumque ab interpretibus Scripturæ disputatum quæsitumque fuit, *fueritne Iris ante diluvium nec ne?* Quæsitum a maxima Theologorum parte negatur. Existimant enim, *quod DEUS non soleat dare signa, quæ prius fuerant, sicut quivis homo facere potest; sed quæ prius non erant, ut divinum quid sint, ut animos ad DEUM elevent.* Et cum Præteritum נָתַתִּי, *dedi*, videri possit favere sententiæ, quod *Iris* jam ante diluvium fuerit, q. d. *Dedi pridem arcum meum in nube, qui erit jam in signum*, &c. resolvunt illud in Participium נֹתֵן, quod versu antecedente XII. exstat. Vid. SEB. SCHMIDII *Annotationes in Genesin h. l.*

§. IV. Permulti præterea ex recentioribus Philosophis asserunt, Deum erroneæ vulgi opinioni se accommodasse, quando ait, se arcum *in nubibus* posuisse, & in posterum positurum esse. Negant enim arcum cœlestem revera in nubibus effici & exhiberi, sed rerum argumentis commoti non fallentibus, contendunt, non nubem, sed ut rorantem, & guttulas per aërem lente demittentem, aut potius ipsas guttulas per aërem descendentes, seu roscidum aërem tantum, idoneum esse Iridis pingendæ subjectum, & quasi tabulam, quæ elegantissimam hanc picturam excipiat, exceptamque inspectantium oculis sistat. Spectatores autem veras rerum naturalium causas profunde ignorantes decipi externa ejus apparentia, adeo, ut

ut eam ad nubes magno mentis errore referant, nec ipsæ diviniores literæ ab hoc vulgi errore alienæ videantur. Vid. STURMII *Admiranda Iridis Sect. pr. cap. I. Phæn. V.*

§. V. Verum omnino est, multisque experimentis dudum confirmatum, aerem roscidum, vel nubem rorantem esse illam tabulam, in qua *Iridem* depictam contemplamur. Indicio & argumento esse potest, quod vel alterutro, vel utroque sæpe crure in terræ usque planitiem extendatur, & ante montes, certasque arbores, atque turres in aere spectetur. Et quoties spectatur *Iris*, toties pluvia de cœlo decidat necesse est. Nec adversatur huic sententiæ, Irides splendente Sole visas esse. Tametsi enim cœlum serenum est, & sudum eo in loco, e quo Iris conspicitur: ideo tamen colligi haut debet, cœlum ubique tale esse, ut ne ibi quidem, ubi Iris apparet, pluat. Nam lumen Solis in aqueis istis nubis rorantis guttulis receptum, post duplicem Refractionem, ac unicam Reflexionem, in varios illos colores abit, qui in *Iride* observantur. Intelligi hoc, satisque confirmari exinde potest quod Iris extemplo sistatur, si quis tergum Soli obvertat, & aquam, vel quod præstat lixivium in aerem a Sole illustratum, vel mediante ore, vel per certa epistomia, innumeris foraminulis pertusa, spargat. Tametsi enim, propter aeris roscidi viciniam, minores sunt ejusmodi Irides, quas artis, naturam imitantis, beneficio exhibemus: eædem tamen colorum varietates, idem eorum ordo observatur. Ad Iridem igitur in cœlo spectatam requiritur, ut a Spectatoris tergo Sol, interdum etiam luna, quamvis rarius, constituatur: Spectator vero ante Iridis centrum in eadem linea consistat. Nam Sole occasui vicino, *iris* in ortu: oriente illo, in occasu spectatur. Quoties igitur Sol, spectatoris oculus, atque nubes rorans, legitime in eadem linea constituuntur, ut radii solares in guttulas sphæricas incidentes, ex illis refracti ad oculum videntis, sub certo angulo, reflectantur; toties, immutabili naturæ ordine, generabitur Iris. Vid. ROHAULTI *Tr. Phys. Part. III. cap. XVII. § 3. p. 429.* SAM. REYHERI *Mathesis Mosaica de Iride p. 138.*

§. VI. Ex iis, quæ dicta a nobis sunt, manifestum fit, arcum cœlestem non esse a Deo post diluvium demum conditum, sed multo antea, imo jam inde ab exordio mundi visum fuisse. Nam causæ, quibus actu positis ex naturali necessitate hodienum Iris efficitur, jam ante diluvium & fuerunt, & dubio procul sæpe concurrerunt. Aut igitur credendum est, Deum, quoties istæ causæ ita concurrerent,

rent, productionem *Iridis* per miraculum impedivisse: aut dicendum, eo tempore & Solem, & nubes pluviosas, & spectatores, adeoque omnes res ad meteoron hoc generandum & spectandum necessarias plane defuisse: aut affirmandum, *Iridem* jam ante diluvium, & in paradiso etiam visam esse. Ultimum hoc nos affirmamus, nec videmus, quomodo quis de asserti veritate dubitare amplius possit, si eundem terræ nostræ situm ac constitutionem, hodiernæ nulla in re dissimilem, jam olim obtinuisse credit. THOMAM BURNETIUM, aliosque Theoristas a nobis dissentire, mirandum non est. Statuunt enim, tellurem olim non ad obliquam Solis orbitam, uti postdiluviana se habet, inclinatam, sed rectam fuisse. Atque ex istiusmodi positu ea felicitatis Paradisiacæ phænomena derivant, quæ sub perpetuo æquinoctio summam cœli clementiam, jucundamque ac perennem temporum serenitatem nulla tempestatis, æstatis, brumæve vicissitudine turbatam, consequuntur. Hanc vero Theoristarum hypothesin paulo ante, idoneis rerum argumentis nisi, rejecimus. Videatur WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist P. II. p. 181.*

§. VII. Nostræ sententiæ sacer textus non adversatur, sicut multi opinantur. Non enim sequitur: *DEUS arcum cœlestem posuit in signum fœderis. E. antea non fuit.* Novus enim respectus, & quidem fœderalis ad *Iridem* dudum antea visam h. l. accessit. Res Davidis exemplo illustrari potest, qui 1 Chron. XV, 15. de victoria securus fuit, postquam fluctuationem foliorum, & susurrum venti, mororum cacumina commoventis, sibi a Deo in signum victoriæ datum percepisset, quamvis tale quid ante illum casum jam sæpe contigerit.

§. IIX. Nulla denique apparet ratio, cur dicamus, DEUM, quando pollicitus est, se arcum suum in nubibus positurum esse, erroneæ vulgi opinioni se accommodasse. Nam tota Iris ne oculis quidem in nubibus apparet, sed maxima arcus pars in aëre, ac in ipsam terræ planitiem, vel utroque, vel alterutro suo crure exporrecta, distinctissime conspicitur. Cur igitur fingunt, & tantopere clamant, Scripturam ejusmodi vulgi errorem approbasse, qui ne quidem in vulgo est, nec ex deceptione Optica oriri potest? Deinde ענן, qua voce Spiritus S. usus est, notat perinde ac איד vapores, maxime aquosos, e terra in altum sublatos, ut nubes efficiant, & in pluviam vicissim, vel imbrem resoluti, decidant. Conf. Gen IX, 14. Gen. XXIV, 15, 16, 18. Sic apud Græcos νεφέλη itidem significat nubem

nubem rorantem atque in pluviam resolutam, & in terram guttatim destillantem 1 Cor. X, 1. qua Israelitæ contra ardorem Solis in arenosis Arabiæ desertis fuerunt obtecti & obnubilati, ac recreati, secundum Sap. X, 17. & Psalm CV, 39. Quid enim aliud est, ἐν τῇ νεφέλῃ βαπτίζεσθαι, nisi guttis ex nube decidentibus conspergi ac humectari? Hoc magna veri similitudine probari posse videtur ex Psalmo LXVIII, 10.

IX.
DE LOCO DAN, QVOVSQVE ABRAHAMVS HOSTES PERSECVTVS DICITVR,
Gen. XIV, 14.

§. I.

PAulo ante indicatum fuit, SPINOZAM *in Tr. Theol. Polit. Cap. VIII.* omnes ingenii nervos eo intendisse, ut Pentateuchi Libros Mosi Auctori abjudicet, & vel Esdram, vel quemvis alium sequioris aevi eorum consarcinatorem in ejus locum substituat. Inter alia argumenta, quæ ad opinionem confirmandam attulit, illud etiam comparet, quod ex Gen XIV, 14 desumtum, huc redit: *Quod quædam loca Pentateuchi non iis indicentur nominibus, quæ vivente Mose obtinebant, sed aliis, quibus dudum postea insignita sunt. Ut quod Abrahamus hostes persecutus est usque Dan. Gen. XIV, 14. Quod nomen hæc urbs non obtinuit, nisi longe post mortem Josuæ, Jud. XVIII, 29.*

§. II. H. WITSIUS etsi Scripturæ auctoritatem solide vindicavit contra HOBBESIUM, SPINOZAM, R. SIMONIUM JO. CLERICUM, aliosque: nihilo tamen minus quatuor Loca ex universo ejus volumine superesse putat, in quibus agnoscenda aliqua interpolatio sit. Eo refert nostrum etiam Locum a SPINOZA atque CLERICO objectum. Nos vero gravitate periculi, quod ex tam audaci asserto, ac temeraria concessione metuendum est, deterriti, dissentimus a WITSIO, daturi operam, ut locum vexatissimum Mosi vindicemus. Si enim serioris manus interpolationem in uno alterove Scripturæ loco

 admi-

admiſeris, non video, quid obſtet, quo minus alibi idem factum eſſe, vel certe fieri potuiſſe ſuſpicemur.

§. III. P. D. HUETIUS *Dem. Ev. Prop. IV. cap. XIV. p. 306.* vocem *Dan* e limbo in contextum intruſam forte eſſe opinatur. Conſtare enim ex decimo octavo Libri Judicum capite, longe poſt Abrahamum, & Moſem etiam, *Dan* appellatam urbem hanc, quæ prius *Lais* dicebatur. Fieri etiam potuiſſe conjectat, ut Esdras, dum Libros ſacros recognoſceret, vocabulum *Lais* ſua ætate propter vetuſtatem & deſuetudinem ignotum, tria & uſitata voce mutaverit. Cum vero hac reſponſione argumentum a SPIONZA propoſitum ſatis refelli poſſe diffidat, mavult Joſephi ſubſidio uti, qui vult *Dan* eſſe alterum ex Jordanis fontibus. Ex duobus quippe fontibus & rivulis JOR & DAN *Jordanis* nomen, ac ipſum flumen coaluiſſe, non ſolum JOSEPHI opinio eſt, *L. I. Antiqu. cap. II. ſed etiam* HIERONYMI, & PHILOSTORGII apud Joannem Antiochenſem *περὶ ἀρχαιολογίας*. Id ſi verum eſt, antiquiſſima fuerit *Danis* appellatio, cum præſertim Gen. XIII, 10. Jordanis mentionem diu ante Moſis ætatem factam eſſe legamus.

§. IV. In his omnibus H. WITSIUS non deprehendit, quod animo ſatisfaciat. Fatemur & nos, multa contra conjecturas Huetianas excipi poſſe. Illis proinde miſſis ſimpliciore modo reſpondemus, *nec a Spinoza, nec ab ullo alio probari poſſe, illam* DAN, *ad quam usque Abrahamus hoſtes perſequutus eſt, eandem fuiſſe* DAN, *quæ Lais antiquitus dicta, de nomine Dan. Jacobi filio, nomen poſtea accepit,* quemadmodum legitur Jud. XVIII, 29. Suadet Moſis auctoritas, & incorrupta verbi Divini fides, ut credamus, præter urbem *Lais* alium olim fuiſſe locum, qui jam Abrahami tempore *Dan* vocatus ſit. Hæc reſponſio Witſio eo minus diſplicere debet, quod ipſe ſimili plane uſus eſt, quando reſpondit ad locum Gen. XXXV, 21. a JO. CLERICO objectum, ubi mentio fit turris *Eder*, quod idem nomen turris quædam Hieroſolymitana, diu poſt Moſis mortem exſtructa, geſſit Mich. IV, 8. Nihil enim in citato Geneſeos loco eſſe putat, quod credere jubeat, illam turrem deſignari, quæ deinceps Hieroſolymæ exædificata eſt. Fuiſſe forte Jacobi ætate in illo tractu turrim aliquam, quæ a gregibus nomen haberet, cum vox *Eder* gregem notet. Sic nos ratione haut diſſimili arbitramur nihil in loco Gen. XIV, 14. eſſe, quod credere jubeat, urbem *Danem* deſignari, quæ olim *Lais* appellata fuit. Præter

ter urbem *Lais* alius locus procul dubio olim fuit, qui jam Abrahami tempore *Dan* vocabatur. Vid B. PFEIFFERUS in DUB. VEX. *L. XXXVII. p. m.*

X.
DE VOCIBUS אֵל שַׁדַּי
Gen. XVII, 3.

§. I.

VAria sunt DEi apud Ebræos nomina, quibus seipsum partim manifestavit, & quibus partim ab aliis appellatus est, qualia sunt שם, אל, יהוה, אלוה, ארן, יה, אלהים, עליון, שמים; מקום, אהיה, אהיה אשר אהיה, circa quæ lectu non indigna afferri possent; si in spatiosum hunc disserendi campum excurrere vellemus. Adeundus est interea ANGELUS CANINIUS, *qui in Disquisitionibus suis in locos aliquot obscuriores Nov. Test. p. 29.* appellationes DEI Ebraicas, Rabbinicas, Arabicas, & Æthiopicas accurate recensuit, & erudite illustravit.

§. II. Recte observavit JO. HENR. HEIDEGGERUS quæcunque in Scripturis S. de unitate, potentia, bonitate, gratia, majestate, & gloria DEI dicuntur, in hoc unico verbo comprehensa esse, אני אל שדי, Gen. XVII, 3. *Exercit. Bibl. Disser. VI. p. 3*, quo DEUS semetipsum appellavit, quando Abrahamo apparuit, & cum amplissima gratiæ suæ promissione eum allocutus est. Et hæc verba digna interpretibus visa sunt, quæ studiose excuterent, erutaque vera eorum origine, recte explicarent. Nos eorum vestigiis insistemus, eorumque sententiam non tantum recensebimus, sed etiam, quid nobis videatur, breviter strictimque exponemus.

§. III. Primo de vocis אל origine ac significatione disputatum fuit. R. MOSES BEN NACHMAN, cui RIVETUS imprimis suffragatur, idem esse putavit, quod הקיף *fortis, robustus.* Quod ut probet, provocat ad. Ex. XV, 15. ubi אילי מואב *fortissimi Moabi* commemorantur, sicut Ezech. XVII, 13. אילים הארץ *fortes & Principes terræ.* Hæc opinio antiquissima est, & illa ætate jam invecta, qua LXX. Interpretes vixisse statuuntur, quippe qui אל per *ἰσχυρὸς* frequenter interpretati sunt. Postea communi fere omnium consensu recepta fuit, ac pervulgata esse

eſſe cœpit. Argumentum vero, quo permoventur, ut ita ſentiant interpretes, levitate ſua ſententiam eorum elevat. Nam אֵל a radice אַיִל *robur* deducunt, cui derivationi ſequentes rationes obſtant. In voce איל eſt *Jod* radicale, quod taman in nomine Divino אל, ubivis in Scripturis obvio, nunquam comparet. Deinde hæ vocales (ַ , ֶ) nusquam commutantur in Tſere. Præterea ſi DEI nomen אֵל originem ſuam duceret ab איל, non foret ipſius Divinæ naturæ nomen, ſed Divinum dumtaxat ἐπίθετον, Deique ſolum fortitudinem, non ipſam Dei eſſentiam ſignificaret, quod tamen perpetuo Scripturæ uſui repugnat, ubi non tantum de ipſius DEI natura conſtanter adhibetur, Pſalm. XXII, 1. Pſalm. CXL, 7. Nehem I, 5. ſed etiam, quod notatu digniſſimum eſt, de ſolo DEO conſtantiſſime, & de homine nunquam uſurpatur. Id quod partim ex hac oppoſitione per ſe patet Ezech. XXVIII, 2. ואתה אדם ולא אל, *Tu homo es, & non DEUS* partim a JAC. GÜSSETIO ***in Comment Linguæ Ebr.*** f. 43. abunde probatum fuit. Porro non poſſet אל conjungi cum Adjectivo ejusdem ſignificationis, cujus eſt אַיִל, niſi per ταυτολογίαν meram. Sed אל accipit tale Adjectivum Eſ. X, 21. אֵל־־אֵל גִּבּוֹר *El fortem*, quod indicio eſt & argumento אֵל ab אַיִל non eſſe ortum. Nec locus Exod. XV, 15. quem in ſubſidium vocant, adverſæ ſententiæ patrocinatur, quia ingens eſt inter אֵל & אֵילִים diſſimilitudo, cum illud ſine *Jod*, media radicali expreſſa, ſcribatur, & ex analogia Grammatica ab אַיִל potius derivari debeat, quod *arietem* & tralate *Principem*, ſive *fortem* ſignificat, quemadmodum voce כרים *Duces* aliquoties denotari conſtat. Cauſſa denique non eſt, cur in verſione LXX. virali præſidium quærant. Etſi enim οἱ ἑβδομήκοντα אֵל interdum vertunt ἰσχυρὸς, & interdum Κύριος, frequentius tamen interpretantur Θεός. Unde rectius colligitur, אֵל, perinde ac Θεὸς Græcorum, proprie ſignificare DEUM

§. IV. Non dubito, fore nonnullos ardentiore pietate incenſos, qui cogitabunt, אל, nomen plurale, & idem eſſe poſſe, ac ipſum אֵלֶּה, quod ſignificat ILLI, ISTI, ut hac ratione elegans Divinæ & adorandæ Trinitatis argumentum ex hac ipſa voce deſumi poſſe videatur. Duplex tamen obſtat impedimentum, quo minus expo-

expositionem tam amabilem amplectamur. Sic enim אֵל esset tertiæ personæ Pronomen, consequenter nec DEUS ipse de semet, nec alii DEUM alloquentes, illud usurpare potuissent, quod tamen secus est. Præterea assumeret affixum more Pluralium, ut diceretur אֵלָיו & אֵלַי, cum tamen contra אֵלִי semper proferatur, manifesto certoque indicio, piam istam meditationem firmo fundamento haud inniti. Vid. JAC. GUSSETIUS l. c. f. 43.

§. V. Quamvis laudatus GUSSETIUS vocem אֵל pro radice fere habeat, perinde ac שֵׁם *nomen*, עֵץ *arbor*, יָד *manus*, עֵט *stilus*, cum existimet nomen DEI, origine carentis, originis non egere: nihilominus tamen posse radicem dari arbitratur, nempe אֶל Præpositionem *ad*, quia DEUS is est, ad quem omnia referuntur. Provocat ad JOSUÆ PLACÆI *Disp. in Socin. Tom. III. Arg. II.* §. *24. 25. 26.* Nostra opinione אֵל non aliunde orginem duxit, quam ab אֱלוֹהַּ vel אֱלוֹהִים, litera ultima ה, ac terminatione plurali ablata, eundem fere in modum, quo יָהּ ex tetragrammato יהוה ortum esse suspicamur. Consentit Seb. SCHMIDIUS *Tr. de Circumcis. p. 11.*

§. VI. Longe difficilior illa est controversia, quæ de vocis שדי origine ac significatione agitatur. R. SALOMON JARCHI in h. l. aliique ex Ebræorum Magistris, quos nuper admodum GUSSETIUS l. c. f. 185. secutus est, vocem ex שׁ & דַּי compositam esse putant, atque de DEO, qui non sibi tantum αὐτάρκης, sed omnibus quoque creaturis, quæ appetunt bonum, quo beentur & expleantur, omni inopia ac egestate sublata, sufficientissimus est, interpretantur.

§. VII. Etsi hæc interpretandi ratio satis commode DEI naturam exponit, tamen cum analogia Grammatica minus convenire videtur. Nam nomina Propria ex participiis non solent componi. Deinde שׁ præfixum communiter per *Segol*, raro autem per Patach pronunciatur. Inprimis hoc in loco non opus fuisset Relativo, quia sola vocula די idem significat. Sic DEUS dicitur יהוה, non שֶׁיְּהוָֹה, *qui est Jehova*, גִּבּוֹר simpliciter, non vero שֶׁגִּבּוֹר, *qui est potens* dicitur. Conf. SEB. SCHMIDIUS *l. c. p. 17. 18.*

§. IIX. Non desunt qui per תַּקִּיף *fortis* exponunt, locis quibusdam Scripturæ moti Ezech. I, 24. Jobi XXII, 25, & analogia vocis דְּנִי inducti. Hac ratione DEUS παντοκράτωρ significaretur, quemadmodum LXX. Seniores in Jobo sæpius reddiderunt, ejusdemque potentia indicaretur. Sic intellexit B. LUTHERUS, sic Judæi etiam in versione Ebræo-Germanica transtulerunt.

§. IX. Ab hac sententia non multum discedunt, qui שדי per שׁוֹדֵד exponunt, & per illud DEUM victorem prævalentem ac dominatorem summo imperio gaudentem, intelligunt. Gravissima vero ratio obstat, quo minus huic explicationi subscribamus. Nam שדד noxiam potentiam, omniaque desolantem in Scripturis denotat, & *de vastatione, per solos hostes facta*, non per pestem, aut grandinem, aut aquarum eluviones usurpatum reperitur. Provocamus ad Inductionem. Ergo nomen שדי a שדד deductum ne DEUM quidem deceret, sed Diabolum potius, qui nomen שֵׁד inde etiam revera sortitus est. Tam arcta quippe nominum, DEI atque Diaboli, cognatio admitti, statuique non debet. Vid. GUSSETIUS l. c. f. 185. & 831. 832.

§. X. Etsi in maxima hac Interpretum dissensione veram sententiam eligere, res est perdifficilis: tamen, si aliquid definiendum est, mallem præ ceteris SEB. SCHMIDIO suffragari, qui in lite hac Grammatica leges Grammaticas secutus vocem *a radice* שדה, voce Ebræis quidem inusitata, sed Chaldæo-Syris notissima, unde etiam שַׁד *mamma* ortum habet, derivat. Radix illa significat *fundere*, *effundere*, *projicere*, *jaculari*. Hoc modo formæ דְּנִי esset, & DEUM JACULATOREM AC FULMINATOREM eleganter notaret, non insveta, sed pervetusta DEUM appellandi ratione, & a gentibus olim non minus, ac Veteris Ecclesiæ Doctoribus usurpata. Huc refero Job. VI, 4. חִצֵּי שַׁדַּי *tela* SCHADDAI, *jaculatoris DEI mecum sunt.* Conf. Ezech. I, 24. X, 5.

§ XI. Duo hæc nomina אל שדי conjunguntur non per ταυτολογίαν, sed hanc ob causam, ut verus DEUS a Diis gentium λεγομένοις atque fictitiis, quibus אֵל commune erat, distingveretur. Nec aliam ob causam factum esse existimamus, quod DEUS, quando nomi-

nomine hoc אֵל se appellavit, variis limitationibus & adjectionibus usus est. Ita אֵל עֶלְיוֹן *DEUS summus* Gen. XIV, 20.22. אֵל עוֹלָם *DEUS seculi*, seu *æternus* Gen. XXI, 33. Persæpe legitur אֵל חַי *DEUS vivus*, אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *DEUS DEUS Israel*, & sic porro, quæ omnia de singulari DEI majestate testantur. Et hoc argumento DEUS utitur ad Abrahamum permovendum, ut porro, sicut huc usque fecerat, vitæ sanctimoniæ studeret. Dicit enim DEUS: *ambula coram me, & esto integer*, non quod hactenus talis non fuerit, sed quod *talis esse* pergere, & fœdus nunc ineundum servare debeat. Conf. SEB. SCHMIDII *Annotationes in Genes. h. l.* & SOUCIETUS, Jesuita Gallus, qui in *Recueil de Dissertations Critiques*, peculiari Dissertatione inquisivit in natales & significationem harum vocum *p. m. 200, & 202.*

XI.

DE SARÆ NONAGENARIÆ PULCRITUDINE, QUA REGEM ABIMELECHUM IN AMOREM PERTRAXISSE CREDITUR,

Gen. XX, 2.

§. I.

SAram singulari pulchritudine a Deo donatam, & absolutissimum sexus elegantioris decus fuisse, cum per se facile admittitur, tum ex cap XII *Geneseos* v. 11. perspicue cognosci potest. Sed forma illa quæ juvenili ætate subsistit, in senectute obliteratur atque amittitur, secundum Poëtam:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.

Propterea difficulter admodum credi potest, Saram nonagenariam tanta adhuc formæ elegantia conspicuam fuisse, ut Regem primo intuitu in amorem sui rapere potuerit.

§. II. Hoc argumento permotus HUGO S. VICTORIS existimat in *suis Annotationibus in Genesin* super hunc ipsum locum, Mosen narrasse hanc historiam non in loco suo, nec servato temporis ordine, sed præpostere, & per recapitulationem. Quod

 enim

enim hoc tempore ſcriptum eſt, ante multos annos geſtum fuiſſe, illo circiter tempore, cum Sara eſſet Septuagenaria, vel minor etiam natu. Vid. JO. AD. OSIANDER *in Commentar. in h. l. P. I. f. 370.*

§. III. R. SIMONIUS. Presbyter Congregationis Oratoriæ uti divinioris Scripturæ Libros prolixiorum Inſtrumentorum compendia tantum eſſe putat omniaque in illis inordinata, confuſa turbataque deprehendit: ita hujus etiam loci difficultatem ex veterum Voluminum mutatione ortam eſſe, confidenter aſſerit. Manifeſtiſſimam enim transpoſitionem ſibi deprehendiſſe viſus eſt, quando ſcribitur cap. XX Geneſeos: *Regem Abimelechum Saræ amore captum fuiſſe*, cum paulo ante Hiſtoricus dixiſſet, Saram perinde ac Abrahamum provectæ ætatis fuiſſe Gen. XVIII, 11.

§ IV Nam, ſi Critico noſtro credis, temporum ordinisque ratio non ſemper habita fuit, quando Scripturarum collectio facta, eademque populo tradita eſt. Opinatur quippe, ſe modum obſervaſſe, quo olim Libri in parvis membranis ſcribi ſolebant, quarum aliæ ſuper alias circa lignum aliquod convolvebantur, nec inter ſe conſuebantur tam diligenter, tam arcte & accurate ac hodie JUDÆI hæc volumina conſuunt & connectunt. Hinc facile fieri potuiſſe, factumque eſſe credit, ut turbatis voluminum partibus, neque repoſitis ſuo loco, ipſarum pericoparum ordo miſere turbatus ſit. Quamobrem perturbationem, & confuſionem, quæ in pluribus locis occurrit, non ipſis Librorum ſacrorum Auctoribus, ſed potius communi veterum omnium Librorum facto, aut infortunio adſcribendam eſſe. Mavult igitur SIMONIUS cum HUGONE Moſis narrationem de Saræ nonagenariæ pulchritudine, turbato voluminum ordini tribuere, & per ejusmodi transpoſitionem excuſare quam ad neſcio quod miraculum confugere, & cum Judæis aliisque comminiſci, DEum ſingulari providentia Saræ priſtinam & juvenilem formam reddidiſſe, aut per omnem ætatem, quoad vixit ſine ulla jactura, conſervaſſe, in teſtimonium eximiæ ſobrietatis, caſtitatis & ſanctitatis: fortaſſe etiam ad multiplicem virtutis Abrahami ac Saræ probationem, propter pericula vitæ & pudicitiæ, quæ variis in locis, & apud varias gentes, ob præſtantem Saræ pulchritudinem, iis obtigerunt. Vid. R. SIMON *in præf. Crit. V. T. & L. l. c. l. p. 5*

§. V. Hic SIMONII conatus, quo veterum voluminum Ebraicorum ratione ad dilacerandum Vet. Teſt. contextum, temere licen-

licenterque abusus est, malignus semper & impudentissimus nobis visus est. Equidem vix ullus est scriptor celebris inter Græcos & Latinos. in quo Critici non putent, se varias transpositiones a Librariorum incuria natas invenisse. Sed doctiores alii non semper admittunt ejusmodi observationes, quasi certas & indubitatas, nisi auctoritate veteris alicujus MSti codicis, & fide dignissimi, confirmentur. SIMONIUS vero, qua est audacia & impietate, minorem cautionem ac reverentiam adhibet, ubi de Libris sacris agit. Nam invitis omnibus codicibus MSS. & invita accurata illa Masoretarum Critica, licenter immutat, & audacter transponit, quidquid cum ipsius judicio, rerumque ordine minus convenire videtur. Legatur EZ. SPANHEMII *Epistola ad amicum de Simonii Hist. Crit. V. T. p. 33.*

§. VI. Illud certum est, & extra controversiam positum, Libros veterum non compactos; sed circa cylindros volutos, atque ubi usus requirebat, evolutos fuisse. Eam ob causam Vet. Test. singuli & universi מגלה *volumen* appellantur. Psalm XL, 8. Seniores Græci LXX מגלה κεφαλίδα, inusitata admodum ac peregrina voce, interpretati sunt, quam FULLERUS *in Miscell. L. II. c. 10.* non a κεφαλὴ *caput*, sicut multis visum est, sed ab Ebræo כפל derivandam esse, erudite ariolatus est, ut κεφαλὶς idem sit, quod כפול διπλέμενον, *duplicatum*, seu *complicatum* & *convolutum*, in puriori Græcia δίπλωμα, *Diploma*, quod membranis complicatis constare solet. Voluminis antiqui figuram ære expressit IS. VOSSIUS *in Observ. ad Catullum.* Conf. LIGTFOOTUS *in Horis Talmud. ad Luc IV, 17 & 20.* JO. HENR HEIDEGGERUS *in Exercit. Bibl. T. I. Differt. VII. §. LXXII. p. 210.* B. CALOVIUS *Bibl. illustr. ad Psalm XL. f. 999.* HOTTINGERUS *in Thes. Phil. p. 101.*

§. VII. At vero pervetustus hic libros convolvendi mos SIMONIO hautquaquam patrocinatur. Eadem enim facilitate, qua affirmat forte contigisse. ut confuso voluminum ordine, ipse quoque rerum ordo perturbatus sit, nos illud negamus, & forte non ita contigisse, credimus. Nulla enim idonea ratione probari potest, quod Ebraica Apographa parvis adeo membranis, sibi mutuo impositis, nullo glutine aut consutione junctis, sed maxima negligentia tractatis, olim consignata fuerint. Qui summam hodiernorum Judæorum, & infidelium quidem, in describendis ac conservandis legis voluminibus, fidem, curam, industriamque non igno-

ignorat, ille de veterum, adhuc fidelium, fide & cura eo minus dubitabit, quando præterea secum cogitat, quod DEUS eloquia sua illis quondam crediderit, & quod ipse Servator ac Apostoli nulla in re fidem eorum atque industriam unquam desiderarint. Deinde veteres non membranis exiguis, uti SIMONIUS opinatur, particulas exiguas, sed in unico volumine Libros integros scripserunt, membraneasque ac singulas earum partes accurate & subtilissime consuerunt. Hoc docent nos Talmudistæ & testimonia veterum. Conf. HEIDEGGERUS *l. c. p. 212.* Et ponamus, casu fortuitoque aliquando contigisse, ut membranæ a Scriptore quodam negligente male consuerentur, nec bene satis cohærerent, quomodo, quæso Te, fieri potuit, ut confusio ista in innumera, imo in omnia ScripturæS exempla se diffunderet, & ut omnes exscriptores in idem negligentiæ vitium conspirarent, vitiosasque ejusmodi transpositiones, & mutilationes codicis admitterent? Vetustissimi quippe codices MSS. eundem servant ordinem, quem confusum, turbatumque esse SIMONIUS vociferatur. En vero Critici nostri absurditatem, qui ὑπομνηματογράφυς seu scribas, sacrorum voluminum auctores finxit θεοπνεύςυς, & eos tamen adeo negligentes ac incautos fuisse tradit, ut & complures admiserint errores, & de ordine actorum Divinæ Majestatis religiose custodiendo parum solliciti fuerint, quam supinam Notariorum negligentiam ne mortalis quidem Princeps æquo animo ferret.

§. IIX. Explosa SIMONII hypothesi, atque Scripturæ integritate ac Divinitate breviter strictimque asserta & vindicata, nil restat amplius, quam ut idoneam rei dubiæ explicationem investigemus. Ante omnia ostendemus, hanc XX. cap Genes historiam secundum temporis, reique gestæ ordinem descriptam, & suo loco insertam esse. Nam Abrahamus ex eo tempore, quo se a Lotho fratre separavit & in convalle Mambre juxta Hebron habitare cœpit, Gen. XIII, 18. ibi mansit, nec ante excidium Sodomiticum alio migravit. quemadmodum ex serie narrationis Mosaicæ a cap. XIII. usque ad XX. præsertim ex principio capitis XVIII. cognosci potest. Ante cladem vero Sodomiticam, & priusquam ex convalle Mambre demigraret Abrahamus, Saram nonaginta annos natam jam fuisse, manifesto proditum est versu 17. cap. XVII. Geneseos. Satis inde apparet, historiam hanc, quam SIMONIUS loco suo avulsam, &, turbata plane narrationis serie, alieno insertam esse putavit, secundum seriem rei gestæ, sicut par erat, recte accu-

accurateque descriptam esse. Vid. JO. AD. OSIANDER *l. c.*

§. IX. Neque necesse est, ut Saræ pulchritudinem suam asserturi, transpositionem textuum fingamus, aut ad miracula confugiamus, cum aliunde ejus, quod quæritur, ratio satis idonea suppetat. Nam ætas Saræ nonagenaria nobis non videri debet admodum senilis, & decrepita plane, quando æstimamus totum vitæ ejus spatium, quod centum viginti septem annis definitur Gen. XXIII, 1. Post hunc enim casum, qui Saræ nonagenariæ accidit, supervixit ipsa triginta septem annos. Præterea muliebris ætas tunc temporis centum & triginta annorum erat, sicut nunc est ad summum fere octoginta annorum. Tunc igitur nonagenaria ætas muliebris fuit, sicut nunc quadragenaria, aut paulo amplius. Insolitum vero & inauditum non est, hoc tempore reperiri mulierem quadragenariam, valde decoram & pulchram. Huc accedit, quod Sara liberorum generatione, eorumque nutritione, quibus fœminæ viribus exhauriuntur, corporisque elegantiam, ac sanitatem persæpe perdunt, non fuerit deflorata & effœta facta. Hanc rationem præcipue urget JO. AD. OSIANDER *l. c.*

§. X. His omnibus persuademur quidem, Saram nonagenariam non adeo deformem, nec dum senectute confectam, sed adhuc satis formosam fuisse; sed non intelligitur, quomodo Abimelechus Rex, simul ac eam contemplatus est, in ejus exarserit amorem, non secus, ac si Sara tenerrima puella fuisset. Nostra igitur opinione, Abimelechus non tam pulchritudine Saræ, quam singulari ejus pietate, & amore in Abrahamum, cum quo, ducta in matrimonium sorore, arctissime conjungi cupiebat, permotus fuit, ut Saram matrimonio sibi jungere decerneret. Pium enim fuisse Abimelechum, & veræ Religioni addictum, vel inde patet, quod Deus in somno se illi manifestavit, & a peccato graviori, relicta ei simplicitatis laude, v. 6. revocavit, & in studio sanctitatis confirmavit.

XII.

MAJOR SERVITURUS MINORI ad Gen. XXV, 23. coll. cum Mal. I, 3. & Rom. IX, 13.

§. I.

§. I.

REbecca poſt longam ſterilitatem gravida, & colliſionem inſolitam in utero ſentiens, conſultum ivit Jehovam, & ab eo hoc reſponſum tulit Geneſ. XXV, 23. *Duæ gentes in utero tuo, & duo populi ex viſceribus tuis ſeparabuntur*, & populus præ populo fortis erit, ורב יעבד צעיר καὶ ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι, apud LXX, & *major ſerviet minori*, ſecundum VULGATUM. Poſtremam hujus vaticinii partem tanto notabiliorem putat JO. MARCKIUS *in Scripturariis Exercit. IV. p. 230.* quanto non tantum magis a ſolito fratrum ordine recedat ejus argumentum, ſed & quanto certius hinc Paulus argumentum petierit *ad aſſerendam perſonalis electionis & reprobationis divinæ ſummam abſolutamque a prævifo bono & malo omni libertatem* Rom IX, 10. 11. 12. Ut vero conſtet, & manifeſtum fiat omnibus, Apoſtolum in citato loco nequaquam loqui de electione ad vitam æternam, nec de reprobatione ad mortem, quæ MARCKII aliorumque Reformatorum eſt opinio, nulla idonea ratione fulta, ipſum hunc locum, ad quem Apoſtolus provocat, conſiderabimus, & cum verbis Paulinis conferemus.

§. II. Apoſtolus oſtenſurus, Romanorum Capite *nono*, maximam Judæorum partem, ob Jeſum Chriſtum per incredulitatem contumaciter rejectum, viciſſim a DEO rejectos, & privilegiis præclaris verſu quarto enumeratis exutos, ut ne amplius eſſent DEI populus, gravi occurrit objectioni, qua Judæi contendebant, ſe ab antiquo tempore chariſſimum DEI populum eſſe, ab Abrahamo oriundum, nec indigere ſe nova converſione, quam Apoſtoli exigebant, ſed Chriſtianos potius ab antiqua Abrahami fide defeciſſe. Docet enim *commate 6 & 7* non omnes ſecundum carnalem generationem ab Abrahamo vel ab Iſraele ſeu Jacobo deſcendentes propterea veros Iſraelitas eſſe Οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραὰμ, πάντες τέκνα. Neque filios Abrahami ſecundum carnem continuo eſſe filios DEI *v. 8.* Carnali enim generatione ſola dignitatem υἱοθεσίας nequaquam adquiri: Illuſtre ejus rei exemplum ob oculos ſe habere ait in familia Abrahami, qui duos habuerit filios Iſmaelem & Iſaacum, utrumque ſecundum carnem ex eo genitum. Sed ſolum Iſaacum gratioſi fœderis & promiſſionis factum participem, excluſis Iſmaelitis a fœdere, a promiſſione, & cœtu diviniore *v. 8. 9.* Iſmael fuit typus eorum, qui carnali nativitate, operum-

rumque meritis confisi pro filiis sese jactitant: quemadmodum contra in Isaaco illi præfigurati sunt, qui tantum per fidem divinis promissionibus habitam salutem quærunt. Ne tamen objiceretur, Ismaelem ex ancilla natum ob vitæ impietatem dignitate filii & hæredis excidisse, ad Jacobum & Isaacum, quorum uterque ex iisdem Parentibus natus erat, provocat, & docet, ex Esavi natu majoris posteris nequaquam exstructam fuisse Ecclesiam DEI, nec possedisse eos terram Cananæam, sed servisse nepotibus Jacobi, qui præ Esavo multas atque insignes nactus fuerit prærogativas. Ita quippe Deo visum esse, *ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι*, *versu 12*, & Gen. XXV, 23.

§ III. Voces רב & צעיר *magni* & *parvi* ad nativitatis momentum prius & posterius JO. MARCKIUS *l. c. p. 232.* refert, contenditque, *magnum* dici seniorem Esavum, *juniorem* autem Jacobum. Quasi vero unum alterumque nativitatis momentum in geminis hisce fratribus a Rebecca simul in utero gestatis, tam insigne constituat discrimen, ut alter רב *magnus*, & alter צעיר *parvus* fuerit dicendus. Rectius sensit RIVETUS, qui *Exercit CXV. in Genesin* Esavum *majorem* dici existimavit, quod primogenitura, corporis viribus & audacia Jacobum superabat, inprimis autem quod ejus progenies Idumæorum populus, ab initio robustior erat populo Israelitico, eundemque opibus ac potentia vincebat. Prædici enim hoc loco divinitus, inter illos populos fore inæqualitatem virium: *unus præ alio viribus pollebit, nihilo minus, qui minor erit, victoriam obtinebit. Multus* serviet *minori*, h. e. qui numerosior est & multitudine alium superat, ab eo qui numero & viribus inferior est, superabitur. Fortioris vires paulatim attenuatum iri, ita ut in minoris potestatem aliquando sit redigendus. Hoc vaticinium ipso eventu ratum impletumque fuit Idumæi enim, quorum opes multo citius creverant, & majores, quam Israelitarum, per aliquot generationes fuerant, inferiores postea Israelitis fuerunt, quemadmodum recte observat JO. CLERICUS in Commentario ad hunc Geneseos locum. Idumæi quippe a Davide subacti sunt 2 Samuel. VIII, 14. 1 Reg. XI, 15. Postea sæpe ex rebellantibus Idumæis victorias retulerunt Israelitæ 2 Reg. IX, 28. XIV, 7.

§. IV. Certum igitur exploratumque est רב & צעיר hoc loco non tam personas, quam populos notare, Israelitas nimirum & Idumæos. Hoc docent verba antecedentia & eventus oraculi quippe quod in persona Jacobi, si a supplantatione Esavi discesseris, non

 est

eſt impletum, nec Eſavus ſervivit Jacobo, quin potius hic ſe ſubmiſit majori fratri Eſavo & ab eo ſuppreſſus, ejusdemque dominatu & minis coactus eſt aufugere in orientem. Ubi ex patria domo exclusus durum multorum annorum exilium & ſervitutem ſubiit apud Labanem. Redux in patriam Eſavum dictis & factis pro Domino ſuo agnovit Gen. XXXII. & XXXIII. Ne commemorem maximam Eſavi proſperitatem, divitiasque Gen. XXXIII, 9. cum ipſe profiteatur יש לי רב LXX ἐςί μοι πολλά *habeo multa.* Applauſum meretur Cel. RIVETI ſententia l. c. *Si externa ſpectemus & temporalia Eſau nunquam ſervivit Jacobo, contra Jacobus coactus fuit cedere Eſavo, & cum rediret ex Meſopotamia ei ſe ſubmiſit, & muneribus, atque adeo omni ſubmiſſionum genere, ut eum ſibi placaret, laboravit, a quo maxime ſibi metuebat. Ergo ſi ſervitutem externam & temporalem ſpectemus, potius Jacob ſervivit Eſavo, quam Eſavus Jacobo. Quapropter ſi carnis prærogativam reſpiciamus, non eſt quod inter Eſavum & Jacobum id impletum fuiſſe videamus:* major ſerviet minori. Idem notarunt AUGUSTINUS *Serm. LXXVIII. de Tempor.* JACOBUS BONFRERIUS, CORNELIUS a LAPIDE, quinimo ipſe PISCATOR, inprimis autem B. noſter CALOVIUS *in Commentario ad h. l. p. m. 1029,* docens, oraculum potiſſimum in Jacobi poſteris impletum eſſe, cum Iſraelitæ ceu hæredes Abrahæ terram promiſſam poſſederint, ac Davidis & Salomonis tempore Idumæos ſibi ſubjecerint 2 Sam. VIII, 14, Pſalm LX, 10. Et quamquam hi jugum poſtmodum ſub Joramo 2 Reg. IIX, 20. poſt 160 annos excuſſerint, ab Amazia tamen Rege Juda iterum ſubacti ſunt 2 Paralip. XXI, 12. ac deinceps denuo ſub Hircano ſubjugati circumſionem receperunt, & in unam gentem cum Judæis coaluerunt, teſte JOSEPHO.

§. V. Fallitur proinde JO. MARKIUS quando *l. c. p. 244.* putat de perſonis Eſavi & Jacobi hic unice vel præcipue cogitandum eſſe, & ſub nominibus adjectivis *magni* & *parvi* ſubintelligi debere nomen non populi, ſed filii aut fratris. Verba enim, quæ antecedunt, *duæ GENTES ſunt in ventre tuo, & duo POPULI ex viſceribus tuis ſeparabuntur, & POPULUS præ populo fortis erit*, manifeſte repugnant huic interpretamento, a MARCKIO, ad fulciendum abſolutæ electionis & reprobationis exemplum, excogitato. Vanus ejusdem Theologi eſt conatus, oſtenſuri, Eſavum Jacobo ſerviiſſe & ipſam Eſavi ſervitutem, a Jacobo ipſius calcaneum apprehendente præfiguratam, deprehendi palam

lam Genes. XXV, 29. in venditione primogenituræ pro vili pretio. Ipsum enim illum venditionis actum palam arguere servilem primogenituræ contemtum. Et Consequens necessarium venditionis juratæ fuisse ipsius, qui per nativitatem priorem fuerit supra fratrem, ut Dominus, depressionem quasi servilem infra eundem tanquam primogenitum. Si ergo fratres minores recte dicantur, serviisse primogenito, tanquam Domino suo, non posse negari, Esavum *majorem* jure primogenituræ in Jacobum translato, servum fuisse, & actu serviisse *minori* Jacobo. Sed hæc argumentandi ratio nervis ac fundamentis destituitur. Primogenituræ venditio liberum arguit contractum inter duos istos fratres, nullam autem infert Esavi servitutem Primogeniti olim familiarum capita & principes erant, Patre mortuo vel absente, ac quoad fratres minores in eadem domo familiaque manebant. Cessabat primogeniti principatus ac dominium in fratres minores, quando hi paterna domo atque familia relicta, aut patria potestate egressi res suas habebant separatas, ac peculiares constituebant familias, quarum hi ipsi principes ac Domini erant. Taceo Jacobum jure emtionis τὰ πρωτοτόκια quidem possedisse, sed in Esavum ob ejus vires, opes & ferociam & dominandi libidinem, si vel maxime licuisset ne exercere quidem potuisse.

§. VI. Falsissimum quoque est, quod post PAREUM noster MARCKIUS recantat, sub his vaticinii verbis latere mysterium, nempe de Jacobi æterna electione ad vitam & Esavi reprobatione a gratia ad mortem a Malachia Cap. I. & ab Apostolo Paulo Rom. IX expositum confirmatumque Nam in neutro loco de Esavi & Jacobi personis primario agitur, sed de eorum posteris, seu de duobus populis ex utroque prodituris. Genes XXV, 23. Res adhuc fit clarior ex Genes. XXVII, 28. 29, ubi Isaacus Jacobo apprecatur *affluxum de rore cœli & de pinguedine terræ*, nec non *multarum gentium subjectionem*. Quæ promissio & felicitas de persona Jacobi intelligi non potest, quippe qui ipse aliis servivit, in Mesopotamia exulavit, & Esavum magna animi submissione coluit Genes. XXXII, 8. Spectandus igitur fratrum uterque in suis posteris sistitur hoc loco. Præterea amor Jacobi & Esavi odium Mal. I, 2. & Rom. IX, 13. commemoratum, nequequam arguit absolutam Israelitarum electionem ad vitam, aut Idumæorum reprobationem ad mortem. Nam si Jacobi posteritas absolute electa, Esavi vero progenies absolute reprobata foret, sequeretur, nullos Israelitarum

fuisse rejectos unquam nec Esavi posteros vocatos unquam & salvatos, quod Apostolicæ doctrinæ & Scripturæ adversatur, quippe quæ testatur, Edomitas vocatos & conversos esse ad Christum Esaiæ XI, 14. Amosi IX, 11. 12. Marci III, 8. Apostolus Rom. IX, 11. duntaxat agit de electione seminis Israelitici ad constituendam Ecclesiam & Christum ex ea dandum, non de electione ad vitam æternam, quæ erronea plerorumque Reformatorum opinio est, a veritate & sacrarum literarum auctoritate adeo aliena, ut ne de Esavi quidem ipsius reprobatione & damnatione certi quid affirmari possit. *Nihil in ejus vita apparere* ait Celeb. JURIÆUS *in Historia Crit. Dogmat. & Cultuum* Gallice edita Part. I. Cap. II. *quod malum arguat hominem.* Neque enim Isaacus, vir divinus atque sanctus eum tantopere amasset, si tam malus atque reprobus fuisset. Uxores Cananææ ab Esavo in matrimonium ductæ fuerunt quidem in amaritudinem Spiritus Isaaco & Rebeccæ: sed de Esavo ipso nihil tale dicitur. Nec produnt Esavi summam & finalem impietatem ac reprobationem campestre & venatorium vitæ genus, aut primogenituræ venditio & Cananæarum mulierum amor, quemadmodum JO. MARCKIUS putat. Βέβηλος atque profanus dicitur Hebr. XII, 16. quia τὰ πρωτοτόκια, quæ sacra & magnopere æstimanda erant, sprevit & levissimo pretio vendidit. Qua animi levitate forte irritavit Patrem, ut ejus desiderium de recuperanda benedictione, mœrore & ejulatu declaratum, rejiceretur, nec ad resipiscentiam flecteretur animus Patris Isaaci. Esavus hac ratione θέλων κληρονομῆσαι τὴν εὐλογίαν ἀπεδοκιμάσθη cum posteris *rejectus* est & exclusus non a salutis æternæ adeptione, sed a temporalis benedictionis & prærogativæ restitutione. Jacobus enim cum posteris Esavo præferebatur in bonis temporalibus, in jure primogenituræ, in dominio, & in possessione terræ Cananææ, ex qua Idumæi exclusi sunt, nec non in conservatione cultus sacri, qui apud solos obtinebat Israelitas, nec ulli præterea nationi communis erat secundum Psalmum CXLVII *versu ult.* Ne commemorem, *odisse* in S. literis idem sæpe esse, ac postponere sive non impense amare. Videatur S. GLASSIUS in *Phil. S. p. 800.* Hoc sensu explicandus est locus Malachiæ I, 3. ubi sub Esavi & Jacobi nominibus intelligendi sunt populi ex iis descendentes, quales tempore Malachiæ adeoque diutissime post illorum Patriarcharum excessum e vita, erant futuri. Esavi odium notat bonorum temporalium privationem, ipso DEO interprete *v. 4. 5.* Judæis enim

ex

ex captivitate reducibus insignia amoris divini promittuntur documenta, ex Hierosolymitani templi & urbis restauratione, ex agrorum cultu & tranquilla terræ Cananææ possessione agnoscenda. Tam impense non amari a Deo Idumæos a Chaldæis itidem devastatos atque eversos, DEUS asseverat. Eorum quippe regionem, scopulis horridam misereque afflictam, non restaurandam, sed incultam relinquendam & quidquid tandem moliantur Idumæi, draconibus inhabitandam datum iri. Quid hæc quæso amoris odiique divini argumenta conditionem Judæorum & Idumæorum temporalem tantum spectantia, facere possunt ad fingendum tuendumque absolutæ electionis & reprobationis decretum. Num dicemus, universam aliquam nationem, nullo individuo excluso, a Deo ad vitam æternam electam, aut ad perpetuum interitum reprobatam esse? Quod ex ipsis Reformatis nemo affirmabit.

XIII.

DE IOBABO, Gen. XXXVI, 33. num idem fuerit ac HIOBUS?

§. I.

NUlla in re facilius turpiusque erratur, quam in nominum Propriorum, similitudinem quandam inter se habentium, permutatione, quod veterum & recentiorum exempla abunde confirmant. Quoties a Scriptoribus Ecclesiasticis *Chrestus & Christus*, *Judæi & Idæi*, *Semon ille* Sabinorum DEUS & *Simon* magus, *Moses* & *Musæus*, *Amram* & *Abram* confunduntur? Quoties a Geographis *Sinenses* & *Siamenses*, *Armenæi* & *Minæi*, *Ammonitæ* & *Maonitæ*, pluresque alii populi turpi ignorantia inter se permutantur? Hac ætate Galli inprimis, rerum nostrarum ignoratione, persæpe graviter hallucinantur, quod erubescendo exemplo interpretis Epistolarum Bongarsianarum, in usum Delphini e Latinis Gallice redditarum ostendi potest, qui *Altorffium*, Noribergensium civitatem & Academiam pro viro aliquot in locis habuit, & subinde *Monsieur Altorffius* eam vocitavit. Vid. Acta Er. Lipf. 1695. p. 40.

§. II Constans, sed erronea fuit veterum & Judæorum & priscæ Ecclesiæ Doctorum, sententia, sigillatim ORIGENIS, EUSEBII,

BII, ATHANASII, EPIPHANII, CHRYSOSTOMI, AMBROSII, AUGUSTINI, aliorumque, a recentioribus perisque credula mente susceptâ, JOBUM, cujus vita in Scripturis integro Libro descripta exstat, illum fuisse JOBABUM, cujus sit mentio Gen. XXXVI, 33. Nam JOBABUS iste inter Idumæorum Reges numeratur. Sed JOBUS Regio Diademate cinctus non fuit, quod inprimis nos docuit FRIDERICUS SPANHEMIUS *cap. IV. Historiæ Jobi p. 58.*

§. III. Nos inpræsens doctissimi SPANHEMII vestigiis insistemus, & ad inveteratum vulgi errorem profligandum & exstirpandum decretoria quædam argumenta proferemus. Primo enim errorem arguit maxima nominum diversitas in literis radicalibus, in pronunciatione, terminatione, ac significatione. Alterum in codice Ebræo est אִיּוֹב, alterum יוֹבָב. Origo utriusque vocis diversa est. Siquidem איוב est ex יאב vel איב, sed יובב ortum duxit vel a יבב, quod in Pihel *vociferandi* & *jubilandi* significatum habet, vel ex Arabum יבאב, quod *desertum* notat, vel ex radice simili hodie inusitata. Permulti sunt, qui argumento hoc parum moti existimant, virum illum, de quo in præsenti sermo est, rebus florentibus JOBABUM dictum, postea autem rebus collapsis, misereque afflictis, pristinum nomen abjectum, eumque JOBUM appellatum fuisse. Hoc si verum esset, in Historiæ certe principio, quando status ejus florentissimus, ante calamitates divinitus immissas, describitur, non *Hiobus* vel *Jobus*, sicut legitur, sed *Jobabus* appellandus erat. Præterea constat ex perpetuo fere Scripturarum more, quod, quando nomina hominum immutata esse narrantur, mutationis ratio commemoretur, quemadmodum hoc *Abrahami, Saræ, Israelis, Josuæ, Petri*, aliorumque exempla confirmant, quod hoc tamen in loco secus est.

§. IV. Insignis circumstantiarum varietas, quæ inter *Jobum* & *Jobabum* deprehenditur, indicio est & argumento, diversissimos fuisse viros. JOBABUS secundus fuit ex octo Regibus, qui ante Mosem in Edom regnarunt, Gen. XXXVI, 31. Hac ratione *Jobabi* mors minimum toto seculo Mosis legislationem antecessit. Jam Græci volunt, vixisse Jobum annos CCXL. seu CCXVIII. Qui si Jobabus fuit, nativitas ejus præcesserit nativitatem Esavi, aut cum illa fere coinciderit. Sed ab Esavo Jobabus quartus demum fuit, ejus ex Zara pronepos. Accedit diversitas locorum, ubi habitasse legun-

leguntur. Jobabi ſedes fuit *Botzra*, in confiniis Idumææ, & Moabitidis, Gen. XXXVI, 33. Jobi vero ſedes fuit terra UTZ, in Arabiæ deſertæ partibus ſita, uti laudatus SPANHEMIUS erudite evicit. Diverſa denique eſt utriusque perſonæ deſcriptio. JOBABUS, ut Edomiticæ regionis Rex inducitur Gen. XXXVI, 31. 32. 33. ſed JOBUS ut homo privatus *vir quidam* deſcribitur. Nam quamvis veteres Jobum etiam Regibus adſcripſerint, & multi ſuperiorum temporum Interpretes, PINEDA, SALMERON & TORNIELLUS exiſtimarint, Jobi amicos Reges fuiſſe, rationibus tamen, quibus fabuloſam hanc opinionem tueantur, penitus deſtituuntur. Conf. Viri Cel. JO. FR. BUDDEI *Hiſt. Eccleſ. V. T. P. I. p m. 368.*

§. V. Error ex illa lacinia verſioni LXX. virali, ad calcem *Jobi* adſuta, procul dubio ortus eſt, ubi inter alia legitur: *προϋπῆρχεν αὐτῷ ὄνομα Ιωβάβ*, *ante erat illi nomen Jobab*, & paucis interjectis, Ιωβάβ, *ὁ καλέμενος Ιώβ*, *Jobabus*, *qui vocatur Jobus*. Quæ verba cum divino afflatu a Senioribus Græcis textui addita eſſe crediderint veteres æque ac recentiores, factum eſt, ut de eorum veritate nemo dubitaret. Hodie autem ob idoneas, graviſſimasque cauſas eorum auctoritas recte in dubium vocatur. Nondum enim conſtat, an LXX. Seniores integrum codicem, an vero ſolum Pentateuchum, quod veri videtur ſimilius, fuerint interpretati? Neque conſtat ſatis, laciniam hanc, ad quam provocant ſequioris ſententiæ Patroni, ab ipſis interpretibus Græcis, quicunq; demum fuerint, adjectam eſſe? Rectius omnimo ſentiunt, qui arbitrantur, gloſſema hoc margini primo adſcriptum per modum ſcholii, poſtmodum in ipſum libri contextum aſſumtum fuiſſe. Hoc nonnulli ex veteribus jam pridem obſervarunt, de quibus POLYCHRONIUS in Prooemio ad JOBUM ita ſcripſit: *παραγράφονται τὴν ἐν τῷ τέλει γενεαλογίαν, ὡς μὴ ἐμφερομένην ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ - - Ἀπάτης, φασὶ, γενομένης ἀπὸ τῆς ὁμωνυμίας, τῆς ἐν Γενέσει φερομένης εἰς τὴν κατὰ τὴν Ἠσαῦ γενεαλογίαν, ἔνθα μέμνηται Ἰωβάβ τὸ τοιοῦτό τινες ἐσχολιογράφησαν, καὶ λοιπὸν ἕτεροι τῷ χρόνῳ ὡς ὑφὴν τοῦ παντὸς βιβλίου εἰργάσαντο τὰ παραγεγραμμένα*, h. e. *Genealogiam, quæ in fine eſt, quidam rejiciunt, utpote quæ in Hebræo non reperiatur. - - - Nominis ſimilitudo in Genealogia Eſavi in Geneſi, ubi Jobabi facta eſt mentio, anſam erroris & hujusmodi ſcholii quibusdam præbuit, tractuque temporis rejectanea iſta in libri textum ſunt aſſumta.* Satis quidem antiquus eſt ille appendix, & non ſolum ante tempora ORIGENIS,

GENIS, qui illum in codicibus Hebræis non extare observavit in Epistola ad JULIUM AFRICANUM, sed jam ante Christum natum ab ARISTEA visum fuisse, dubitare nos vix sinit ALEXANDER POLYHISTOR, cujus verba apud EUSEBIUM *Libro IX. Præp. Ev.* Cap. XXV. JO. ERN. GRABIUS in Dissertatione *de Variis Vitiis LXX. Interpretum Versioni ante B. Origenis ævum illatis Cap. I.* §. *22. p. m. 41.* ex manuscripto codice emendata exhibet. Divinæ tamen non est originis nec auctoritatis. Eruditissimus GRABIUS *l. c p 6.* suspicatur, quempiam respicientem verba *Capitis XIX. versu 25 & sequent.* istud de futura ejus resurrectione comma, quasi per ἀντίθετον ad illa Jobi XLII, 17. καὶ ἐτελεύτησεν Ἰώβ κ. τ. λ. in margine adscripisse, subnexa insuper ex Genes. XXXVI. 33 prosapia Jobabi, quem eundem cum Jobo fuisse traditio satis probabilis perhibuerit. Atqui hæc ipsi sacro Jobi textui postea adnectere imperitum scribam haud dubitasse.

XIV.
DE HEBRONE,
Gen. XXXVII, 14.

§. I.

INter quatuor illa Loca, quæ H. WITSIUS Tom. I. Miscell. L. I. cap. XIV. SIMONIO atque CLERICO largitus est, dum concessit, illa a seriore manu textui intrusa esse, ille etiam comparet, qui Gen. XXXVII, 14. legitur, in quo mentio fit HEBRONIS. Diu ante idem nomen jam occurrit Gen. XIII, 18. XXIII, 9. XXXV, 27. quod tamen post Mosis demum excessum e vita urbi datum esse existimatur a Calebo de nomine Patris sui, cum antea vocaretur *Kiriath Arba*, Josuæ XIV, 13. 15.

§. II. Generatim negamus, illum locum, qui *Kiriath-Arbah* olim vocabatur, abrogato pristino nomine a CALEBO filio Jephunne *Hebron* appellatum esse. Neque hoc in S. literis dicitur Jos. XIV, 15. sed hoc duntaxat, quod Hebron fuerit hæreditas Calebi, & quod illa ipsa Hebron לפנים τὸ πρότερον, *primum* dicta sit Kiriath-Arbah.

§. III. Perincertum adhuc est, nec ex Sacro codice probari potest, illam urbem de nomine Patris Calebi nomen Hebron accepisse,

pisse, quia Pater Calebi *Jephunne* appellatur, & *Hezron* 1 Chron. II, 18. nullibi Hebron, veri fit simile, ex confusione harum vocum *Hezron* & *Hebron* errorem ortum esse.

§. IV. Necesse denique non est, ut statuamus, appellationem illam *Hebronis* a Calebo post Mosis demum mortem, & post illius urbis occupationem factam esse. Quid obstat, quo minus credamus, illam nominum commutationem jam ante Mosen, vel Mosis tempore, cum Calebo illius urbis possessionem polliceretur Num. XIV, 24. fieri potuisse, ita ut ex illo statim tempore impositum novum nomen ob maximam Calebi auctoritatem ab omnibus reciperetur. Conf. JO. HENR. HEIDEGGERUS *in Histor. Patr. Tom. II. Exercit. I. S. 18. 19. & in Exercit. Bibl. T. I. Diss. IX. §. XXVIII. p. 269.*

XV.

VATICINIUM JACOBI DE BENJAMINE LUPO Gen. XLIX, 27.

§. I.

Patriarcha JACOB filiis nepotibusque fata prædicturus de Benjamine vaticinatur: בנימין זאב *Benjamin lupus erit, qui rapiet, mane comedet prædam, & vesperi distribuet spolia.* Illa prænunciat Vir divinus & morti proximus, quæ eventura erant באחרית הימים *in fine dierum.* Designat ultimorum temporum fata, & illam periodum, quæ insignis futura sit adventu Messiæ, aut SCHILO, cui populi adhæsuri & obtemperaturi sint v. 10. Nam dies Messiæ stylo Prophetico in Scripturis frequenter vocantur אחרית הימים *extremitas dierum*, illorum videlicet, de quibus diviniores vates loquebantur. Suffragatores habemus ipsos Judæos, singulatim R. D. KIMCHIUM & R. SALOMONEM BEN MELECH *in Michlal Jophi* ad Es. II. qui diserte docent: כל מקום שנאמר בו באחרית הימים הוא ימות המשיח *ubicunque dicitur in extremo dierum, significat illud dies Messiæ.* At vero cum inde sequi viderent, in hoc oraculo definiri tempus adventus Messiæ, eo impudentiæ delapsi sunt, ut assererent, *Patriarchæ propositum fuisse, revelare finem, sed recessisse ab ipso Schechinnam* h. e. Spiritum Dei Propheticum *ideoque incepisse res alias dicere*, uti JARCHIUS & ABARBANEL id nobis persuadere

conati sunt. Tale εὕρημα excogitarunt increduli & occœcati, ne confiteri cogerentur, Messiam tempore definito advenisse. Nobis certum & exploratum est, *extremitatem dierum* esse lætabile illud tempus, Messiæ adventu illustrandum & insigniendum. Id monstrat vaticinii series, nexus & scopus. Benedictiones posteris expectandas prædicit Jacobus, eosque excitat ad pium earum desiderium, ad spem atque fidem versu XXVIII, ostenso omnium benedictionum unico fonte, & genuina salutis causa, quæ nulla est alia quam SCHILO, sive CHRISTUS. Credere igitur jubentur Jacobi filii omnesque posteri, præsertim diebus Messiæ victuri, salutis & pacis auctorem seu JESUM ex Juda natum, esse eum, in quo & ipsi & omnes totius terrarum orbis familiæ benedictionem Abrahamo promissam, sint accepturi.

§. II. Spiritui S. in Scripturis loquenti solenne ac frequens est, sub hieroglyphicis animalium signis hominum indolem, mores & actiones adumbrare. Propterea in hoc vaticinio Jacobæo Juda cum *Leone*, Issaschar cum *Asino*, Dan cum *Serpente*, Naphtali cum *cerva*, & Benjamin cum *lupo* comparatur. Sub luporum imagine in Scriptura describuntur homines crudeles, feroces, avari & rapaces Ez. XXII, 27. Zeph. III, 3. Matth. VII, 15. Act. XX, 29. Ad hanc lupi indolem atque rapacitatem respexit Jacob, Benjaminem vocans lupum rapturum & dilaniaturum alios homines, tanquam prædam. Rapax hæc ac bellicosa Benjaminitarum indoles cognoscitur ex eventu & historia sacra, quæ eorum fortitudinem, ferociam ac rerum gestarum gloriam passim describit, Judicum, XIX. XX. 16. XXI 12. 19. 1 Sam. IX. XIV. 47. 48. XV. XVI. 2 Sam. II. III. Benjaminitis difficulter eripi potuit regnum Israeliticum. Benjaminiticam gentem valde nobilitarunt *Esther*, Regis Ahasveri uxor, & *Mardochæus*, qui sublato *Hamane* proximos a Rege honores occupavit, & rerum fortiter ac præclare gestarum laude perinsignis fuit, Esth. II - IX. Nam universam Judæorum gentem a præsentissimo exitio, quod Haman paraverat, liberavit. Eandem ferocitatem & ingenii vehementiam prodidit *Saulus*, sive *Paulus* noster, cœlesti luce nondum collustratus, qui nihil spirabat nisi minas & cædes. Act. IX, 1. Sed ad Christum conversus incredibili animi fortitudine denunciavit Evangelium inter gentes, rapuit, spoliavit, bella gessit, & infinitam hominum multitudinem subegit brevi tempore, ac amplissima spolia, Diabolo erepta, reportavit ac Christo vindicavit. 2 Cor. X, 4. 5.

§. III.

§ III Ad bellicam Benjaminitarum fortitudinem Jacobum respexisse, eandemque *lupi* imagine adumbrasse, multi interpretes arbitrantur, qui vaticinii complementum repetunt ex bello Gabaitarum causa suscepto, nec non ex variis Saulis Regis victoriis, & ex septennali sceptri Israelitici contra Davidem maximamque populi partem defensione. Lupi quippe apud veteres Marti dicati erant, & a Poetis *Martii* & *Martiales* ob bellicam virtutem appellabantur. Græci hominem fortem & audacem vocabant λυκόφρονα & λυκοθαρσῆν, quemadmodum Cel. BOCHARTUS annotavit. Multæ gentes lupino ululatu, tanquam carmine incentivo, ad pugnam se incitarunt. Herculi, aliisque viris fortissimis luporum nomen quandoque fuit inditum. Alii respici existimarunt ad distincta tempora, quibus Benjaminitarum ac imprimis Saulis Regis fortitudo eminuit. Saulem enim *mane comedisse prædam*, dum sub initium regni Israelitici ditissimam ex Amalekitis aliisque hostibus reportavit prædam. Mardochæum vero & Estherem vesperi distribuisse spolia, dum post multa secula ac post ipsam captivitatem Babylonicam Hamanis & conjuratorum bona tanquam spolia diviserunt. Nec desunt, qui raptum virginum Siluntinarum ob oculos habent. Hebræorum multi existimarunt, significari templum & altare in *terra Benjaminis* situm, in quo Sacerdotes mane & vesperi fecerunt oblationes, earumque reliquias inter se partiti sunt. Altare quippe innumera animalia, quando immolata fuerint, *mane* præcipue devorasse, tanquam prædam, & sub *vesperam*, qua maxime suam portionem acceperint sacerdotes, reliquias distribuisse, tanquam spolium. Hanc opinionem ex ONKELOSO, ex JONATHANE, ex BAAL HATTURI aliisque Judæorum monumentis notarunt viri docti, eandemq; tanquam longius petitam, & nulla idonea ratione fultam rejecerunt. Jacob enim non loci, sed Benjaminitarum nepotum suorum indolem, fata, ac mores describit. Videatur HERM. ALEX. ROELLII Commentarius in Principium Epistolæ ad Ephesios *p. m. 224*.

§. IV. Paulum Apostolum sub ænigmate Prophetico his verbis describi, recentiores non solum magni nominis interpretes, sed Patres quoque nonnulli suspicati sunt, inter quos antiquitate & eruditione imprimis eminet TERTULLIANUS adversus MARCIONEM *Libro V sub initium*. Quæ conjectura veritati tanto magis est consentanea, quanto plura hujus sententiæ indicia in ipso textu occurrunt. Patriarcha enim vaticinatur de *die-*

bus Messiæ, de ejus *adventu* & de temporis charactere, de populorum ejus imperio subjiciendorum obsequentia, nec non de salute & benedictionibus ab eo impetrandis. Quid, quæso, veri magis est simile, quam Virum divinum, cujus menti status Novi Testamenti, & gentium multitudo, PAULI ministerio ad Christum convertenda præsentissima erat, ardentissimum ipsius Apostoli ingenium & studium in amplificando Christi regno indefessum, ac innumeris documentis probatum, Spiritus S. impulsu descripsisse? Ubi Benjaminitarum fortitudo magis eluxit, quam in exemplo PAULI Apostoli, qui ex tribu Benjaminitica ortus errores & idolorum cultum destruxit, Græcorum sapientiam superavit, superstitionem & vitia expugnavit, & tot labores, molestiasque ac pericula sustinuit, ut ipsam denique mortem fortiter subiret? Quæ bella sacra sub Christi auspiciis gessit Apostolus, quæ spolia & tropæa reportavit ab hostibus? Quis putabit, Patriarcham magis respexisse ad prædam terrestrem & evanidam, multorum hominum cæde comparandam, quam ad spolia spiritualia & æterna? magis ad gentium vicinarum direptionem & eversionem, quam ad earum emendationem & conversionem ad Christum, ejusque regnum, Pauli Apostoli ministerio stabiliendum proferendumque? David certe regnum Christi descripturus Psalm. LXVIII, 28. memorat *Benjaminem parvum*, hoc est, Paulum Apostolum, eundemque conjungit cum aliis Apostolis h. e. *cum Principibus Judæ*, *Zebulon* & *Naphtali*, qui in læto illo descriptoque laudum divinarum concentu, in cœtibus Christianorum futuri dicuntur præcentores & symphoniæ moderatores, ex iis potissimum tribubus eligendi. Consentit historia Apostolica. Nam Jacobum minorem & fratrem ejus Judam ex tribu Juda fuisse, nemo ambigit. Joannem Apostolum, ejusque fratrem Jacobum majorem Herodis jussu occisum, Zebedæi & Salomes filios ex eadem tribu oriundos eorumque matrem Salomen Josephi, Mariæ sponsi sororem fuisse, vetus traditio est. Petrus & frater ejus Andreas aliique fuere ex Galilæa, quæ magnam Zebulonis & Naphtali partem continebat. Quodsi David vaticinatus est Psalm. LXVIII, 27 28. de Paulo Apostolo, quemadmodum ex veteribus HIERONYMUS & THEODORITUS, ex recentioribus JAC. ALTINGIUS *in Schilo L. V. Cap. XX.* & COMPEG. VITRINGA *Obs. S. L. III. C. III.* demonstrarunt: Cur dubitemus magnopere, an Jacobus Patriarcha eum in hoc oraculo intellexerit, & descripserit ut *lupum rapacem*, mane

prædam

prædam comesturum & vesperi spolia distributurum? Nam Paulus ex tribu Benjamin fuit, & oraculum optime in illum quadrat, & duplicem vitæ ejus conditionem ac indolem animi, ante & post conversionem ad Christum, belle depingit. Lupi sunt audaces, bellicosi, feroces, sanguinis & prædæ avidissimi. Eandem indolis vehementiam & conditionem deprehendas in Paulo non solum ante conversionem Act. IX, 1. sed etiam post ejus ad Christiana sacra accessionem ubi suam fortitudinem in subeundis periculis, & constantiam in sustinendis laboribus ac perpetuis vexationibus & certaminibus necnon flagrans prædæ spiritualis desiderium Rom. IX, 3. 1 Cor. IX, 19-26. satis probavit, & Evangelii prædicatione homines multitudine innumerabiles, e Diaboli potestate & regno tenebrarum ereptos, Christo asseruit.

§. V. Quoniam tamen multi ac præstantissimi interpretes opinantur, distincta tempora hoc vaticinio indicari, quibus Benjaminis tribus insignis futurus sit populus, referamus membrum prius ad victorias Saulis, primi Israelitarum Regis, quas de hostibus reportavit, & appellemus illud tempus MATUTINUM, dicamusque, Benjaminem tanquam lupum rapuisse & comedisse prædam MANE. Quemadmodum autem per MANE hac ratione dierum illorum designatur initium: ita nihil æquius, nihil scopo Prophetæ & ipsis oraculi verbis convenientius est, quam per vesperam intelligere illam DIERUM EXTREMITATEM, quæ Messiæ adventu & Apostolorum præconio illustrata est, ac inprimis ministerio PAULI, qui sub VESPERAM Reipublicæ Judaicæ, quam perpetua & misera nox sequuta est, Christo Duce ac Auspice, hostes spoliavit, & opimam prædam distribuit. Saul Israelitarum Rex hostes subegit armis corporalibus, & regni fines protulit: Paulus Apostolus propagavit regnum Christi, & armis usus non carnalibus, sed illis, quæ sunt δυνατὰ τῷ Θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, destruxit λογισμοὺς καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ 2 Cor. X 4. 5. Ut adeo res a Saule gestæ τυπικῶς & quasi in imagine repræsentasse videantur res ab altero Saule Benjaminitico sive Apostolo Paulo in fine dierum gerendas. Videatur HERM. ALEX. ROELLIUS *l. c. p.* 235.

 XVI.

XVI.
DE INCOLATU ISRAELITARUM IN ÆGYPTO,
Exod. XII, 40.

§. I.

CUm annis quadringentis & triginta, quibus Israelitarum servitus in Ægypto definitur Exod. XII, 40. 41. non consentit prædictio Divina, in Genesi cap. XV, 13. 14. commemorata, & a Stephano repetita Act. VII, 6. ubi legitur Israelitarum exilium quadringentos annos duntaxat duraturum esse. Duo hæc Scripturæ loca non solum inter se pugnare, sed aliis præterea locis manifeste contradicere videntur, quæ docent, Israelitas non ultra ducentos & quindecim annos in Ægypto habitasse, aut ad summum, quoad numerum generationum, non ultra annos trecentos & quinquaginta.

§. II. Verbi Divini hostes apparentes ejusmodi contradictiones studiose colligunt, iisque ad infringendam Sacræ Scripturæ auctoritatem pessime abutuntur. Fecit hoc sub finem superioris seculi celebris Deista in Anglia, in literis ad EDUARDUM STILLINGFLEETUM, Episcopum Vigorniensem, datis, ubi locum nostrum, quem explicandum sumsimus, in prima acie collocavit. Unde de tota DEISTARUM secta longe pestilentissima, quæ altas in Anglia radices egit, judicemus. Nam sub hoc nomine illi omnes continentur, qui vel indecentem de Deo ideam habent, vel, Providentia e mundo sublata, curam rerum humanarum illi abjudicant, vel in idololatriam labuntur, vel qui denique, naturali Theologiæ inhærentes, revelatam in Scripturis respuunt, & aversantur. Contra eos magna eruditione, industria, judicio, & eloquentia scripsit inprimis ABBADIE, Pastor Ecclesiæ Gallicanæ Ref. Berolin. in *Traité de la verité de la Religion Chretienne* 1684. edito, Conf WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist P. IV. p. 198 & 205.*

§. III. Nonnulli, ut dubio huic, quod Interpretes diu vehementissime torsit, satisfaciant, Locum Exod. XII, 40. in mendo cubare, eundemque, vel ad codicem Samaritanum, vel ad versionis Græcæ LXX. viralis fidem refingendum esse, existimarunt. Ita

MOR-

MORINUS *in Exercit. Bibli.* & IS. VOSSIUS, *Chronol. Sacr.* opinati sunt. Eandem conjecturam novissime suam fecit ED. STILLINGFLEETUS, Anglus, *in Epistola ad Deistam p. 98*, qui omnem difficultatis speciem facile evitari posse putat, si admittamus lectionem optimorum codicum τῶν LXX. quæ sic habet: ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτε, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Provocat ad consensum vetustissimi codicis Alexandrini, Complutensis, & editionis Aldinæ, itemque *Eusebii* & *Hieronymi.* Et ne quis eam veluti recentioris ævi interpolationem aut glossam, textui male intrusam, rejiciat, præter allegata pro antiquitate restitutæ lectionis testimonia, in præsidium quoque exemplar Samaritanum adhibet, de quo ipsi ejus hostes fateantur, illud ætatem Servatoris nostri attingere. Hanc Samar. & Græc. lectionem etiam LUD. CAPPELLUS *Critic. S. Libr. III. cap. 20. IV. 10.* Scripturæ nostrorum Codicum prætulit propter expeditas Chronologiæ rationes, cum Samaritanus Codex nodum solvere, ac omnem difficultatem tollere videatur.

§. IV. At vero hoc non est nodum ratione idonea, & rei gravitati conveniente, solvere, sed modo valde violento in divinioris Scripturæ fraudem secare. Dolendum omnino est, quod viri ingenio, eruditione & dignitate illustres, doctrinis & lucubrationibus suis, quibus Scripturas illustrare conantur, ad earum auctoritatem destruendam pessimo exemplo abutantur. Quod de CAPPELLI Critica, opere pernicioso, imprimis affirmamus. Non mirum est, editioni ejus per decennium integrum Genevæ, Sedani & Lugduni Batavorum summis viribus intercessum fuisse, quia Protestantes existimabant, ut R. SIMON *in Præfat. ad Hist. Crit. V. T.* rem enarrat, suam doctrinam funditus eversum iri; dum PETAVIUS S. J. JO. MORINUS & P. MERSENNUS a Rege Galliæ privilegium illam edendi impetrarunt. Quæ res ab initio tantopere curiam Rom. perterrefecit, ut parum abesset, quin illam condemnaret. Res enim exemplo carere videbatur, cum Privilegio Regis hæreticorum Libros de Theologicis rebus tractantes excudi. Rem Cappello gratissimam fecisset Pontifex Rom. si Criticam condemnasset, quæ ipsi inter suos tantum odium & invidiam conflarat, quemadmodum Morinus in literis ad CARDINALEM BARBERINUM datis significavit: Ubi non dissimulat, ejus condemnatione magnam injuriam Catholicis fieri, qui ejus

Libri

Libri auctoritate demonstrabant, nullum superesse Protestantibus constans & firmum religionis principium, postquam Ecclesiasticam traditionem dudum exploserant. Conf. JOH. BUXTORFFI *Fil. Anti-Critica P. I. cap. II. p. 32. 33.* Idem de WALTONIANIS Prolegomenis dicendum, quæ in omnium fere manibus sunt, quorum tamen auctor proprie non est WALTONUS, sed PEARSON, CASTELLUS, & alii quidam Angli, qui Episcoporum partibus student, ac contra Puritanos defendunt. Singula enim, quæ illi collegerant, redegit WALTONUS in ordinem, & modicum volumen inde confecit, quod Catholicis valde favere sæpius gloriatus est *R. Simon. Hist. Crit. Vet. Test.* L. II. cap. IV. p. 21. & Libr. III cap. XXII. p. 110. Jesuitæ Trevoltienses in Gallia judicium de illis tulerunt notatu non indignum: *Les Prolegomenes de Walton sont tels en grande partie, que si l' on ne sçavoit pas, qu' ils viennent des Protestants Anglois, on croiroit sans peine, qu' ils seroient l' ouvrage de quelque Catholique Romain.* Vid. *memoires de Trevoux 1701. mens. Mart. & Apr. p. m. 243. ed. Amstel.* Discant inde Critici nostri cautius agere, cum in sacris argumentis, & cumprimis in Scripturæ interpretatione occupantur, ne arma Pontificiis imprudenter subministrent, quibus autoritatem, fidem ac integritatem Scripturarum deinde impugnent atque convellant.

§. V. Existimat equidem Præsul Vigorniensis eruditissimus, se Scripturæ auctoritati nil derogasse, quandoquidem de lectione solum hic quæstio sit. Neque enim Scripturæ hoc in loco aliquid a se addi, sed authenticum solum exemplar, & genuinam lectionem produci. Et cum consensus Codicum, Samaritani, Alexandrini, aliorumque τῶν LXX. exemplarium non desit, posse nos de vera lectione certos securosque esse.

§. VI. Sed multum omnino auctoritati codicis Ebræi derogatur. Si fontes ad rivulos, turbatasque versionum lacunas repurgare licet, quid tandem fiet? Quid purum, quid integrum, quid a Criticorum stilo immune ac tutum amplius in codice Ebræo consistet, ob incredibilem vetustissimarum versionum & exemplarium dissensum? Codex Samaritanus semper in Ecclesia inferioris dignitatis fuit, ac codex Ebraicus, ob crassos errores, & manifestissima vitia, quibus scatet. Exemplaria Samaritica, quæ hodie exstant, recentiora sunt, ac proinde non magnæ fidei & auctoritatis. Vetustissima LXX. viralis versionis exempla & codices magnæ equidem auctoritatis sunt, sed non eo usque evehenda, ut ex iis

iis ipsos fontes, & veritatem Ebraicam emendare āc refingere sustineamus. Nemo facile ignorat, quam abjecte de ejus origine & fatis multi Critici loquuti sint. Legendi sunt USSERIUS Armachanus, HODIUS, DALEUS aliique. Veritati Ebraicæ fidem vindicat omnium codicum, Paraphrasium Chaldaicarum, nec non Arabicæ R. Saadiæ Gaoni, ac vulgatæ Latinæ. Talmudis etiam utriusque consensus, ut jure meritoque suspicemur, interpretes LXX, Paraphrastas hic egisse, & textui Ebræo obscuriori ac difficiliori, glossam suam explicationem, ad eum illustrandum, more suo, inseruisse, ut inde in Samariticum codicem, aut si mavis ex hoc in Græcum, invecta sit. Vid. CALOVIUS *in Bibl. Illustr. in h. l. f. 373.* JO. BUXTORFFIUS *Fil. in Anti-Critica P. II. cap. VII. p. 535.* R. MENASSES BEN JSRAEL *in Conciliatore, Quæstione in Genesin XLI.*

§. VII. Quid ergo dicendum, ut locorum dissensus tollatur, & simul insignis illa difficultas, quando Israelitæ vix ultra annos 215 in Ægypto habitasse deprehenduntur? Nam EUGUBINO, GENEBRARDO, G. JO. VOSSIO, & JAC. PERIZONIO *in Origin. Ægypt. Cap. XX. p. 356. & 357.* qui censent Israelitas revera in Ægypto integros 430. annos commoratos esse, nemo facile suffragabitur. Incolatui Israelitarum in Ægypto tot anni dari non possunt. Repugnat Apostolo Gal. III, 17. repugnat historiæ. Nam tametsi magna liberalitate concedatur *Kahatum*, qui una cum Patre *Levi* in Ægyptum venit, Gen. XLVI, 11. & in universum confecit annos 133. Exod. VI, 18. sub finem vitæ suæ generasse *Amramum*, & hunc, qui vixit annos 137. paulo ante mortem generasse *Mosen*, ac tandem ipsos 80. annos addamus, quot Moses populum ex Ægypto educturus habebat Exod. VII, 7. vix tamen 350. anni conficientur. Ex quibus manifestum est, initium annorum 430. non esse capiendum ab introitu Jacobi in Ægyptum. Conf. B. PFEIFFERUS *in Dub. Vex. Loc. XL. p. 122.*

§ VIII. Cum uterque terminus tam 400 quam 430 annorum in eductione Israelitarum ex Ægypto figendus sit, necesse est, ut in ordinanda eorum serie, retro eamus, & talia figamus initia, a quibus usque ad egressum, tot anni, quot a Spiritu S. definiuntur, effluxerunt. Rectissime autem numeri majoris initium statuitur in principio vocationis Abrahæ, quando Dei jussu egressus est ex Haran Gen. XII, 4. & in Chanaan peregrinari cœpit. Ab hoc enim tempore usque ad descensum Jacobi in Ægyptum 215. anni elapsi sunt,

 & to-

& totidem ab hoc usque ad egressum Israelitarum ex Ægyptiaca servitute. Hi duo annorum numeri, si addantur & colligantur, conficient integros 430. annos. Ratio præterea seriesque temporum postulat, ut annos 400. numerare incipiamus ab expulsione Ismaelis, a quo tempore, usque ad eductionem Israelitarum ex Ægypto, tot anni effluxerunt. Vid. CALOVIUS *in Bibl. illustr.* l. c. B. PFEIFFERUS l. c.

§. IX. Temporis universi rationes ita subducuntur & colliguntur. A nato Isaaco usque ad exitum sunt anni 405 qui numero rotundo dicuntur anni 400. Deductis annis 25 de 430 remanent 405. Natus est Isaacus post annos 25 a profectione Abrahæ, cum esset Abrahamus annorum centum Gen. XXI, 5. Ergo

Sunt anni a vocatione Abrahami, sive anno ejus 75 completo

Ad natum Isaacum - - - -	25.	Genes. XXI, 5.
Inde ad natum Jacobum - - -	60.	Gen. XXV, 26.
Inde ad adventum Jacobi in Ægyptum - - - - -	130.	Gen. XLVII, 9.
	215.	

Summa annorum 215, quæ restat ad conficiendos annos 430. commorationis in Ægypto ita eruitur & monstratur. Sunt enim anni

Ad mortem Josephi - - -	71
Inde ad Mosen - - -	64
Inde ad exitum - - - - Exodi VII, 7.	80
	215.

Vixit Josephus annos 110. Genes. L, 26. Cum esset annorum 30 exaltatus est in Ægypto Genes. XLI, 46. His addendi sunt septem anni fertiles, sequuntur duo de sterilibus, quibus exactis descendit Jacobus in Ægyptum, Gen. XLV, 6. Deductis 39 de 110, remanent anni Josephi 71. Q. E. D. Cum igitur evidens sit non tantum primi, sed etiam tertii membri ex Mose Exodi VII, 7. demonstratio, sequitur sua sponte a morte Josephi ad natalem Mosis interferendos esse annos 64, qui requiruntur, quamvis Moses eos diserte non exprimat.

§. X. Objici potest, peregrinationem, de qua sermo est Exod. XII. dici de filiis Israelis, per quadringentos & triginta annos in Ægypto exituris, quod tamen cum re ipsa non conveniat, cum ad com-

complendum numerum istum Abrahami quoque, Isaaci, & Jacobi ætas computari sub illo debeat, qui tamen vocari non possint filii Israel? Respondetur, sermonem quidem esse de incolatu Ægypti, sed ideo tamen totam Patrum peregrinationem in Canaan non excludi, quia nulla exclusiva adest. Tota potius Israelitarum ac Patrum illorum peregrinatio, quia durissima fuit in Ægypto, & ibi completa est, comprehenditur *Synecdoche* incolatus in Ægypto. Nec Moses Exodi XII, 40 dicit, Israelitas commoratos fuisse annis 430 in Ægypto, sed peregrinationem filiorum Israel, אשר ישבו qui habitarunt in Ægypto, non autem qua habitarunt, annorum 430 fuisse. Neque illud quod MOSES Gen. XV, 13. & ex eo STEPHANUS Act. VII, 6 testatur ad Ægyptiacam servitutem pertinet. Ideo nulla fit *Ægypti* mentio in Genesi cap. XV. cum DEUS Abrahæ prædixit, *semen tuum erit peregrinum in terra, quæ ipsorum non est, servietque ejus incolis, qui illos affligent annis quadringentis.* Scopus enim vaticinii erat, indicare Abrahamo, quantum temporis intercessurum ante prædictionis istius complementum, & quo in statu ipsius interea semen futurum sit. Nimirum defuturam ejus posteris terram propriam, suæque fixæ sedi ac perpetuæ possessioni destinatam, dum, illis omnibus graviter punitis, qui Abrahamidas vel Israelitas afflixerint, e servitute multis cum opibus educerentur in possessionem terræ promissæ. Abrahamus quippe quæstione illa, quam Gen. XV, 7. 8. DEO proposuit, expectasse videtur suomet tempore terræ hujus promissæ possessionem ac hæreditatem: ad quam DEUS respondet, promissionem hanc ad posteros pertinere, & ne in his quidem prius impletum iri, quam ultimum nequitiæ gradum attigissent Amoræi, quod in quarta demum generatione, elapsis quadringentis annis, futurum sit. Interea ipsa terra Canaan, in qua habitabant Patriarchæ, promissione non obstante, pro peregrina æstimabatur. Conf. Gen. XXIII. 4. XXVIII. 4. XXXVI. 7. XXXVII. 1 Exod. VI 4. Si ad hunc vaticinii scopum attendamus, omnes difficultates, si quæ sunt, tolli, & ad omnia dubia haud difficulter responderi potest Conf. ED. STILLINGFLEET *l. c. p. 92. & 96.* ÆGID. STRAUCHIUS *Breviar. Chron.* aliique, qui Chronologiam Scripturæ explicarunt, imprimis WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist P. IV. p. m. 208.* & USSERIUS *in Chronol. S Cap. 8.* nec non GUIL. TURCKII *Institutiones Historiæ Antiquæ p. 65 & 66.*

XVII.

DE MYSTICA ARCÆ FOEDERIS SIGNIFICATIONE,

Exod. XXV, 10.

§. I.

Circa lustrandam arcæ structuram, quæ ארון ברית *arca fœderis*, ארון העדות testimonii, ארון יהוה, *arca Domini*, dicitur, & Exod. XXV. 10. & seq. describitur, non commorabor. Sufficiet interim nosse, materiam ejus ex lignis cedrorum præstantissimarum, quæ *Schittim* Ebræis appellantur, constitisse, & cistæ in formam fabricatam, atque extrinsecus & intrinsecus auro purissimo obductam exornatamque fuisse. Longitudo duorum cubitorum cum dimidio, latitudo ejus sesquicubiti erat. Superne conspiciebatur limbus aureus quadrangularis. Quatuor præterea annuli aurei adjuncti erant, quibus duo vectes ex nobilissimo ligno cedrino auro obducti secundum latitudinem inferebantur. Arcæ impositum fuit operculum per modum asseris, ita, ut nullo ferro cum arca connecteretur. Operculum illud כפורת ἱλαστήριον seu *propitiatorium* vocabatur, super quo veluti throno suo Divina Majestas quiescebat. Super *eodem propitiatorio*, id est, super alas Cherubinorum expansas, *DEus appariturus* dicitur Levit. XVI. v. 2. Plura dabunt JO. BUXTORFFIUS *Exercit. I. de arca fœderis*. JO. BENED. CARPZOVIUS *in Disp. Academ. Disp. I. de arca fœd. Domini*, aliique. Nos impræsens obiter notamus pervulgatam Judæorum, inprimis JARCHII ad Exodi XXV. versu 17. errorem, quo aureo arcæ operculo palmaris crassities asseritur. Hanc traditionem, nulla ratione subnixam, & semetipsam evertentem, secure admiserunt interpretes Christiani tanquam veram. Sed rationibus bene subductis ejus opinionis absurditas facile demonstratur. Operculum propitiatorium, כפרת dictum, in longitudine palmos XV. vel 60 digitos; in latitudine IX palmos, vel 36 digitos secundum Scripturam; in altitudine autem seu crassitie secundum Judæos *quatuor* digitos tenebat. Digitis hisce in se ductis corpus prodit parallelepipedum 8640 digitorum cubicorum. Jam operculum integrum constabat auro solido. Cubicus vero auri pollex experimento

mento exploratus supra 12. uncias pondere æquat. Demus ergo libræ duos digitos cubicos, & emerget inde gravitas solius operculi, demtis Cherubinis plusquam 4300 librarum. Sed Exodi XXXVIII, 24. summa auri in universa Tabernaculi vasa insumti traditur fuisse XXIX. Talentorum, cum siclis quibusdam. Hebraicum autem Talentum pondere *octoginta* libras non superat. Concedamus tamen *nonaginta*. Quibus per 29 multiplicatis, proveniunt 2610. auri universi pondo, quæ solius operculi gravitate, si Judæis fides, vincuntur. Inde autem intelligitur vix dimidii digiti crassitiem operculo tribui posse. Accedit, quod vectes tantum pondus nec sustinere, neque tot homines, qui tanto oneri portando sufficiebant, intra vectes locum habere potuerint. Hæc scite demonstravit JO. PHIL. HEINIUS, vir doctus, *in Historia Critica Reipubl. Literariæ Tom. X. p. 172.* Arcam cum Cherubinis delineatam exhibuit H VVITSIUS *Tom. priore Miscell. L. II. Dissert. I. ad p. 425.* Sed in eo vir summus, cum CUNÆO Belgice edito, aliisque erravit, quando vectes arcæ posuit in ejus longitudine, cum ponendi pingendique in latitudine fuissent: quando item pro tabulis legis lapideis volumen membranaceum exhibet, nec in delineando vase, quod manna repletum erat, satis observasse & repræsentasse videtur veram figuram, quæ in nummis veterum Ebræorum apparet. Duos ultimos errores detexit CL. TENZELIUS *in Colloqv. menstr. 1692. Febr.* sed primum, quod miror, non animadvertit. Errant itidem, qui cum JO. SELDENO *in Delineatione templi* vectes arcæ plane omittunt, & Cherubinos pingunt in terra stantes, cum starent in propitiatorio. In graviorem fere errorem lapsus est SCHINDLERUS, qui duas statuit arcas. Illa enim arca, quæ II. Reg. XII. v. 10. commemoratur, huc non pertinet, quia pecuniam templi duntaxat continebat. Nam si omnes arcas, quarum aliquis forte in templo usus olim fuit, huc revocare velles, longe plures, quam duæ arcæ statuendæ forent.

§. II Locus arcæ ordinarius erat Sanctum sanctorum, intra velum Exod. XXVI, 33. Nemo eam, nisi summus Judæorum Sacerdos semel quotannis in magnis Expiationum solenniis Sanctissimum ingressus, unquam intuebatur. Quando autem 1 Reg. VIII, 8. memoratur, quod arcæ vectes, qui post velum positi erant, apparuerint, ita hæc conciliantur a JARCHIO in h. l. ut dicat, vectes arcæ per velum prominuisse mammarum instar,

 sicut

ſicut mammæ protuberant per veſtes muliebres. Idem docet Gemara *de feſto Expiat. f 54.* Conf. CEL. DASSOVII *Antiquit. MSC, de iis, quæ in templo & ejus atriis videbantur, Sect. VI.*

§. III. Reliquas quæſtiones, quæ ingenti numero ab interpretibus moventur, mittimus, & inquiremus ſolum in myſticam *arcæ* ſignificationem, contra SPENCERUM oſtenſuri, arcam fœderis evidentiſſimam Chriſti figuram fuiſſe. Quemadmodum vir iſte eruditiſſimus in omnibus propemodum inſtitutionibus Moſaicis Ægyptiorum ſtultitiam videre maluit, quam Dei, populum ſuum ad ſalutaria fidei myſteria per illas, veluti umbras, inſtituentis ſapientiam: ita quævis fere religionis Iſraeliticæ capita ex putidis Ægyptiorum lacunis arceſſit, & multo eruditionis apparatu inficiatur, ritus Moſaicos in arcaniorum rerum typos atque figuras a DEO inſtitutos ac ordinatos eſſe. Conf. H WITSIUS *in dedicat. Epiſt. prioris Miſcell. Tomi.* Sigillatim arcam fœderis, & *formaliter* & *finaliter* ſpectatam, a ciſtis quibusdam in cultu gentili frequentibus anſam & originem accepiſſe probare conatur *Libr. III. Legum Rit cap. I. Differt. V.*

§. IV. Ut autem ſententiæ ſuæ fidem adſtruat, luculenta & idonea pro rei tam vetuſtæ conditione promittit argumenta. Primo provocat ad perantiquum ciſtarum uſum in gentium ceremoniis. Deinde ab ipſa idololatriæ veteris natura & conſuetudine argumentum petit, qua veteres myſteria ſua a communi luce, & profano vulgi conſpectu removerunt. Idem ex arcæ nomine & charactere, ſingularique ejus pulchritudine, ex arcæ item corona, ac ceremoniis in arcæ honorem uſitatis, teſtimoniis veterum cumulate allatis, confirmare laboravit. Illos ſimul falſe ridet, miſereque exagitat, qui arcæ ſplendore perſtricti ad Allegoriam, *uſitatum illud ignorantiæ aſylum*, cum urget textus Moſaici difficultas, confugere ſolent, & μυςικώτερόν τι arcæ ſubeſſe aſſerunt.

§. V. Ita vero SPENCERUS in inſtitutis Moſaicis nil niſi Ægyptiaca ubique cernit, & pudenda abſurdiſſimaque Ægyptiorum ſacra digna habet, quæ Ebræorum ſanctiſſimis ritibus originem dederint? Itane Iſraelitis præcipua religionis ſuæ parte carendum fuiſſet, niſi Ægyptii in excogitandis ſuperſtitioſis ac deteſtandis ritibus aliquando inſaniiſſent? Nonne DEUS populum ſuum a gentium profanarum & vicinarum inſtitutis alieniſſimum eſſe voluit? Nonne aliquoties a Prophetis DEI juſſu acriter repre-

prehensi sunt, quod profanis Ægyptiorum sacris adhærerent? Nonne DEUS odio exarsit in Israelitas idololatras, qui colebant התמוז Ezech. VIII, 14. idolum & Numen quidem Phœnicium, sed quod Phœnices mutuati erant ab Ægyptiis, apud quos *Osiridis* nomine insignitum erat? Conf. Dissertatio nostra *de Fletu super Thammuz* 1704. Witembergæ habita. HEIDEGGERUS *T. I. Exercit. Bibl. Dissert. X. §. XVI. p. 293.* JO. BRAUNIUS, *in Selectis Sacris* Libro IV. JO. van der WÆYEN *Varia Sacra p. m. 267, & seq.*

§. VI. Svadet singularis arcæ sanctitas & ornatus, ut opinemur, eam rei alicujus sacratissimæ typum fuisse, & ab exemplari aliquo cœlesti magis, quam cista gentium mystica, originem accepisse. Hæc fuit opinio omnis retro antiquitatis: Sic sentiunt omnes, quotquot sunt idonei & intelligentes rituum Mosaicorum, & antiquitatum sacrarum existimatores. Sed SPENCERUS in sententia sua adeo confirmatus est, ut nihil sibi metuat. Audiamus eum loquentem: *Quis ingenio tam felici est, ut rem ullam cœlestem, Arcæ typo adumbratam, assignare valeat, & sententiam suam probabili aliquo argumento, aut Scripturæ testimonio stabilire? Multi quidem μυστικώτερον aliquid Arcæ subesse asserunt, & in bilem toti vertuntur, nisi dictatis eorum, tenui solummodo similitudine suffultis, fidem supinam tribuamus. Sed, ut aperte loquar, odi profanum illud interpretum genus, & arceo, qui cum DEI sacris ludunt, & Legis instituta, tanquam imagines cereas, in omnium rerum formas & ideas pro arbitrio fingunt.* Absit per omnem modum, ut cum sacris Divinis ludamus, & Legis instituta, in omnium rerum formas, pro arbitrio fingamus. Nos inpræsens operam daturi sumus, ut arcam fœderis sanctam occultamque significationem habuisse probemus, & sententiam nostram idoneis argumentis, firmisque Scripturæ testimoniis stabiliamus.

§. VII. Quemadmodum totum tabernaculum, cultusque in eo peractus occulte ad Messiam respexit, quod Paulus docet Ebr. IIX, 5. ita sigillatim, arcam fœderis arcanam quandam rei cœlestis figuram fuisse, censeri debet. Apostolus certe Ebr. IX, 4. 5. arcam hanc, auro undique circumtectam, a singulari pulchritudine laudat, & inter Tabernaculi Mosaici mysteria refert, quorum arcanas significationes exponit. Et tametsi de arca ipsa nihil ibi dicit, nec quid significaverit, brevitati studens, exponit, non obscure tamen indicat, haud deesse circa hoc argumentum, quæ dici possent. Alia pro-

procul dubio Paulo mens fuit, ac SPENCERO, qui opinatur, *DEUM arcam suam e cedro fieri, & laminis aureis illustrari voluisse, quod Ægyptii, aliique arcas e cedro factas, & auro vel ebore conspicuas in mysteriis suis usurparent.*

§. IIX. Elegans firmissimumque argumentum ex Apoc. XI, 19. peti potest, ubi Joannes apertum in cœlis templum narrat, visamque in eo arcam fœderis. Quemadmodum hoc in loco templum Dei Ecclesiam notat: ita *Arca* aliquid notet, necesse est, quod ad Ecclesiæ felicitatem, gloriamque pertineat. Quis enim cum SPENCERO affirmaret, arcam Joanni visam, impurum Ægyptiacæ superstitionis monimentum fuisse? Rectiora hac in re nos docet H. WITSIUS *T. I. Miscell. L. II. Diss. I. §. LXXVIII p 441.* Nimirum *visa in templo arca, quod nunquam fas fuit, dum stationem adhuc suam obtinebat priscum tabernaculum, eleganter significat claram distinctamque cognitionem mysteriorum DEI in Christo, & præsentiam DEI Christique adeo conspicabilem, factisque illustribus comprobatam, ut nemo dubitare queat, quin communicatione felicitatis suæ in Ecclesia habitent.*

§. IX Propitiatorio arcæ operculo Christum præfiguratum esse evictæ perinde ac confessæ fit veritatis, si Paulum audimus, qui illud ἱλαςήριον appellat, (LXX interpretes secutus, qui reddunt ἱλαςήριον ἐπίθεμα χρυσίε καθαρȣ̃,) & ad Christum eleganter applicat Rom. III, 25. Si igitur *Arcæ* pars Christi figura fuit, cur non totius Arcæ typo rem cœlestem adumbratam esse existimemus?

§. X. Manifestum est, quod Θρόνος τῆς Χάριτος Ebr. IV, 16. respondeat *arcæ fœderis*, in intimo sacrario collocatæ, cujus scilicet operculo Cherubini insidebant, & cui nubes, in qua DEUS præsens erat, superne incumbebat. Iste vero *gratiæ thronus*, de quo PAULUS loquitur, nihil aliud est, quam DEUS, per Christum nobis conciliatus, aut, ut alii volunt, Christus ipse, qui amorem gratiamque DEI, peccatorum expiatione sanguinis sui effusione facta, nobis conciliavit, & qui nunc, postquam in cœlos sublatus est, supplicationes nostras audit, miserisque succurrit.

§. XI. Hanc ob causam maxima omni tempore arcæ sanctitas fuit. Omnia erant sancta, in quæ arca JEHOVÆ ingrediebatur 2 Chron. XIII, 11. Omnium oculi ab ipsius conspectu arcebantur, ut major ei veneratio conciliaretur. Summus Ebræorum Sacerdos sanctissimum templi adytum intrans *arcam* non nisi per nebulas

bulas, fumo antea per thuribulum facto, intueri poterat. Sanctitas arcæ sola oculorum curiositate violata, funesta Bethsemitarum strage vindicabatur 1 Sam. VI 19. quorum pœna, ob arcam minus decenter habitam, *Eurypili* supplicio ansam aut exemplum præbere potuit, ut judicat SAM. BOCHARTUS *Geograph. Sacr. P. I. L. I cap. 18.* Illicitus imprudensque USÆ contactus, quamvis ex veneratione quadam arcam apprehenderet, properata internecione puniebatur II. Sam. VI. 7. Peccaverat USA, quandoquidem arcam tractabat, quod Levitarum esse sciebat, & quod illam fere pro re humana habebat, & existimabat, DEum peculiarem ejus curam non habere, nec credebat eam per gloriosam DEI præsentiam sustentatum iri, ideoque opus esse, ut eidem labascenti sua opera succurreret. Vid. BASNAGIUS *in Hist. Vet. & Nov. Test. p m. 72.* PFEIFFERUS *in Dub. Vexat. Loc. LXXXII.* qui easdem funestæ USÆ mortis rationes reddunt. Cum itaque de incredibili *arcæ* veneratione apud Israelitas constet, cum læsa ejus sanctitas ab ipso Deo funesta violantium strage vindicata sit, quis eo induci poterit, ut SPENCERO credat, eam non aliam ob causam in imo tabernaculi sacrario, tam solicite asservatam, custoditamque fuisse, quam ut Israelitæ æque ac Ægyptii & Bacchi cultores cistam quandam in suis sacris haberent, & *ut DEUS populo superstitionis peste perituro antidotum ex ipso quasi veneno confectum, propinaret, & ne pueriles Israelitarum animi cultu simplici, & infra superstitionis Ethnicæ pompam subsidente, offenderentur.* Quæ an multum absint a blasphemia, judicabunt Lectores.

§. XII. Rationes SPENCERI, quas ad confirmandam pingendamque opinionis novitatem attulit, perinfirmæ sunt, & refelli facile possunt. Non inficiamur, gentiles olim sacram cistam habuisse, in qua Dionysii *αἰδοῖον pudendum* reconditum erat. Habebant aliam cistam secretorum capacem Græci in Cereris initiis usurpatam. Videantur Viri illustris EZECH. SPANHEMII Notæ ad CALLIMACHUM *p. m. 658.* qui putat, sacri Hebræorum *κιβωτȢ* seu *arcæ* imaginem aliquam in arcanis hisce Cereris cistis deprehendi. Suffragatur JO. LOMEIERUS *de Lustrationibus Cap. 2. p. 13.* In ipsis Bacchi Orgiis cistæ adhibebantur, & angues ingentes ex hedera proreptantes. Ita in nonnullis Cretensium nummis cista & corona hederacea conspiciuntur, quæ dubio procul cultum Bacchi per Asiam universam olim

vulgatissimum respiciunt. Nec pertinet non huc, quod in numismatibus ANTONII cista mystica Bacchi serpentibus imposita observatur, cum omnium fere Scriptorum suffragiis constitutum sit, ANTONIUM pro Baccho in Asia cultum fuisse. Vid. LAUR. BEGERI *Disquisitio de Nummis Cretensium serpentiferis*. Nec in Ægyptiorum pompis impurissimisque *Osiridis* sacris *cista* deerat. PLUTARCHUS in eleganti illo *de Iside & Osiride* libello cistarum, in Ægyptiorum sacris adhibitarum, frequentem facit mentionem. Unicum, sed illustrem ex eo locum dabo, qui legitur f. m. 366. Verba hæc sunt: *Decima nona mensis die descenditur noctu ad mare & τὴν ἱερὰν κίστην, sacram cistam stolistæ una cum sacerdotibus efferunt, in qua est intus aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis, & clamor tollitur ab his, qui adsunt, vociferantibus, ὡς εὑρημένου τοῦ Ὀσίριδος, Osiridem esse inventum.*

§. XIII. Tametsi autem SPENCERO utraque manu largimur, sacrarum cistarum usum frequentissimum fuisse non apud Ægyptios magis, quam apud Phœnices, Græcos item atque Romanos: nulla tamen suadet ratio, ut hujusmodi religionis instrumenta legem Mosaicam antiquitate superasse censeantur, quemadmodum doctissimus vir, nulla idonea ratione fultus, affirmat, & prolixe contendit. Neque PLUTARCHUS, EUSEBIUS, SUIDAS & alii, quorum testimonia laudat, tantam fuisse sacrarum cistarum antiquitatem, testantur, & si id affirmarent, nullam mererentur fidem. Nec definiri potest, an usus arcarum, quarum origo plane dubia est, primo vetustissimoque Osiridis & Bacchi cultui coævus, & an non longo demum tempore post eidem additus sit? Nec tanta fuit inter arcam Judæorum, & cistas mysticas gentilium affinitas & similitudo, ut ideo existimare oporteat, arcam Judæorum a gentilium cistis originem duxisse. Quid impedit, quo minus statuamus, & Israelitas arcam & gentiles cistas, ob rationes utrique genti proprias, & cum ipsa cultus sui natura intime conjunctas, habuisse? Ipse quidem Spencerus sibi hoc dubium format, sed nihil exspectatione dignum respondet. Multo minus causam satis tuetur, cum ait: *Neque paulo sanior dixerit, gentes illas omnes Arcarum suarum exemplar ab obscura diu & contemta Judæorum gente petiisse; vel eas omnes, cetera discordes, in unius instrumenti religiosi usu convenire voluisse, nisi a Patribus quibusdam communibus, Mose antiquioribus, & arcas sacras in usu haben-*

bentibus, ritum & religionem illam accepissent. Qui ea, quæ nos breviter strictimque disseruimus, defæcato animo, nullisque anteceptis opinionibus imbuto, considerat, haut difficulter credet, arcarum religionem ab Israelitarum arca, Divinitus instituta, & tot miraculis incluta, ad gentes primum vicinas, lapsu deinde temporis ad remotiores etiam dimanasse. Judæi Palæstinam subigentes plurimas gentes, Jebusæos, Gibeonitas, intempestiva clementia servarunt, & cum Phœnicibus frequens commercium exercuerunt, nec a vero est alienum, Phœnices, disseminatis per totum terrarum orbem coloniis, instituta & Libros Mosis, quos ob linguæ affinitatem intellexerunt, circumtulisse, & aliis religionis Judaicæ illustrissimis miraculis confirmatæ, summam explicasse. Conf. HEIDEGGERUS *Tom. I. Exercit. Bibl Diss. X. §. XIX.* H. WITSIUS *in Miscell. l. c.* & WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist P. II p. 269.* Applicationem *arcæ* ad Christum, quem omnino præfiguravit, vide ap. NIC. HUNNIUM *Homil Typ. in Evangel. Dom. 1. Adventus.* Lundium in alten Jüdischen Heiligthümern L. I. cap. XXII. aliosque.

XIIX.

DE HIRCO EMISSARIO
CHRISTI FIGURA,
Levit. XVI.

§. I.

SAcro expiationis die, qui decimus erat mensis Tisri, summum Judæorum Sacerdotem vestimentis lineis indutum, qualia gregarii sacerdotes gestabant, duos hircos ad ostium tabernaculi adducere oportebat coram facie Domini, super quibus sorte missa, alter cedebat *Domino*, alter *Azazeli*: ille sacrificari, hic vivus in desertum emitti debebat. Falluntur, qui Sacerdotem summum vestibus aureis indutum, & magnificentia Pontificali conspicuum, populi peccata expiasse & Sanctum sanctorum ingressum esse putant. Tametsi enim alias in vestibus aureis ministrabat, tamen hoc die illam pompam, quasi in mœrore esset, deponebat, lineasque vestes, non ordinarias quidem, sed peculiares, quibus amplius non utebatur toto anno, induebat, sicut Ebræorum magistri magno consensu docent.

§. II. Ingenti vero animorum dissensione inter Ebraicarum antiquitatum consultos quæritur, utrum *Azazel* hircum notet, an aliud quid? Pervulgata est sententia, & ab eruditissimis viris approbata, ipsum caprum in deserta emissum dictum fuisse עזאזל, *Azazelum*. In quam opinionem hoc præcipue argumento ducuntur, quod illa vox ex עז *caper* & עזל *abiit* componi videatur. Quam sententiam cum usu capri piacularis, qui vivus in desertum emittebatur, optime convenire, & a vetustissimis interpretibus confirmari, arbitrantur. SYMMACHUS habet, *εἰς τράγον ἀπερχόμενον, in hircum abeuntem*, AQUILA, *εἰς τράγον ἐπιλελυμένον εἰς τὴν ἔρημον, in hircum, qui in desertum dimittitur*, LXX. SENIORES GRÆCI, *τῷ ἀποπομπαίῳ*, vel *εἰς τὴν ἀποπομπήν*. Hos maxime Græcæ Ecclesiæ Patres, neglecto fontium Ebraicorum scrutinio, secuti sunt, quibus *ὁ τράγος ὁ ἀποπομπαῖος* hircus est, qui in desertum emittitur. V. SUICERUS in *Thesauro Eccles.* Ubi tamen observandum est, quod hæ voces apud Scriptores Græcos longe alium usum habeant, quibus *ἀποπομπὴ* fere est *ἀποτροπή*, depulsio malorum per sacrificia & preces. *Θεοὶ ἀποπομπαῖοι*, *Dii averrunci* erant, qui mala avertere credebantur, iidem, qui alias *ἀποτρόπαιοι* dicebantur. Josephus LXX. virali versione deceptus, in qua legitur, hircum *εἰς τὴν ἀποπομπὴν* in desertum missum esse, intellexit *ἀποτροπὴν*, vel quod idem est, *ἀποτροπιασμόν*. JULIANUS Apostata hoc Mosis loco abusus probare conatus est eum scripsisse *περὶ τῶν ἀποτροπαίων de Diis averruncis*, quem acriter & prolixe refellit CYRILLUS, *Libro nono adversus Julianum.*

§. III. Displicet hæc vocis origo SAM. BOCHARTO, *P. I. Hieroz L. II.* cap. LIV. f. 651. quia עז est capra, non vero hircus, & quia עז est in fœminina, אזל vero in masculina forma. Permulti his rationibus moti, BOCHARTO suffragantur. Nos novimus, in unius nominis compositione easdem Syntaxeos regulas non observari, ac in duarum, pluriumque vocum constructione. Præterea עז quandoque masculinum esse & utrumque sexum continere probavit JAC. GUSSETIUS *Commentar. Lingu. Ebr. f. 596.* qui propterea communiorem vocis compositionem retinet, & עזאזל de hirci ipsius nomine intelligit, dicique ita existimat, quia abit in libertatem, sicut alter passerum leprosi, Levit. XIV, v. 53.

§. IV.

§. IV. Etsi nos fatemur, Bochartianis rationibus nihil solidi inesse, negamus tamen *Azazel* fuisse nomen hirci. Verba Mosis illi sententiæ aperte repugnant. Nam Levit XVI, 8. ita legitur: *Et dabit Aaron super duobus hircis sortes, sortem unam* ליהוה, *Domino, & alteram sortem* לעזאזל *Azazeli*. Nam *Lamed* Jehovæ & Azazeli præfixum casum eundem, nempe *Dativum* notat, nec possunt ei significationes diversæ in eodem commate attribui. Sin autem contendas, לעזאזל de hirco emissario accipi debere, necesse est, ut simul admittas, priorem hircum, qui mactandus erat, יהוה fuisse dictum, quod impium & blasphemum esset. Praeterea si DEUS per עזאזל v. 8. nihil præter *hircum abeuntem* intelligi voluisset, proculdubio clariore voce שעראזל fuisset usus, quæ intellectu facilior est, cum præcipue in antecedentibus duorum שעירים mentio fiat.

§. V. Quid ergo statuendum? Dicemusne *Azazelum* Diabolum esse? Ita multis subinde visum est. Exstat inter CYRILLI ALEX. Epistolas una bene longa ad Melitenes Episcopum ACACIUM *περὶ τοῦ ἀποπομπαίου*, qua in eos acriter disputat, qui ex eo, quod in Græca versione legerant, in duos hircos jactas fuisse sortes, unam Domino, & alteram *τῷ ἀποπομπαίῳ*, colligebant, ex duobus hircis unum quidem DEO ad sacrificium deputari, *τόνγε μὴν ἕτερον ἀποπομπαίῳ τινὶ καὶ πονηρῷ, καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι πεμφθῆναι κατὰ τὴν ἔρημον*, *alterum autem ad averruncum aliquem malum & impurum Dæmonem in desertum fuisse amandatum*. Idem postea multi ex Judæis fassi sunt, inter quos proverbium ortum: *Date munus SAMAEL in die Expiationis.* SELDENUS de DIs Syris, Synt. II. cap. VI. p 307. Loco *Azazelis* substituerunt *Samael*, quæ vox ex COCCEII conjectura est quasi סר מֵאֵל *recedens a DEO*, *ὁ ἀποστάτης*, *Commentar. in Epist. ad Ebræos cap. IX v. 12. § 24.* Hos fere ex recentioribus sequitur JO. HENR. REIZIUS in notis in GOODWINI *Mosen & Aaronem p. 289.* & per עזאזל intelligit eum, quem gentes in *Faunis* & *Hircis bifidis* coluere, hoc est, Diabolum, qui h. l. ליהוה opponatur. Idem multis inductus argumentis sibi persvasum habet JO. SPENCERUS L. III Leg. Rit. Differt. VIII. cap. I. Sect. II. Huc refert ipsam originem vocis, quam ab עָז *fortis* & אָזַל *abiens, cito recedens, fugiens*, conflari, nihilque coacti vel violenti in ea contineri putat.

§. VI.

§. VI. Commentum illud Judæorum jure meritoque rejectum & explosum fuit. Quid enim fingi potest ineptius absurdiusque, quam DEum ex duobus hircis alterum sibi, alterum Diabolo destinasse, & offerri jussisse? Nonne Levit. XVII. v. 7. sacrificare Dæmonibus disertis verbis vetat? Hic ipse hircus, qui vivus servabatur, ut in desertum emitteretur, coram Domino sistebatur Levit. XVI. v. 10. Uterque hircus ex æquo Domino sacer erat, differentia consistebat in solo offerendi modo. Alter jugulandus erat & cremandus, alter in deserta vivus emittendus. Ipse JO. SPENCERUS hujus argumenti vim sensisse videtur, quia diserte fatetur, opinionem Judæorum de hircorum partitione inter DEum atque Diabolum, *blasphemam & quovis somnio absurdiorem* esse. An autem omne incommodum evitaverit, cum dixit, *hircum emissum non oblationis loco, sed anathematis, ad Azazelem amandari debuisse*, alii judicabunt. Tolerabilior est opinio eorum, qui cum JO COCCEJO *in Comment. ad Ebr. IX. 25.* JO. VAN DER WAYEN in Differt. priori de *Hirco Azazel* §. *CIV. in Var. Sacris p. 185.* & HERM. WITSIO *in Oecon. fœd. div. p m 676 per Azazelem* Diabolum quidem intelligunt, sed negant hircum istum ei destinatum fuisse ad Diabolum placandum, ac si divisum cum DEo imperium haberet, respicientes solum ad traditionem Christi in manum Diaboli, habentis imperium mortis, ad illum exagitandum. Nequaquam autem audiendus videtur STEPH. le MOINE qui in *Notis* ad Epistolam BARNABÆ *p. m. 654.* voce *Azazel* designari putavit DEum ipsum, qui ita vocatus fuerit, quasi עזז אל. DEum quippe persæpe vocari עז *robur* fidelium. Unde fluxerit vox Ἄζιζος, quo nomine Mars olim sit designatus apud Emesenos, quasi DEus fortissimus & potentissimus. Sic Azazel idem esse, quod אל גבור Es. IX. 6.

§. VII. Cum igitur per עזאזל nec ipse hircus piacularis, nec DEUS, nec Diabolus intelligi possit, sicut ostendimus, necesse est, ut pro *nomine loci* in desertis Arabicis, ubi hæc constitutio primitus promulgabatur, accipiamus. In hanc opinionem DEUS ipse nos ducit, qui obscuram vocem לעזאזל quo hircus emissarius ducendus erat, explicat partim generatim per המדברה *in desertum*, partim determinatius per לארץ גזרה, *in terram excisam, divulsam* & inhabitabilem, ob rupes montesque præaltos abruptam & confragosam. Græci reddunt γῆν ἄβατον, id est, HESYCHIO inter-

interprete, *ἀπρόσιτον, ἀδιέδευτον, ἀπέραντον.* JONATHAN vocum Ebræarum loco אתר צדיא *locum desolatum* habet, ONKELOS ארץ לא יתבא *terram non habitabilem*, SYRUS utrumque sensum notavit, cum reddit [illegible] *terram incultam.* STEPHANUS LE MOINE *in Notis ad V. S. p. 645.* גזרה exponit *excisionem, & separationem*, aitque, multa istius denominationis vestigia apud Arabes hodienum superesse. Et sane ab ea voce אלגזירה *Algezira insularum* nomen est apud Arabes, quia a continente separatæ sunt. Mesopotamia, quæ apud Hebræos vocatur ארם נהרים *Syria fluviorum*, media inter amnes Tigrim & Euphratem, Arabice vocatur *Geferet* apud auctorem Geographiæ Nubiensis. Sic *Algerium* hodie dicitur, quasi *Algesirium* insula, vel peninsula, a continente excisa, & aliqua ex parte separata. In ejusmodi terræ incultæ & separatæ locum hircum eductum esse, diserte testatur MOSES Levit. XVI. 26. Nostra opinione ergo *Azazel* est nomen proprium *loci* in inviis obscurisque Arabiæ petraeae desertis, quo prima vice hircus emissarius ducendus erat, quia forte non ita procul ab Israelitarum castris aberat. Utrum autem locus ille *ingens præcipitium* fuerit, vel *petra*, vel *mons*, ut statuunt Arabes, & non pauci ex Ebræis, definire non audemus, neque existmamus, huc, nempe in montem vel locum *Azazelum* ab urbe Hierosolyma quotannis Israelitas hircum piacularem deduxisse ob vastas interjectas solitudines. Suffecisse putamus, si in deserta emitteretur. Cum vero in festi expiationis institutione solenni in illis desertis, quo emitti debebat prima vice, locus esset, qui obscuro & peregrino sermone *Azazel* vocaretur, DEus sigillatim specialem illum locum determinare voluit. Conjecturam nostram firmant JONATHAN, ONKELOS, SAMARITANUS, & interpretes alii bene multi, qui nomen *Azazel* relinquunt *ἀνερμήνευτον.* Quis autem credet, interpretes tam doctos *Azazel* meris tenebris involutum relinquere voluisse, si nomen illud appellativis accensendum esse, & עֵזאָזֵל *hircum abeuntem* sonare, credidissent? Eadem vocis obscuritas in causa est, quod doctissimi viri de voce עזאזל nihil habent satis certum. Incomparabilis BOCHARTUS P. I. Libr. II cap LIV. Hieroz. f. 654. 655. eruditam conjecturam affert. eandemque doctorum judicio permodeste submittit. Azazel ab Arabica voce *azala*, quod *separare, & recedere est*, derivat, & לעזאזל explicat *πρὸς ἀναχώρησεις*

ῥήσεως, id est, *ut in locum deserti remotum & separatum deducatur, qui vocatur, versu vigesimo secundo* ארץ גזרה *terra excisa, aut divulsa.* A BOCHARTI interpretatione non multum abit HADR. RELANDUS *in Antiquit. Hebr. p. 434.* לעזאזל explicans ex Arabica lingua : *secessioni.* In re ipsa cum BOCHARTO conjectura nostra fere consentit. Nos tamen Arabicam illam originem *vocis*, quam dedit, pro certissima & ab omni exceptione & dubitatione immuni, venditare non audemus.

§. IIX. Hirco in desertum emittendo summus Sacerdos non solum imponebat utramque manum, sed etiam omnia totius populi peccata, ceu *καθάρματι*, ac edita publica & solenni peccatorum confessione & oratione ita eum devovebat, ut si quid mali propter admissa peccata populo impenderet, in caput hirci devoti converteretur. Hæc surrogatio hirci in locum populi, & facta peccatorum imputatio, atque luitio pro illis, vice populi, adumbrabat satisfactionem Messiæ, qui in vicem generis humani surrogari, peccata totius mundi in se suscipere, ac pœnam pro hominibus luere debebat. Vid. B CALOVIUS *in Bibl. illustratis* h. l. & in *Socinianismo profligato* p. 602. Formula, quam Sacerdos Maximus juxta hircum in deserta abducendum die expiationis edebat, totius populi Israelitici nomine, & quæ *in Codice Joma cap. VI. §. II.* exstat, hæc erat : אנה השם חטאו עוו פשעו לפניך עמך בית ישראל אנה השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאו ושעוו שפשעו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורת משה עבדך לאמור ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה תטהרו *Ah Domine, peccaverunt, perverse egerunt, prævaricati sunt coram Te populus tuus Israel. Ah, Domine, expia quæso peccata & iniquitates, & prævaricationes, quibus peccaverunt, & quibus perverse egerunt, & quibus prævaricati sunt coram Te populus tuus, domus Israel. Sicut scriptum est in lege Mosis servi tui, ubi dictum est: In hac die expiatio erit vestra atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini.* Quibus precibus ita respondebant populus juxta ac Sacerdotes: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Laudetur nomen venerabile regni ejus in secula seculorum.* Vid MAIMONID. in Jom Hakippurim Cap. IV. §. II. GUIL. OUTRAMUS Libr. I. de Sacrificiis Cap. XV. §. IX. p. 159. & SAM. BOCHARTUS l. c. f. 657.

§. IX.

§. IX. His fere similia in gentium sacris inveniuntur. Imprecatio in caput victimæ pervetustus Ægyptiorum ritus fuit, quem præter Ægyptios plures aliæ gentes usurparunt, dum victimas & piacula hujusmodi sibi succedanea subdebant ad peccata expianda, civitates lustrandas, & Deorum iram, ac imminentem calamitatem avertendam. Rem discimus ex Herodoto, qui de Ægyptiis narrat, quod execrentur victimarum capita in hæc verba: εἴτε μέλλοι, ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ, κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι, *si quid mali vel ipsis immolantibus, aut Ægypto toti, futurum sit, in hoc caput convertantur.* Addit insuper, hunc morem per universam Ægyptum, κατὰ τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων, *circa capita pecudum immolandarum* obtinuisse. Propterea hujusmodi victimæ a Græcis ἀρεῖοι, ἀποτρόπαιοι, φαρμακοὶ, μιαροὶ, ἐπάρατοι, περιψήματα dicebantur. Græci, Ægyptios imitati, eundem morem non tantum in *pecudibus*, sed & *hominibus* ad sacrificia piacularia adhibitis, observarunt, eosque populi vice diris omnibus devoverunt, & ad iram Deorum averruncandam, neci tradiderunt, pœnam succedaneam luituros. Refert ARISTOPHANIS SCHOLIASTES *ad Plut. & Equites*, aluisse Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles, quos, cum malum civitati impenderet, pestis scilicet, aut tale quicquam, ad piaculum expiandum immolarint. Illos καθάρματα appellabant. Imprecationis formulam, qua ei, qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, imprecabantur, SUIDAS tradit in voce περίψημα: περίψημα ἡμῶν γένε, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις, *Sis peripsema nostrum, hoc est, salus & redemtio.* Atque ita illum in mare præcipitabant, quasi Neptuno sacrum persolventes. Idem fecere Massilienses, qui quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis, ac vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis, & sic projiciebatur. SERVIUS ad Æneid. III. Interdum homines ejusmodi devotos, & quævis alia καθάρματα publica de rupe vel monte deturbabant. Hi vero in aliorum vicem exitio devoti homines a Græcis ἀποτρόπαιοι, κατάρατοι, ἀποπεμπαῖοι, ἀναθέματα, περιψήματα, καθάρματα a Romanis *victimæ piaculares, vicarii, & sacri* dicebantur. Vid. HENR. URSINUS *in Analect. Sacr. L. I. cap. 29.* HUG. GROTIUS de *satisfact. Christi cap. IIX. & X.* SAUBERTUS

TUS de *sacrif. cap III.* HERM. WITSIUS *in Ægyptiacis Libr. II. cap. IX. §. VI.* & JO. LOMEIERUS de *Lustrationibus p. m. 267 & 275.*

§. X Cumulate probavimus, morem diras piaculis imprecandi, non apud Ægyptios duntaxat usitatum, sed apud gentes quam plurimas etiam receptum fuisse. Hac occasione quæritur, an expiationis Judaicæ rationes, & imprecatio in caput hirci piacularis facta, ab antiquiore gentilium more repeti debeat; an vero gentium ἀποτρόπαια, & victimæ piaculares e Mosis legibus expressæ sint, ita ut hircus Judæorum lustralis, omnium vice devotus, hominibus inter Ethnicos pro salute publica devotis & immolatis, occasionem dederit? Posterius communi fere Doctorum suffragio confirmatur, qui existimant, ritum expiandi Mosaicum ab ipsomet Deo, cum antea nullum ejus vestigium inter gentes extaret, fuisse inventum, institutum, populoque Judaico traditum, nec dubitant, quin inde ad Ægyptios aliosque populos manaverit similis ritus, ob paganorum κακοζηλίαν, & Diaboli, hirci emissarii piaculum æmulantis, fraudes. Sed MARSHAMO atque SPENCERO longe alia mens est. Existimant enim, DEUM cum expiationis ritum institueret, seipsum ad seculi mores, usu longo receptos & inolitos, qua licuit, accommodasse, & quæ sigillatim de hirco ἁμαρτοφόρῳ & piaculari traduntur, ad similitudinem aliquam Typhonicorum sacrorum, quamvis sanctiori instituto, a DEO præscripta esse. Idcirco multa de gentium antiquiorum ἀποτροπαίοις, & expiandi ceremoniis altius repetierunt, non alio consilio, quam ut ostenderent, *expiandi religionem Mosis ætate vetustiorem*, & permultos exinde ritus in legem divinam translatos esse a Deo, partim *ut gentis Judaicæ genium ritualem exerceret, & Judaismus non minorem a peccati conscientia, vel mali alicujus impendentis metu securitatem, quam gentilismus, afferre crederetur; partim etiam, ut luxuriantes expiandi ritus intra certos terminos coërceret, & hominum animos sub rituum eorum onere laborantes justæ libertati restitueret.* Vid. JO. SPENCERUS in Dissert. VIII. de Hirco Emissario Libr. III Leg. Rit. p. 1456. & JOANNES MARSHAMUS in *Canone Chronico Sec. IX. p. 206.*

§. XI. Quemadmodum SPENCERUS hircum altari destinatum & mactatum munus ἱλαστικὸν *propitiatorium* præcipue fuisse, & ad iram DEI, peccatis lacessiti, leniendam valuisse censet: ita

ita hircum in solitudinem a ductore suo dimittendum, pro munere *ἀποτροπαίῳ*, *malorum depulsorio*, & ad famem, pestilentiam, hostium incursiones, aliasque calamitates publicas peccato debitas, avertendas oblato, habet, & opinatur ζῶα gentilium ἄφετα vel *animalia Numini per dimissionem consecrata*, hirci illius emissarii institutioni causam & occasionem præbuisse.

§. XII. Negari nequit, ritum dimittendi sacra quædam animalia in honorem alicujus DEI, pervetustum, & a Græcis non solum, sed a Syris etiam, Indis, Arabibus & Romanis, familiariter olim usurpatum fuisse. Græci ἄνετα, ἄφετα, appellabant, quia libere & sine custode in campos dimittebantur. Horum nominum verba, ἀφεῖσθαι & ἀνεῖσθαι, quæ proprie de animalibus solenniter dimissis, & Numini alicui sacratis dici putantur, LXX. interpretes, circa legem de hirco emissario versati, adhibuerunt. Hinc opinandi causam sumsit doctissimus Vir, Deum se in hujus ritus institutione ad antiquissimum illum gentilium morem, quem lege Mosaica antiquiorem esse credit, attemperasse, & hircum piacularem versu XXVI. dictum διεςαλμένον εἰς ἄφεσιν exponit ἄφετον, ἄνετον ex gentilium ritu a nobis indicato.

§. XIII. Si, quid de hac SPENCERI opinione sentiam, aperte dicere licet, videtur mihi vir summus magno conatu, & exquisito eruditionis apparatu nugari. Quæ de origine expiationis Judaicæ, per hircum emissarium factæ, ex recondita antiquitate prolixe disseruit, ne veri quidem similitudinem habent. Quod B. FRANZIUS olim in SOCINO, & B. CALOVIUS in H. GROTIO reprehendunt, quod sacra non sacra mente videantur tractasse, sed profana, idem illud in SPENCERO & MARSHAMO, viris ceteroquin longe eruditissimis, vituperatur. Nam sanctissimas arcaniorum rerum figuras non aliter contemplantur, quam ut profanas Ægyptiorum ceremonias, & ritus ex putidis gentium superstitiosarum lacunis haustos, quos DEus paullulum immutarit, & ad sanctiora instituta accommodarit, ut pervicaci populi ingenio, atque ineptiis istis innutrio, obsequeretur.

§. XIV. Non negavimus, imprecationem in caput victimæ ritus fuisse Ægyptiaci, largiti insuper sumus utraque, quod ajunt, manu, morem illum gentibus antiquioribus jam inolevisse, ut animalia, Deo alicui sacra & devota, libere & sine custode in campos emitterentur. Sed an ritus illi ante Mosem fuerint usitati apud

Ægyptios, & an ab his divino consilio in Israelitarum religionem invecti sint, illud probatu difficile, imo impossibile plane est. Recte observavit H. WITSIUS *L. III. Ægyptiac. cap. I.* p. 194. esse hanc controversiam ex earum quæstionum genere, quæ quum in factis consistant non subtili aliqua ratiocinatione, aut audaci hariolatione, sed idoneis testibus, qui vel ipsi ea ætate vixerunt, vel ei proximi fuerunt, aut sua saltim ex talibus, sine fabulosarum narrationum mixtura hauserunt, comprobari debere. Jam vero auctores omnes, quos laudant ut testes & suffragatores sententiæ suæ, ætate Mosis multo sunt inferiores, nec tantæ vetustatis fidem facere possunt. HERODOTUS, cujus auctoritate nova hæc opinio maxime innititur, omnium quidem, qui hodie exstant, Græcorum historicorum vetustissimus est: at Mose multis seculis est recentior, cum floruerit temporibus Darii Hystaspidæ, Xerxis, & Artaxerxis, circa annum urbis conditæ trecentesimum, & fide non optima res præsertim Ægyptias conscripsisse jam olim ferebatur. Recentiores igitur Ægyptiorum mores, quos HERODOTUS, LUCIANUS, PLUTARCHUS, CHÆREMON, MANETHOS, aliique descripserunt, in opinionis confirmationem afferri urgerique non debebant, quippe quos a Judæis potius ipsi acceperunt Ægyptii, varieque, ut fieri solet, interpolarunt, aliisque gentibus tradiderunt. MARSHAMI & SPENCERI hypothesis funditus evertitur divino edicto, quod exstat Levit. XIIX. 3 *Juxta opera terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis, atque juxta opera terræ Chanaan, in quam ego vos introduco, non facietis, neque legitimis eorum ambulabitis.* Conf. JO. VAN DER WAYEN *in Variis Sacris p. m. 576*, & STEPHANUS LE MOINE *in Notis ad V. S. p. 648.*

§. XV. Quod sigillatim hircum piacularem attinet, qui gentis Ebrææ iniquitates in extremum desertum exportabat, & quem *ἀποτρόπαιον, munus malorum depulsorium*, & *ἀλεξητήριον* fuisse SPENCERUS opinatur, perinde constat, illum sacrum Deoque devotum, *ἀποτροπιασμὸν* autem non fuisse. Neque LXX. interpretes hunc errorem confirmant, quando ajunt Lev. XVI, 10. Israelitas hircum alterum *εἰς τὴν ἀποπεμπὴν ad malorum depulsionem* emisisse. Etsi enim *ἀποπομπὴ* Græcis purioribus notat *τῶν κακῶν ἀποτροπὴν* apud *Suidam*: tamen sermonis Hellenistici simplicitas ad Græcorum elegantias non semper exigi debet. Hæc vocis לעזאזל interpretatio *εἰς τὴν ἀποπομπὴν*, Græcorum seniorum

rum ignorantiæ, qui peregrinam Ebræi textus vocem non intellexerunt, & ſenſum ex ingenio confinxerunt, ut alias ſæpe, rectius mea opinione adſcribetur. Idem eſto judicium de verbis ἀφεῖσθαι & ἀνεῖσθαι, a LXX. interpretibus de hirco piaculari uſurpatis; eum enim exponunt v. 26. διεσταλμένον εἰς ἄφεσιν, & mandatum de illo emittendo v. 10. καὶ ἀφήσει αὐτόν. Quas formulas cum de animalibus libere dimiſſis, & Deo alicui ethnico devotis, in Græcorum ſcriptis communiter uſurpari credat Spencerus, in eam ducitur opinionem, iſtum gentium morem inſtitutioni hirci emiſſarii in gente Ebræa originem præbuiſſe. Verum eſt, & a nemine in dubium vocatur, quod ἄφετοι Græcis, HESYCHIO interprete in ἄφετ. ſint οἱ ἱερόβοαι καὶ ἀπολελυμένοι, eodem fere ſenſu, quo γυναῖκες ἄφετοι vocatæ ſunt apud Athenæum αἱ ἀφοσιούμεναι ſine cuſtodia agentes, & Veneri omnium obviæ. Sed verba ἀφεῖσθαι & ἀνεῖσθαι multo latius patent, & quamvis dimiſſionem notant, nec in ſignificationem adeo ſtrictam & ſingularem repugnante puriorum Græcorum uſu cogi poſſunt. Quod reliquum eſt, quamvis concederetur, LXX. interpretes voces & formulas e medio gentiliſmo ſumtas ad hirci emiſſarii ritus & uſus exprimendos uſurpaſſe, inde tamen non ſequitur, nec colligi poteſt, ex ſuperſtitioſa & impura gentilium religione & luſtratione expiationis Judaicæ ſolennia originem duxiſſe.

§. XVI. At vero, inquit SPENCERUS, *niſi expiandi religio Moſis ætate vetuſtior habeatur, ſudabit ſatis, qui rituum illorum rationem redditurus eſt.* Non neceſſe eſt, ut in eruenda iſtorum rituum ſignificatione & cauſa multum ſudemus. Omnia expiationis inſtituta Chriſtum pleniſſimamque ejus ſatisfactionem, ſanguinis effuſione perficiendam, tam clare depingebant, ut neminem ex Judæis, oculatioribus paulo, id latuiſſe credam. Quod ut eo rectius a nobis etiam intelligatur, ſciendum eſt, utrumque hircum חטאת *ſacrificium pro peccato* fuiſſe Levit. XVI, 5. 9. 10. Illuſtrandæ & confirmandæ huic veritati accommodari poteſt præceptum circa perſonam, vel domum leproſam duabus avibus luſtrandam, quod exſtat Levit. XIV, 49. 50. &c. quarum una jugulata, alteri liber in agros volatus permittebatur. Exinde cognoſcitur, ut e duabus avibus, ſic ex duobus etiam hircis, licet modo diſſimili oblatis, unum ſacrificium pro peccato coaluiſſe, & elegantem Chriſti figuram fuiſſe, qui aliquando totius humani generis peccata ad inſtar ἀποπομπαίου in ſeſe ſuſcipere, portare & ex-

expiare, atque pro impositis peccatis mortem subire & Deo sese in sacrificium piaculare offerre debebat. Conferatur Esaiæ cap. LIII. & S. Paulus in Epist. ad Ebræos cap. IX nec non B. CALOVIUS in Bibl. illustr. h. l. f. 488. Vid. JO. BRAUNIUS ad Hebr. XIII. p. m. 943.

§. XVII. Quemadmodum hæc figura hirci emissarii σκιὰ τῶν μελλόντων fuit, & in JESU NAZARENO impleta est: ita haud difficulter ostendi potest ratio, qua Christi in montem Golgatha eductionem præfiguravit. Nam sicut Christus magno comitatu educebatur: ita hircum plurimi viri ac fœminæ ex nobilioribus etiam urbis incolis, unum ab urbe milliare, cum summa devotione comitabantur. Christus post copiosam demum sanguinis effusionem in locum supplicii educebatur, siquidem coronatio & flagellatio præcesserant: Hircus emissarius prius emitti non poterat, quam sanguines hirci alterius mactati adspersi, & cornibus altaris exterioris impositi essent. Sicut Christus a militibus Romanis, tanquam peregrinis eductus est: ita hircus a peregrino homine educebatur. Nolebant enim sacerdotes, ut Israelitæ eum educerent, ut TALMUDICI habent in *Joma* cap. VI. & inde SAM. BOCHARTUS l. c. f. 558. Ut Christus vere peccata nostra portavit, cum ad crucis supplicium duceretur, 2 Cor. V, 21. Es. LIII, 4. Johann. I, 29. ita hircus ἁμαρτοφόρος atque piacularis vere in se susceperat totius populi Israelitici peccata, eademque in desertum exportabat. Erant enim illi ambabus manibus a Summo Sacerdote imposita, ut ille, qui hircum duceret, vehementer immundaretur, & lavare deberet vestes atque Solis occasum expectare, ut in castra ac cœtum reliquorum civium redire posset, Lev. XVI, 26. Ex hac lege multarum gentium καθάρματα & ἀποτρόπαια procul dubio ortum habent, quæ valde immunda erant, & maximam lustrandi necessitatem afferre credebantur. Testatur PORPHYRIUS Libr. II. de Abstin §. 44. Inde etiam impiis, qui expiandi erant, secedendum erat e medio, ne suo contagio alios contaminarent. Οὐ γὰρ Θέμις, βέβηλον ἅπτεσθαι δόμων, *nec enim fas est, impurum contingere ædes*, ut cecinit EURIPIDES *Protesilao*. ORESTES, occisa matre, qvum venisset ad Trœzenios, & ab iis expiari vellet, quia nemo eum οἴκῳ δέξασθαι domo recipere volebat, manere debuit in tentorio quodam, usque dum expiatus esset, ut refert PAUSANIAS Corinth. Cap. 32. Hæc ex Mosaicis sumpta & ad gentes transla-

ta

ta putat Vir Cl. JAC. PERIZONIUS in Notis ad Ælianum *L. VIII. Cap. V. p. m. 491.* Sicut amici eminus ſtabant, cum Chriſtus in montem Golgatha veniſſet: ita homines, qui usque ad ultimam ſtationem hircum comitati fuerant, eminus ſtabant, ut viderent, quid cum eo ageretur. Neque enim iis licebat ulterius progredi. Cum Chriſtus in monte Golgatha cruci affixus eſſet, ſtatim id innoteſcebat Hieroſolymis: pari ratione adventus hirci in deſertum incolis Hieroſolymitanis ſumma cura & celeritate indicabatur, ut peccata ſublata & ſeſe expiatos eſſe ſcirent. Hinc altos erigebant lapides, ſi MAIMONIDI fides, in quibus viri nonnulli ſtabant, quorum unus alteri adventum hirci in deſertum ſignificabant. Sicut memoria perpeſſionum Chriſti ab Apoſtolis in concionibus, & uſu Sacræ cœnæ repetebatur: ita Sacerdos Judæorum ſummus de adventu hirci in deſerta certior factus, totam expiationis ceremoniam populo interpretabatur, ut, quid illa hirci luſtralis eductio ſignificaret, omnes intelligerent. Nam in atrio mulierum prælegebat caput Lev. XVI. & XXIII. ubi univerſa feſti expiationis ratio continetur. Conf. MAIMON. *de Feſto Expiat. Cap. IV.* Quemadmodum eductionem Chriſti ad crucis ſupplicium mortisque perpeſſionem Divinæ benedictiones largiter ſequebantur, Eph. I v. 3. quia DEus per Chriſtum nobiſcum reconciliatus eſt? ita cum hircus in deſertum emiſſus eſſet, Sacerdos ſummus in templo recitabat oretenus varias benedictiones, benedicebat templo, ſanctuario, cultui Divino, urbi Hieroſolymæ, & ſacerdotibus, juxta MISCHNAM de Feſto Expiat. cap. VII. §. 1. Quæ benedictiones magna cum populi lætitia audiebantur, qui ut evenirent ejusmodi vota, toto pectore optabant. Hæc aliaque Vitembergæ olim accurate nos docuit Cel. DASSOVIUS, in ſcholis ſuis, id quod grata piaque mente hoc loco commemorare ac prædicare par erat. Ceterum, ut plura eam in ſententiam, & ſigillatim ad explodendam SPENCERI opinionem addamus, neceſſe haut eſt, cum habeamus confitentem reum. Diſerte enim fatetur, *quod nequeat dubitare, hircos eos expiationem olim a Chriſto faciendam, ejusque perfectionem, typice prænunciaſſe, l. c. cap VIII. p. 1466.*

§. XIIX. Non deſunt, qui ex Ebræorum traditione aliam præterea, & elegantiſſimam quidem comparationem a nobis antea prætermiſſam, inter Chriſtum & hircum emiſſarium invenerunt. Quemadmodum Chriſtus educebatur cruento capite, vulneri-

neribus ex coronatione adhuc residuis: ita hircum, ajunt, in fronte gessisse panni frustum in linguæ formam cocco tinctum, quod statim album sit factum, quando hircus in deserta venerat, ad indicandum, *si rubra ut coccinum fuerint peccata vestra, tanquam nix albescent*, Esaiæ I, 18. Et sicut Christus in monte Golgatha exclamabat: τετέλεσται; ita in desertis vinculum illud coccineum fronti hirci alligatum albuisse, unde populus consumatam esse expiationem intelligere potuerit.

§. XIX. Ebræos antiquiores hircum piacularem emissuros hunc ritum observasse Talmudici testantur *in Joma* cap. VI. his verbis, קשר לשון של זהרית בראש שעיר המשתלח וגו׳ *alligabat* sacerdos *linguam coccineam ad caput hirci emissarii* &c Hanc linguam, id est, tæniam in linguæ similitudinem formatam sic explicat MAIMONIDES de die Expiat. cap V. §. 4. הוא לשון של צמר צבוע ארום *lingua illa lanei staminis erat rubro tincta.* Si quæras, unde certi sint Judæi de istius miraculi veritate? provocant ad Esaiæ cap. I, 18. ubi dicitur, *si peccata vestra fuerint sicut dibapha, sicut nix dealbabuntur.* Tradunt præterea eorum magistri, linguam coccineam olim alligatam fuisse ad ostium porticus exterioris, quæ si exueret colorem coccineum & nativam albedinem indueret, lætatos esse Judæos de certo expiationis præstitæ, & gratiæ divinæ testimonio: sin minus, doluisse vehementer, & pudore suffusos esse. Denique narrant iidem Talmudici, in *Joma* cap IV. f. 39 b hoc signum remissionis peccatorum, annis quadraginta ante templi Hierosolymitani excidium observari desiisse, quod tempus esset perpessionis Jesu Christi, qua omnibus institutis Mosaicis & sacrificiis virtus adempta est. Vid. BOCHARTUS l. c. f. 656. 657.

§ XX. Etsi hæc fabula nullam veri similitudinem, nec alios testes habet, quam Judæos nugacissimos, & τερατολογίαις addictissimos, tamen a Christianis permultis, doctissimisque viris, quod mirari satis nequeo, pro vera narratione recepta fuit. Ritus hujus meminit S. BARNABAS, *in Epist. p. 4. ex edit. Coteler.* TERTULLIANUS etiam, Patrum Latinorum antiquissimus L. III. adversus Marcionem p. 71. aliique. Ex recentioribus JO. HENR. URSINUS in Analectis Sacr. L I. p. 39. LUNDIUS in Jüdischen Heiligthümern L V. cap XX n. 27. 28. f. 1038. JURIEU *Histoire Critique* P. II. cap. XIV p. 340. Nos huic miraculo, quod nobis Judæi narrant, fidem jure meritoque denegamus,

gamus. Nam Scriptura de eo silet, nec usquam linguæ coccineæ alligationem præcipit, nec illius dealbationem promittit. Argumentum, quo solo innituntur Judæi, ex Esaia depromptum est, cap. I. v. 18 sed nihil est in his verbis de isto miraculo, die expiationis expectando. Verus oraculi sensus, & illorum verborum scopus explicabitur infra. Nec circumstantiæ, quas notant, omnino conveniunt. Narrant Judæi, hoc miraculum eo momento contigisse, quo hircus a ductore de petra præcipitatus est. Sed hircus emissarius ex mandato Mosis non præcipitandus, sed in desertum duntaxat emittendus erat Levit. XVI, 10. 21. 22. perinde ut avis, quam leprosus mundandus afferebat, Levit. XIV, 7. Si verum est quemadmodum Rabbini uno fere ore affirmant, hircum e rupe *Zuk* detrusum aliquando esse, ne rediens ex desertis triste omen populo esset, *non fuit mandatum DEI, sed tantum statutum Rabbinorum*, sicut SHERINGHAMIUS Tract. Joma cap. VI. §. 6 rectissime observavit. Conf. LEIDEKKERUS *de Republ. Ebr. Libr. XI. cap. IV. p. 633.*

XIX.
STATIO SOLIS ET LUNÆ
MIRACULOSA ad Josuæ X, v. 12. 13. 14

§. I.

QUemadmodum poetæ licentiam sibi sumserunt quidlibet audendi fingendique, ita hincinde commenti sunt, ipsum Solem captum voluptate diutius inspiciendi Nympharum chorum aliquando substitisse in suo cursu, & dies ob hanc stationem Solis productos esse, quemadmodum CALLIMACHUS *Hymno in Dianam vers.* 180 disertè tradit:

- - - - - - - - - Θεὸς ἔποτ' ἐκεῖνον
Ἤλθε πάρ' Ἥλιος καλὸν χορόν· ἀλλὰ θεῆται
Δίφρον ἐπιστήσας, τὰ δὲ φάεα μηκύνονται.

DEUS nunquam illum
Transivit Sol pulcrum chorum: Sed adspectat,
Currum inhibens, & dies ipsi tum protrahuntur.

Conferantur EZ. SPANHEMII *Notæ ad h. l. p. m. 253.* ubi recte

 monet,

monet, inania hæc poetarum commenta, in exemplum nequaquam trahenda, veri illius ac singularis miraculi, quo Sol & Luna revera stetisse dicuntur Josuæ X, 13. aut alterius, quo tempore Regis Ezechiæ retro cessisse sol traditur 2 Reg. XX, 11. & Es. XXXVIII. historiam occulte referre.

§ II. Nonnulli tamen Hebræorum magistri ac MAIMONIDES singulatim illius miraculi a Josua divino numine patrati veritatem sibi sumserunt convellendam, idque phrasi poetica dictum esse existimarunt, quasi sol expectasset, donec occidio hostium perfecta foret, quemadmodum ANDREAS MASIUS pereruditus hujus libri explanator ad h. l. notavit. Contribulium impietatem superavit BENED. SPINOZA, qui præter naturam & Josuæ ignorantiam nihil miraculosum hic agnoscendum esse contendit *Tractat. Theol. Polit. Cap. II. An quæso tenemur credere, quod miles Josua Astronomiam callebat? & quod miraculum ei revelari non potuit, aut quod lux Solis non potuit diuturnior solito supra horizontem esse, nisi Josua ejus causam intelligeret? Mihi sane utrumque ridiculum videtur. Malo igitur aperte dicere, Josuam diuturnioris illius lucis causam veram ignoravisse, eumque omnemque turbam, quæ aderat, simul putavisse, Solem motu diurno circa terram moveri. & illo die aliquamdiu stetisse, idque causam diuturnioris illius lucis credidisse, nec ad id attendisse quod ex nimia glacie, quæ tum temporis in regione aeris erat, vid. Jos. X, 11 refractio solito major oriri potuerit, vel aliud quid simile, quod jam non inquirimus.* Utinam Judæis more suo non adhæsisset ὁ πάνυ GROTIUS! Cum SPINOZA fere consentit fabulæ Præadamiticæ auctor ISAACUS PEYRERIUS *P. I. System. L. IV. Cap. V. p. m. 194.* ubi, recitatis S. Scripturæ verbis, quibus Sol stetisse perhibetur, *Nemo est*, inquit, *quin primo intuitu hæc legens asseveret, Solem ipsum stetisse in cælo. Verum si quis attentius vim miraculi expendat, & miraculum ipsum inter fines suos contineat, facile deprehendet, lumen & fulgorem solis non solem ipsum hoc loco intelligendum esse, sicut in miraculo Ezechiæ demonstratum est. Auctoritatem & confidentiam conjecturæ adjicit, quod scriptum est:* Solem stetisse in medio cœli. *Sol enim occiduus cælo præcipitabat, quando illum Josua stare jussit. Neque Sol stare tunc poterat in medio cæli, in quo non erat. Distat enim occasus toto cæli quadrante a medio cæli. Accipiendum ergo ita est miraculum hoc, ut cum sol ipse revera occumberet, neque cessaret, interea cælestis & naturalis rerum ordo, fulgor Solis sine Sole*

ipso

ipſo, & miraculo maximo ſupereſſet in atmoſphæra, vel regione vaporum illa, quæ civitati Gabaonicæ, cœli & aëris medio incubabat: Solis vero fulgor civitatem Gabaonicam & montem Gabaon verberaret, ita ut reverberati ex fulgore illo radii jacentes undiquaque convalles illuſtrarent, at enim fuſi & fugati Amorrhæi imminentem illis Joſuam effugere non poſſent, quæ miraculi cauſa erat. Eadem fere ratione miraculi magnitudinem elevavit JO. CLERICUS in *Commentario ad h. l.* quando quidem ad hyperbolicam & poeticam locutionem illius deſcriptionem refert, & inculcat, hoc voluiſſe Joſuam, Solem viſum ſtare oculis eum Gabahone ſpectantibus ita ut videretur ſerius occidere. Sic autem recte loqui nos putat pluribus de rationibus. Primum enim nunc ſatis conſtare apud omnes Aſtronomiæ peritos, ſolem non moveri, ſed terram. Deinde ſi proprie loquamur, Solem non potuiſſe videri ſtare Gabahone, cui urbi verticalis eſſe non potuerit, quippe procul extra tropicum cancri ad ſeptentrionem ſitæ. Potuiſſe ergo tantum videri ſtare, ſpectatum Gabahone. Præterea non eſſe ſimile vero, ob rem tantillam, qualis fuerit cædes aliquot Cananæorum, & quidem eo die potius, quam poſtridie, terræ motum diurnum, aut, ſi mavis, ſolis interruptum fuiſſe *Non ſolet DEUS ſecundum opinionem JO. CLERICI ſic prodigus eſſe miraculorum, ut naturæ ordinem in tam inſigni univerſitatis parte levi de cauſa perturbet.* Eidem videntur hæc deſumta ex libro poetico, qui in ſequentibus verbis laudatur, ut mox oſtendemus. Eſſe autem moris poetarum, hyperbolicis locutionibus res ſublimius deſcribere. Voluiſſe fortaſſe ſcriptorem libri recti indicare, non ſine divina providentia loca, in quibus cædebantur Cananæi diutius, quaſi ſolis & lunæ luce fuiſſe illuſtrata: viſum enim eſſe ſolem Gabahone ſpectatum diutius ſupra horizontem, quam ſolebat: Nec lunam in Ajalonis valle, perſequentibus *Cananæos Iſraelitis tam cito occidere viſam.* Quod Criticus noſter fieri potuiſſe putat inſolitis refractionibus, quibus, ut notum eſt, ſol nobis ſupra horizontem eſſe videtur, cum nondum ortus ſit, & jam occiderit; & quemadmodum idem in Laponia oculis non occidat ſolſtitialibus diebus, licet revera horizontem ſubeat. Fieri etiam hoc potuiſſe cenſet extraordinario quodam lumine, quod illic ſpeciem ac vicem ſolis & lunæ præbuerit. DEO enim & Angelis innumeras eſſe rationes conficiendi id, quod præter ordinem naturæ eſt. Ejusmodi autem prodigium Scriptori *Libri Recti* aut Carminis hujus, quod

in eo Libro erat, occasionem præbuisse dicendi, propter Josuæ preces stetisse solem & lunam; cum lux, quæ eorum vices præstaret, conspecta post eorum siderum occasum esset. STATIUM propter rem multo minoris momenti dixisse *Thebaidos Libr. V.*

Tardius humenti noctem dejecit Olympo
Jupiter, & versum miti, reor, æthera cura
Sustinuit, dum fata vetant, nec longius unquam
Cessavere novæ, PERFECTO SOLE, tenebræ.

§. III. Recte notavit JO. MARCKIUS in Præfatione ad *Scripturarias Exercitationes Vet. Test.* in hac JO. CLERICI Dissertatione quædam de Terræ ac Solis motu & quiete misceri, quæ in præsenti negotio rectius possunt seponi, cum nihil faciant ad rem principalem, de qua hic agitur. Eadem enim potentia, quæ ad sistendum telluris motum requiritur, sufficit ad sistendum solis motum. Utrobique requiritur potentia DEI infinita, quia mutandæ sunt naturæ leges. Res æque erit inusitata & prorsus miraculosa, quæcunque demum hypothesis, sive Ptolemaica, sive Copernicana hic admittatur. Prodigium hoc non accidisse naturaliter, sed miraculosum & supernaturale DEI opus fuisse, illud ex ipsa rei gestæ narratæque serie clarum est, & ex opportunitate temporis, ubi populus Israeliticus luminis continuatione ad delendos hostes maximopere opus habebat, nec non ex stationis solaris duratione, quæ diutius non duravit, quam ultio ab hostibus sumta erat, satis, ut opinor, intelligitur. Docet præterea sacræ narrationis auctor, prodigium hoc fuisse absque omni alio exemplo, & refert istud ad Josuæ precationes, quas DEUS exaudivit, addens, nec antea, nec postea ad suam usque ætatem, diem fuisse similem, quo Jehova vocem hominis sic exaudiret, ut ipsum naturæ ordinem stupendo miraculo immutaret. Hujus miraculi veritas divinitus confirmatur a Propheta HABACUCO *Cap. III. v. II. Sol & Luna STETERUNT in habitaculo suo.* Idem professi sunt plerique Judæi MAIMONIDE antiquiores, & Doctores Talmudici, ac ipse JONATHAN, interpres Chaldaicus ad citatum HABACUCI locum, nec non JOSEPHUS *Ἀρχ. Libr. V. Cap. I.* & SIRACIDES, qui Cap. XLVI miraculum expositurus docet, Solem impeditum fuisse in cursu suo, unumque diem factum instar duorum. Conferantur EZ. SPANHEMIUS *in Notis ad* CALLIMACHUM *p. 253.*

JO.

JO. MARCKIUS *Exercit. Scriptur. in V. T. XI. §. XIII. p. 690.* EDUARDUS BERNARDUS ad citatum JOSEPHI locum, nec non Vir Cel. JO. FR. BUDDEUS *in Hist Vet. Test. p. m. 830.* Nec obscura hujus prodigii vestigia occurrunt in libris Ethnicorum, notante HUETIO in *Quæst. Alnet. L. II. Cap. XII.* ubi multa in hanc rem collegit. Valeant igitur irrisores, qui miraculi veritatem negant, vel ejus magnitudinem imminuunt. Unde SPINOZA certior factus est, Josuam militem, perinde ac universum populum scientiæ sideralis, quæ tam antiqua & in Ægypto cumprimis ac oriente olim exculta est, prorsus fuisse imperitum? Quicquid tamen sit, quis credat, tantum Imperatorem cum universo Israelitarum exercitu ita fuisse deceptum & effascinatum, ut consuetas noctium tenebras haberet pro luce Solis atque Lunæ diurna? Et si vel maxime tam stolidi fuissent Israelitæ, quis putet auctorem sacrum divino Spiritu afflatum, rem non ex opinione Josuæ aut Israelitarum, sed prout revera gesta fuit, enarrantem, nobis inculcaturum, Solis atque Lunæ stationem Josuæ precibus efflagitatam, nisi vere contigisset? Cum præsertim non aliqua diuturnior lux, sed dies integer illi stationi diserte adsignetur. Et tantum abest, ut ex grandine seu nimia glacie, quæ SPINOZÆ stultitia est, diuturnior lux post Solis obitum deduci possit, ut illa per diem copiose cadens cœlestem lucem valde imminuat & tenebris nos immergat, experientia teste. Nec alia stupendi prodigii causa magis idonea ex amplo naturæ penu erui reddique potest. Magnum quoque discrimen est inter aliquam luminis refractionem, solito majorem, unum duntaxat alterumque momentum duraturam, & inter clarissimum solis lumen integrum diem efficiens.

§. IV. Frustra etiam ex libro poetico hæc desumta esse dicuntur ad hyperbolicæ & poeticæ loquutionis insinuationem. Nam sacer historicus ipsa refert Josuæ Imperatoris verba, quæ coram universo populo loquutus est. Quis autem credat, heroem istum cædendis ac persequendis hostibus occupatum, versus artificiose compositos decantasse? Ipse sacer scriptor recitatis Josuæ verbis addit, *Solem moratum esse, & lunam substitisse.* Quæ verba ita plana sunt, ut si quis ea in poeticam vel hyperbolicam loquutionem convertere velit, omnem veritatem historicam, quæ poetica figmenta non patitur, tollere videatur. Et quamvis ספר הישר *liber recti*, cujus testimonio miraculi veritas confirmatur, carmi-

na forte in se continuerit, quibus gentis Israeliticæ & virorum illustrium res fortiter ac præclare gestæ descriptæ erant ad posteritatis memoriam, inde tamen non sequitur, Josuam poëtice locutum esse, vel auctorem historiæ, elegantem stili simplicitatem ubique sequutum, ὑπερβολικῶς & metrice scripsisse. Neque enim verba ex *libro Recti* hic descripta exhibentur, sed ad illum librum tantum provocatur, diciturque hoc prodigium in illo annalium libro commemorari. Verba Ducis Israelitici hæc erant: *Sol in Gibhon quiesce, & Luna in valle Ajalon.* Per solem non lumen ejus repercussum, aut splendorem & imaginem Solis, sed perpetuo Scripturæ usu ipsum splendidum illud cœli luminare intellexit, quod proprie השמש & præcipuus DEI *minister* in fovendo conservandoque hoc inferiore mundo dicitur. Eum compellat voce דום *quiesce*, σιώπα apud AQUILAM, παῦσον apud SYMMACHUM, אוריך *prolonga* seu *exspecta* apud JONATHANEM, ne *movearis* apud VULGATUM. Quæ significationes cum eventu belle conveniunt. Sol enim ויעמד ולא עצ לבוא *stetit & non festinavit occidere.*

§. V. Soli Josuas in suo alloquio junxit *Lunam* alterum luminare cœleste in noctis usum conditum יָרֵחַ hoc loco dictum, quia noctu refrigerium & respirationem præbet motu suò illis, quæ interdiu solis ardore adusta erant; sive ob auram & ventum leviorem, quem motu suo præbet. Hæc ipsa luna *quiescere* a suo cursu & *subsistere* jubetur. Unde vero fit simile, lunam illo tempore novam fuisse, supra horizontem measse, & proinde utriusque astri moram conspici in cœlo potuisse, maxime sub tempus vespertinum. Utriusque sideris consistentia & locus determinatur. *Sol* subsistere jubetur בגבעון in *Gibhon* & *Luna* בעמק אילון *in valle Ajalon.* Nota est ista urbs ex Scripturis, quandoquidem ejus incolæ Gabaonitæ vestibus induti detritis, & vetustatem præ se ferentibus, supplices ad Josuam venerunt, & callide inierunt fœdus. Hæc urbs hoc loco præ ceteris nominatur, quia a Regibus Emorrhæis obsessa erat, & Josua cum exercitu ad solvendam obsidionem venerat, & in illius territorio & circumjectis agris hostes fuderat. *Ajalon*, ubi luna morari jubetur, diversimode notatur. Dicitur duplicem *Ajalon* fuisse, alteram in tribu Dan, alteram in tribu Zebulon sitam. A TREMELLIO & JUNIO ad tribum Zebulonis refertur, versus alterum terminum promis-

sæ

ſæ terræ ad aquilonem, Judic. XII, 12. Nobis vero vallis *Ajalon* non procul abfuiſſe videtur ab urbe Gibhon antea nominata. Joſua igitur hoſtium cervicibus imminens & de univerſis ac ſingulis proſternendis ſolicitus, conſpecto ſole ad occaſum feſtinante, & luna in ejus locum ſucceſſura, utrumque ſidus affatur, iisque divina fretus fiducia imperat, ne Iſraelitis in Gabaone pugnantibus pergerent abſolvere diem & inducere noctem, ſed ſubſiſterent, ut eminentior Gibeonitarum tractus diutius colluſtraretur a Sole occubituro, & ut vallis Ajalon Gibhoni ſubjecta atque depreſſior Lunæ altioris lumen recipere poſſet. Voto atque mandato Joſuæ reſpondit eventus v. 13. Et quievit Sol & Luna ſtetit, donec ulciſceretur gens inimicos ſuos. Et ſtetit Sol in medio cœlorum, & non feſtinavit occidere ſecundum diem integrum.

§. VI. Tempori veſpertino obſtare videtur חצי השמים *μέσον τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ medium* ſeu dimidium *cœlorum*, in quo ſolſtitium notatur. Plurimi interpretes referunt ad illam cœli & hemiſphærii ſuperioris partem, in qua Sol in ipſa meridie conſtitutus eſt. Inde meridiem fuiſſe putant, quando Soli Joſua imperitavit, ut curſum ſiſteret. Ego vero cum JOANNE MARCKIO *l. c. p. 651.* חצי dimidium illud cœli exponere malim de iſto hemiſphærio, in quo Gibhon & vallis Ajalon jacebat. Nam medium cœli, uti recte notavit LYRANUS, interdum vocatur totum illud cœli ſpatium, quod eſt ſupra hemiſphærium noſtrum. Ita dimidium cœli noſtrum notat hemiſphærium, quod dimidium eſt alterius hemiſphærii Antipodes reſpicientis. Et hac ratione ex ſtatione Solis *in medio*, vel *dimidio cœlorum* tempus dici, vel hora, qua Sol quieſcere cœpit, colligi nequit. Vero tamen fit ſimile, Ducem Hebræum ſtationem Soli, ſub veſperam occubituro, imperitaſſe, veritumque eſſe, ne cæſis ad internecionem multis hoſtium millibus, dies ceteris trucidandis deficeret, & nox imminens victis præſidio eſſet ad effugiendum.

§. VII. De reliquo ego non negaverim, fieri divina potentia potuiſſe, ut poſt Solis occaſum ſpecies ejus in nube ſupra horizontem extante per repercuſſionem exhiberetur, aut in ejus locum ſupra horizontem ſufficeretur a Deo lumen quoddam vicarium, & corpus Solis ipſius inſtar prælucidum, quemadmodum multi ac præſtantiſſimi viri opinantur, miraculi magnitudinem agnoſcentes. Sed

Sed nihil fingendum eſt in hiſtoria ſacra, nec viæ DEI ejusque miracula ex ingenio & pro hominum arbitrio explicari & amplificari debent, Nec quid a DEO fieri poſſit, ſed quid revera factum ſit, præeunte Scriptura definiendum eſt. Illa autem clare docet, progreſſum Solis impeditum, non repercuſſionem Solis exortam, nec vicarium Solem conditum exhibitumque eſſe poſt veri & ordinarii Solis occaſum. Quapropter lucidis ſacræ hiſtoriæ verbis ego inhærere, & cum Viro eruditiſſimo ANDREA MASIO ſtatuere malim, non modo Solem Lunamque, verum ceteros etiam omnes globos cœleſtes, interrupta converſione, reipſa interquieviſſe, ne videlicet ab ipſo rerum ortu conſtitutus omnium inter ipſos perpetuus ille tenor & conſenſus unius aut duorum aliquando inæquabili progreſſione perturbaretur. Quanquam ſi quis non alios, quam Solis & Lunæ orbes ſtetiſſe autumet, non pugnandum eſſe cum eodem MASIO cenſeamus. Quando hoc etiam admirabilius fuerit, cum ſupremum cœlum atque extimum, imo machina univerſa cœleſtis, continua converſione torqueretur, non ſimul duas iſtas partes raptas in orbem eſſe. Nec diſputandum eſt curioſius inter Chriſtianos, an illo tempore tantum prodigium fuerit neceſſarium, & an ob cædem nonnullorum Cananæorum totius naturæ ordo fuerit immutandus? DEI actiones, earumque cauſæ mortalibus ſunt imperveſtigabiles. Multa ille ſapienter agit, quæ homines pro ſua ſtupiditate non intelligunt. *Nec res adeo exigua nobis videri debet*, monente Cel. BUDDEO *in Hiſt V. Teſt. p. 831 propter quam DEUS iſtud miraculum edidit Non tantum enim ob quorundam Cananæorum cædem hoc factum, ſed & ut omnes gentes intelligerent, DEUM cœli & terræ conditorem Ebrææ gentis curam agere, utque ipſi Iſraelitæ hac ratione valide in fide ſua confirmarentur.* Ab inſignis hujus miraculi memoria repetendum videtur nomen urbis תמנת חרס Judicum II 9. & alterum ex eo per *μετάθεσιν* factum תמנת סרח Joſuæ XIX, 50. & XXIV. 30 in qua ſepultus erat Joſua poſt mortem. Non ſpernenda eſt doctiſſimi MASII, aliorumque eruditorum conjectura, illud nomen urbi impoſitum a Solis ſimulacro, ſeu figura, quam Iſraelitæ ad conſervandam miraculoſi ſolſtitii memoriam ſuper Joſuæ monimentum collocarunt. Miraculi veritatem ſecundum hypotheſin Copernicanam vindicarunt & expoſuerunt noviſſime JAC. GUSSETIUS *in Commentario Linguæ Ebrææ f. 28*

f. 280 Schemate rei gestæ exhibito, nec non W. DERHAM Vir præstantissimus in *Physico-Theology p. m. 45*, cujus verba non indigna judico, quæ hic legantur: *We need not be solicitous to elude the history of these miracles, Josuæ X & Esaiæ XXXVIII. 8 as if they were only poetical strains, as Maimonides, and some others fancy Josua's Dai to have been viz. only an ordinary Summers Dai; but such as had the work of many days done in it, and therefore by a poetical Stretch made, as if the dai had been lengthened by the sun standing still. But in the history they are seriously related, as real matters of fact, and with such circumstances as manifest them to have been miraculous works of the Almighty: And the Prophet Habakkuk 3. 11. mentions that of Joshua as such. And therefore taking them to be miraculous perversions of the course of Nature, instead of beeing Objections, they are great Arguments of the Power of God. For - - to stop the diurnal course of the Globe for some Hours, and then again give it the same Motion, to do, I say, these things, required the same infinite Power which at first gave the Terraqueous Globe its Motions.*

XX.

DE VULPIBUS SIMSONIS, SEGETI PHILISTÆORUM IMMISSIS, Jud. XV, 4.

§. I.

HÆc de vulpibus Samsonis historia multis Atheorum telis subinde impetita, ac variis detorsionibus depravata fuit. Non pauci risu eam exceperunt & inde probare conati sunt, fabulas atque mendacia in Scripturis contineri, cum tantum non omnia, quæ hic narrantur fidem superare videantur. Historiæ summa hæc est: *Et ivit Samson* messis triticeæ tempore. *& cepit trecentas vulpes, quas sumtis tædis obvertit caudam ad caudam, & tædas singulas posuit inter binas caudas in medio Et tædis igne succensis* vulpes *dimisit in Philistæorum segetes, & combussit cum metas tum segetes, & vineas, & oliveta.*

§. II. Qui divinioris Scripturæ codicem enarrarunt, & difficiliora loca interpretati sunt, varia, nec indocta attulerunt, qui-

 bus

bus narrationi huic fidem conciliari, & Scripturæ auctoritatem ab hostium contemtu vindicari posse existimarunt. Non ita pridem novus prodiit interpres, qui inaudito hactenus exemplo vulpeculas Simsonis in manipulos stramineos transmutavit, in *Observat. Halens. Tom VIII. Observ. XIV. p 383.* Audiamus breviter, quam feliciter rem confecerit. Primo pro שֻׁעָל, rejectis punctis, utpote recentioris inventi, legit שׁוֹעַל, quæ vox quamvis omnium Ebræorum consensu, & Scripturæ usu *pugillum* hactenus notarit, tamdiu tamen ab Observatore nostro vexatur, & torquetur, dum novam *fasciculi straminei* significationem induat. Idcirco in eam descendit opinionem, radicem שעל, hodie inusitatam olim significasse *colligere*, id quod ex ipso hoc derivato שֻׁעָל tuto colligi posse credit. Porro לכד novatori nostro *assumendi* potius, quam *capiendi* notione sumendum esse: & זָנָב proprie non *caudam*, sed quamvis *extremitatem* indicare videtur. Denique שלח magis de *projectione*, quam de *emissione* usurpari credit. Unde sequens ei renata est interpretatio: Simson gieng hin, und nahm 300. Strohwische, und kehret ein Ende gegen das andere (das Sterts-Ende gegen das Aehren-Ende) und legte einen Brand zwischen zwey Enden, und zündete die an mit Feuer, und warf sie unter das Korn der Philister.

§. III. Risum teneatis amici! Ego nescio, an hoc sit veritatem vindicare, & Scripturam idonea ratione interpretari, & an non potius ridicule & cavillatorie hostium ludibrio exponere, cum ingenti infirmorum offensione. Hoc certe affirmare ausim, Observatorem præter innovandi prurituum, profundamque Ebrææ linguæ ignorantiam, nihil prodidisse expectatione aut lectu dignum. Nam quia radix inusitata שעל nullibi occurrit, affirmari nequit, quod olim *colligere* notarit. Et aliter de significatione vocum certi non sumus, nisi ex earum usu. Neque debet vera vocis significatio ex unico derivato colligi, sed ex omnibus simul sumtis, & cum judicio inter se collatis. Deinde שׁוֹעַל, quod novator pro שֻׁעָל temere licenterque contra omnium codicum fidem, & vetustissimarum versionum consensum substituit, nunquam notat *manipulum stramineum*. Provoco ad omnia Scripturæ loca, in quibus occurrit. Esaiæ XL, 12. notat *plantam pedis*, sed Num. XXII. 24. *semitam*, quæ planta pedis teritur, & 1 Reg. XX. 10 id-

10. id significat, quantum plantæ pedis ex pulvere adhærere solet incedendo. Ezech. XIII, 19. quo loco Observator cumprimis nititur, *exiguam mensuram* notat, incertum tamen remanet, quæ mensura intelligatur, an *naturalis*, ut pugillus, an *artificialis*, ut homer: item quis status hordei sic mensurati fuerit, an in agro, an in manipulis, an granum excussum? JAC. GUSSETIO *in Comment Lingv. Ebr f. 877.* sumi videtur pro quantitate hordei æquali plantæ pedis. *Nempe cum sacerdotes illi messem secabant, relinquebant aliquot spicas in agro ad gratificandum plebeiis, ut sic eos sibi obnoxios haberent, & in profanis actibus obsequiosos.* Proprie לכד notat rem alienam, & extra nostram potestatem constitutam, occupare & nostram facere, vel vi vel astu, vel armis, quemadmodum hæc vox de locis in bello occupatis, & de hostibus captivis usurpatur Jud. VII, 24 & 25. Nullibi autem notat nudam rei possessæ assumtionem, qualis est apprehensio manipuli straminei, quem ipsimet nos conficimus, nec in nostram demum redigimus potestatem. Non dissimiliter falsum est, vocem זנב *quamvis extremitatem* indicare. Nam ex usu Scripturæ, cujus arbitrio in hac lite componenda standum est, *caudam* semper notat. Præterea nova interpretatio male cohæret, & seipsam evertit. Quid opus erat, ut stramineis fasciculis materiæ inflammabiles, & alimenta ignea immiscerentur? Nonne ex se satis, si ignis vel leviter fuisset admotus, arsissent? Nonne exusto levi momento stramine, sine noxa decidissent in terram? Nec apparet, quomodo, si velocissima illa animalcula amoveamus, unius Samsonis opera, atque projectione manipulorum stramineorum manibus facta, tanta strages incendiumque Philistæorum segeti induci potuerit?

§. IV. Negari nequit vulpium venationem rem esse difficillimam, nec facile intelligi potest, unde Simson tam stupendam earum multitudinem tam brevi tempore acceperit? & cur ad fruges Philistæorum comburendas, *vulpes* potius, quam canes, aut alia animalia delegerit? Hæ tamen difficultates tantæ non sunt, ut propterea rem totam in dubium vocemus, vel Scripturæ totius auctoritatem cavillatoriis interpretationibus elevemus. Nam primo nondum satis constat, Ebræorum שׁוּעָל fuisse *vulpem.* Ex Scripturis duntaxat constat, שׁוּעָלִים exigua fuisse animantia, carnivora, caudas habuisse, deserta amasse, vitibus nocuisse,

cuisse, sed quid inde? Etsi enim hæc omnia in nostras vulpes conveniunt, exinde tamen nondum sequitur, quod illis per omnia reliqua fuerint similes. Nam cum vulpes apud nos rariores sint שׁוּעָלִים contra gregatim incedebant, quia magna horum animantium copia in Palæstina, vicinisque locis erat, quibus multa etiam loca nomen acceperant, ut *terra Sual* 1 Sam. XIII, 17. *Hatsar Sual* Jos. XV, 28. & Danitarum *Saalabim* Jos. XIX, 42. Pererudite conjectat SAM. BOCHARTUS *P. I. Hieroz. L. III. cap XIII. f 855.* nomen שׁוּעָלִים potuisse etiam complecti *thoës*, animal vulpi simillimum. & in Judæa valde frequens, maxime in Palæstina, & circa Cæsaream, atque ita gregarium, ut quandoque ducentos *thoas* in unum gregem convenire testetur BELLONIUS, ita ut nullo negotio plurimi potuerint capi. Deinde non necesse est, ut existimemus, Samsonem solum una aut altera die tantum vulpium numerum cepisse. Nonne potuit tota hebdomas, aut integer mensis in eam venationem insumi? Nonne universæ Judæorum genti, cui præerat, aut certe tribui suæ, vel amicis, publicam vulpium venationem indicere potuit? Si quæratur, cur *vulpes* potius, quam canes aut lepores elegerit Simson ad agros Philistæorum comburendos, id ipsum quæri potuisset, si quodvis aliud animal delegisset. Forte hæc fuit causa, quod lepores vel alia animalcula fugitiva tanta copia, tantaque facilitate non poterant haberi, quam שׁוּעָלִים & *vulpes*, quæ tortuoso & anfractuoso suo cursu, faces caudis alligatas, diffundebant, latiusque incendium excitabant. Ut taceam hac ipsa vulpium captura terram Israelitarum a noxio & vorace animali liberatam, hostiumque agros atque vineas, tam numerosæ turmæ immissione, misere afflictos fuisse. Hæc si observentur & expendantur animo anteceptis opinionibus libero, non erit causa, cur de fide hujus historiæ dubitemus, vel ad tollendas difficultates inauditas interpretationes fingamus. Adeundus est D. V. E. LOESCHERUS *in Decimis Evangel. P. I. p. 353.* qui erudite ostendit, לַפִּיד *lappid*, unde Græca vox λαμπάδος sumta, hoc in loco non tam tædam, quam materiam facile inflammabilem notare, quæ alligari caudis, facile incendi, ignesque diu continere, & fovere potuerit. Ceterum insigne hujus historiæ monumentum, unde de ejus veritate judicemus, in OVIDIO exstat *Libro quarto Fastorum*, ubi narrat, Romæ medio Aprili quotan-

quotannis vulpes in Circo fuisse emissas, cum tædis caudæ alligatis. Esi autem se didicisse refert, id fieri in memoriam Carseolanæ vulpis, quam a se captam, pauperis rustici filius fœno involverit, & stipulis, quibus incensis, vulpes aufugiens agros, messi proximos, accenderit: tamen verisimilius est, ritus tam solennis ortum Phœnicibus deberi, qui rei apud se gestæ famam paulatim disseminarunt, quemadmodum hoc indiciis non fallentibus probavit SAM. BOCHARTUS *l. c. f. 857.* Conferatur SEBAST. SCHMIDIUS ad *h. l. p. m. 1227.*

XXI.
VERBA
המכתש אשר בלחי Judicum XV, 19. illustrantur.

§. I.

PHilistæi irruptione in Israelitas facta castra in Judæ agris metati sunt. Cumque ad *Lechi*, hoc est, ad illum locum, qui postea dictus est *Ramath-lechi* se extendissent ad Simsonem capiendum, atque Judæi illum Philistæis tradendum novisque funibus valide ligatum *ad Lechi* deduxissent, Philistæis obviam ei factis jubilantibus, asini a feris forte discerpti vel occisi ille disruptis vinculis, arripuit לחי maxillam recentem fortuito inventam, cum alia deessent arma, & mille viros prostravit, atque de hac sua victoria gloriatus ἐπινίκιον cecinit secundum JO. CLERICI conjecturam ad h. l. quatuor versiculis exscribendum hoc modo:

בלחי החמור	*maxilla asini*
חמור חמרתים	*cumulum, imo duos*
בלחי החמור	*maxilla asini*
הכיתי פלשתים	*concidi Philistæos.*

His dictis projecit הלחי maxillam istam e manu sua. Unde locus ille dictus est רמת־לחי *projectio maxillæ* a רמה projecit. Errarunt interpretes Alexandrini ἀναίρεσιν σιαγόνος reddentes, quod vertit HIERONYMUS *elevatio maxillæ*, quasi a רום esset. Nec felicius exposuerunt SYRUS & ARABS, qui ד & ר confundentes *sanguinem maxillæ* reddiderunt v. 14. 15. Cumque Victor gravi trucidandorum hostium labore fatigatus, maxima ac inusitata

tata urgeretur siti, per eamque periturus videretur, futurus victis hostibus opprobrium, nisi DEUS miraculose laboranti succurreret, repente exauditæ sunt Simsonis supplicationes v. 18. & preces ad Jehovam fusæ. Tunc enim v 19. DEUS *fidit* המכתש אשר בלחי *mortarium*, *quod in maxilla*, *& exierunt inde aquæ*, *& bibit & rediit Spiritus ejus & vixit* *Propterea vocavit nomen ejus* עין הקורא *fontem invocantis*, *qui in Lechi usque ad diem hunc*.

§. II. Plurimi interpretes tam recentiores, quam antiqui, quos B nosterLUTHERUS secutus est, per לחי hic intellexerunt *mandibulam asini* seu *maxillam*, qua Simson Philistæos percusserat, & quam ipse deinceps projecerat. Assumta hac significatione vocis לחי nonnulli exposuerunt מכתש per *dentem molarem* qui in maxilla collocatus est, & quo cibus instar mortarii contunditur, præeunte VULGATO & JONATHANE ex sententia Cel. BOCHARTI. Alii respicere maluerunt ad cavitatem maxillæ, ex qua dens molaris excidisset, putantes מכתש denotare mortarium, in quo aliquid contundi solet. HUGO GROTIUS significari putat *hiatum*, quem in maxilla projecta fecerat dens ea vi excussus. VATABLUS exponit de *concavitate* sive loco concavo, in quo erat dens molaris. Ut כתש est τρίβειν, *terere*, *contundere*, ita מכתש τρίβλιον *mortarium* esse magna animi fiducia asseveravit BOCHARTUS *Hierz. P. I. L II. Cap. XV. f m 203.* ubi ex JULIO POLLUCE observat dentium capsulas seu alveolos, hoc est, loculamenta maxillarum, in quibus conduntur dentes, ὁλμίσκους seu *mortariola* nominari. Inde exponit, quid sit in sacro Scriptore המכתש אשר בלחי *mortarium quod in maxilla* fuisse dicitur, nimirum alveolus in maxilla asini Ita sane definiverunt Hebræorum doctissimi. RABBI SALOMO, DAVID KIMCHI aliique. Eandem sententiam illustravit NICOLAUS SERARIUS, nec aliter sensit Mediolanensium Antistes D. AMBROSIUS *Epist LXX* docens, DEUM aperuisse scissuram maxillæ, & fontem erupisse ex ea Idem visum est PRUDENTIO, CHRYSOSTOMO, aliisque veterum, prima ac simplici vocum significatione, ut videtur, in hanc opinionem inductis, ita tamen, ut in definienda rei gestæ ratione ac modo nonnihil dissentiant, utrum nimirum maxilla in manu Simsonis retenta, an humi jacens, aquas emiserit a DEO scissa? BOCHARTO consentaneum videtur, a

Sam-

Samfone refumtam in manus maxillam, cum vidit ex ea manare tam uberes aquas.

§. III. Cui opinioni, magnorum virorum fuffragiis munitæ fi quis objicere velit, nullam effe aquam in maxillarum afini mortariolis, multo minus tantam aquæ vim, ut inde fedari potuerit Samfonis fitis, refpondet BOCHARTUS l. c. in hoc ipfo effe miraculum, quod ex aperta maxilla, pro tabe aut fanguine, uberes aquæ manaverint. Idque ea virtute factum effe cenfet, qua ex rupe aquæ eruperunt. & farina in hydria. & oleum in lecytho viduæ Sareptanæ. Sed JO. CLERICUS in Commentario ad h. l. non potuit non mirari, virum acutiffimum doctiffimumque, cum expenderet hunc locum, non vidiffe ejusmodi miraculum contrarium plane effe verbis, quæ fequuntur. In fequentibus enim verbis liquere, hunc fontem non ex mortariolo maxillæ erupiffe, fed ex terra ipfa in loco, qui vocabatur *Lechi*. Ante CLERICUM a BOCHARTI fententia receſſerunt ANGLI & BELGÆ in publica Verfione, quin & ipfi GENEVENSES in annotatione marginali, JAC. USSERIUS, aliique doctrina ac nominis celebritate præftantiffimi Viri, fingulatim FRANCISCUS JUNIUS, BEN. ARIAS MONTANUS, JO. DRUSIUS, SIXTINUS AMAMA, EDMUNDUS CASTELLUS, & SEBASTIANUS SCHMIDIUS, quos noviffime fecutus eft JO. MARCKIUS *Exercit. Scriptur, XII. §. V. p. m. 713.* לחי habens pro nomine proprio loci, a maxilla afini propter factum Simfonis & in ejus memoriam ita dicti, & quidem abbreviate ex RAMATH-LECHI v. 17.

§. IV. Pofterior hæc fententia priori eft præferenda. Ei favent verba tum, quæ antecedunt, tum quæ fequuntur. Nam commate *nono* לחי citra controverfiam eft nomen loci, ad quem extenfi fuerunt Philiftæi. Ibi enim *Lechi*, uti jam monuimus, dicitur pro *Ramath-Lechi*, more Hebræorum qui nomina propria ex duabus vocibus compofita contrahere folent, & *Salem* e g. ufurpant pro *Jerufalem* Pfalm LXXVI, 3. *Sittim* pro *Abel-Sittim* Num. XXV, 1. idem nomen loci בלחי repetitur verfu 19. Fontem non erupiffe ex mortariolo maxillæ, fed ex terra ipfa, in loco, qui vocabatur *Lechi* ex fequentibus verbis liquet, ubi dicitur: *Nomen ei fonti factum eft fons invocantis, eftque Lechi ad hunc usque diem.* Quis putabit maxillam afini tam diu illic jacuiffe, & ex mortariolo ejus

ejus aquam fluxisse, non ex subjecta terra ortam, sed ex nihilo creatam. Miracula non sunt confingenda, ubi Scriptura illa non commèmorat: nec augere & multiplicare illa ex ingenio licet, cum magnam satis copiam habeamus verorum miraculorum. Dubium quidem non est, DEUM, si voluisset, sua potentia efficere potuisse, ut vel ex humi jacente vel ex manu apprehensa maxilla aqua minus aut magis copiose effl ueret: sed DEUM id voluisse aut effecisse nusquam traditur in historia sacra, in qua verborum series & proprietas ac ipsa rei convenientia illum nobis monstrant sensum, quem exponimus. Scripturæ stylo *fontes* proprie vocantur loca, ubi aquæ perennes ex terra fluunt Et talem fuisse eum ipsum fontem, e quo Simson bibit, eumque, miraculo quidem a DEO primum, Simsonis sitientis precibus, excitatum, sed postea sine miraculo conservatum esse, & in perpetuum fluxisse, verba historici nostri, ut mihi quidem videtur, liquidissime ostendunt. *Nempe*, JO. CLERICO judice ad h. l. p. 137. *cum illic nullus esset fons, DEUS curavit aut ex latice illac subter occulte fluente, erumpere venam. aut ex subterraneo rivulo, alio loco delabente, subito derivavit; qua in re situm fuit miraculum, non in creatione novæ aquæ e nihilo. Verum aqua, per novam viam erumpens, ex ea defluere sine miraculo perrexit.*

§. V. Vocem מכתש nonnulli exponunt de rupe *Mactes* appellata, præeunte ex Judæorum magistris R. LEVI apud BOCHARTUM, tradente מכתש h. l. esse שם שלע דומה מכתש במקום שהוא שמו לחי *nomen petræ mortario similis in loco Lechi dicto* Ita ut ex ejus sententia verba historici sacri vertenda sint: *& fidit DEUS rupem Mactes nomine, quæ est in Lechi.* Ita *Mactes* nonnullis interpretibus videtur loci nomen a mortarii figura sic appellati SOPHON I. 11. *Ululate incolæ Mactes.* At vero cum de loco nomen proprium *Mactes* gerente nihil certi nobis constet, nec dici possit, utrum fuerit Hierosolymis circa torrentem Kedron, ut habetur in *Chaldæa Paraphrasi*, aut circa Tiberiadem, ut vult auctor *Midras Agudda*, aut alibi, rectius nomen מכתש habetur pro Appellativo, videturque a כתש *a conterendo & contundendo* ita dictum, habito respectu non tam ad pistillum, quod contritionis instrumentum est, quam ad mortarium ejusque cavitatem. quæ ad aquas colligendas easdemque ad instar fontis elargiendas aptissima fuit. Ad hanc notionem cavitatis, seu loci inter adjacentes colles depressioris nos ducit SOPHONIAS

NIAS I. 11. Eadem ratione cavitas rotunda terra *Lechi* מכתש mortarium potuit dici. Ita hunc locum intellexerunt interpretes Alexandrini, qui secundum codicis Vaticani fidem exponunt: καὶ ἔῤῥηξεν ὁ Θεὸς τὸν λάκκον, τὸν ἐν Σιαγόνι, καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ ὕδωρ, *& rupit DEUS LACUM, qui est Siagone*, quod nomen proprium loci est, *& exivit ex eo aqua*. Ο ΛΑΚΚΟΣ *foveam* Græcis notat, *cisternam*, *fossam puteum* & *lacum* a forma mortarii non abhorrentem. Codex Alexandrinus, Aldinus & Complutensis habent τὸ τραῦμα eodem manente sensu. Nam τὸ τραῦμα est terræ hiantis cavitas. Eodem modo hunc locum intellexisse JOSEPHUM & CHALDÆUM INTERPRETEM monuit JO. CLERICUS. Idcirco vertit *fossam*, TREMELLIUS & JUNIUS reddunt *cavum quoddam*, quod exponunt de hiatu & apertura, quam DEUS fecerit, ut aquæ inde prodire inciperent. Nec dissentit PISCATOR, nisi quod maluit legere *cavum illud*. Eandem expositionem amplexi sunt interpretes BELGÆ & ANGLI, intelligentes per מכתש locum cavum instar mortarii, non in maxilla ipsa, sed in loco, appellato Lechi, aut maxilla hac occasione. Cui sententiæ nos quoque rerum argumentis confirmati subscribimus, ita tamen ut singulare simul agnoscamus DEI miraculum, quo effectum est, ut post fissionem istius cavitatis in Lechi, aquæ subito ebullirent, Simson ad satietatem usque biberet, rediretque Spiritus ejus. In perpetuam rei memoriam fons ille, qui perennis fuit, vocatus est עין הקורא *fons clamantis*, de quo præter Celeb. BOCHARTUM videatur JO. MARCKIUS *l. c. p.* 718.

XXII.

LEVITA GIBEÆ PERNOCTANS ad Judic. XIX, 15.

§. I.

QUando Levita cum pellice ac famulo Gibeam Beniaminis ingressus ac ibi pernoctaturus in platea urbis constitisse nec quisquam civium eum excepisse domo sua, dicitur, sciendum est ad historiæ illustrationem, quod illo tempore nullæ fuerint tabernæ vel cauponæ, in quas diverterent peregrinantes. Qui in urbe hospitem aut amicum non habebat, a quo reciperetur,

O illi

illi pernoctandum erat in plateis sub dio, vel in tentoriis quibusdam in publica via erigendis, quemadmodum id liquet exemplo Jonæ, qui ad Nineven extra urbem tugurium sibi sub arbore paravit. Eadem aliarum gentium peregrinantium erat consuetudo tentoria sibi tendendi non solum in Oriente, sed etiam in Italia. De Volscis Romam ad spectandos ludos profectis refert DIONYSIUS HALIC. L. VIII. *κατεσκήνευν οἱ πλείους ἐν ἱεροῖς τε καὶ δημοσίοις τόποις, οὐκ ἔχοντες καταγωγὰς ἐν οἰκίαις τε καὶ παρὰ ξένοις*, *tentoria sibi faciebant plerique in sacris & publicis locis, quum non haberent diversoria in ædibus & apud hospites.* Inprimis viatores nocte oppressi, ejusmodi sibi tentoria figebant. Ita apud eundem DIONYSIUM Libro II. Laviniensium Legati Roma redeuntes dicuntur *ἐσκηνωμένοι παρὰ τὴν ὁδὸν, ὅπου ἑσπέρα αὐτοὺς κατέλαβεν*, *tentorium sibi fixisse in ipsa via, ubi vespera eos oppresserat.* Idem fiebat in ludis Olympicis, ad quorum spectaculum maxima hominum multitudo undique confluebat. Serius enim in hujusmodi ludorum locis diversoria & stabula exstrui cœperunt, sed tantum Athletis, monente V. Cl. JAC. PERIZONIO in Notis ad AELIANI H. V. L. IV. Cap. IX. p. 322. Conf. SPONIUS in *Miscellan. Eruditæ Antiqv.* Sect. X. p. 363.

§. II. Qui neque tentoriis neque commeatu instructi erant, illi sub dio in plateis absque victu pernoctare cogebantur. Sic Levita ille Jud. XIX *sedisse* dicitur *in platea civitatis, quia non erat quispiam, qui reciperet eum in domum suam ad pernoctandum.* Usque dum senex quidam veniret ex agris, qui peregrini Levitæ misertus, eum in domum suam invitavit, hospitiumque liberaliter obtulit, Lothum imitatus, qui Angelos Sodomam venientes, & sibi ignotos, atque in platea mansuros, Genes. XIX. ultro in suas ædes invitavit.

§ III. Ob istum diversoriorum quibus peregrini exciperentur, defectum, maxime necessaria erat *φιλοξενία*, & hospitalitas, inter præcipua humanitatis officia numerata ac passim commendata. Confer Hiobi XXXI, 32. 1 Petr. IV, 9. Illam quippe non solum Apostolus præcepit passim, Sed Salvator ipse laudavit, commemorans Matth. XXV. se illius beneficii rationem habiturum in extremo judicio. Eandem hospitalitatem inter præcipua debitæ humanitatis officia numerarunt cultiores gentes, auctores legum, sanctæque necessitudinis inter hospites constitutæ, cui ipse Jupiter, ΖΕΥΣ ΞΕΝΙΟΣ præesse putabatur. Apud Germanos

manos TACITO teste de *German.* Cap. XXI, nefas habebatur, quemcunque mortalium arcere tecto: pro fortuna quisque apparatis epulis excipiebat peregrinos. Nec minor erat hospitalitas apud Suecos & Gothos, teste JOANNE LOCCENIO. Apud AELIANUM V. H. L. IV. Cap. I. p. m. 296. recitatur lex veterum Lucanorum, quæ ita habet: Ἐὰν ἡλίȣ δύναντος ἀφίκηται ξένος καὶ παρελθεῖν ἐθελήσῃ εἰς στέγην τινὸς, εἶτα μὴ δέξηται τὸν ἄνδρα, ζημιȣ̃σθαι αὐτὸν, καὶ ὑπέχειν δίκας τῆς κακοξενίας: *Si occidente jam Sole venerit peregrinus, volueritque sub tectum alicujus devertere, is vero hominem non receperit, ut mulctetur, & pœnas luat inhospitalitatis* nempe καὶ τῷ ἀφικομένῳ, καὶ τῷ ξενίῳ Διὶ *& illi qui advenit, & Jovi hospitali,* uti AELIANUS monuit, ad quem conferri merentur eruditissimæ JAC. PERIZONII Adnotationes p. m. 297, ubi narrat, intervenisse aliquando fraudes ab iis, qui in tecta aliorum recipiebantur. Et quia inter peregrinos multi tantum animi gratia vagabantur, seque alieno ita sustentabant cibo, hinc jam olim HESIODUM Ἐργ. 715. rusticum suum monuisse:

Μηδὲ πολύξεινον, μηδ' ἄξεινον καλέεσθαι

Utne nimis sit hospitalis, neque tamen inhospitalis vocetur. Immo vero hinc, verba sunt Cl. PERIZONII l. c. *quum tandem multi gravarentur ignotos sibi homines recipere, ortæ sunt illæ ipsæ tabernæ diversoriæ seu cauponæ. Sic certe quum apud Suecos & Gothos olim, æque ac apud Germanos summa fuisset hospitalitas, adeo ut si quis viatorem tecto arcuisset, idque ter convictus fuisset fecisse, immisso igne ædes ejus incenderentur, publica gentis lege, ut refert* JO. MAGNUS Hist. Goth IV. 1 & 2. *Ea vero humanitate ita publicitus sancita quum multi abuterentur tandem, & rusticis quælibet imperarent vel eriperent, inde factum, ut publicis itidem legibus tabernæ constituerentur, in quibus præberentur viatoribus quælibet necessaria justo pretio.* Vide JO. LOCCENIUM *Antiqv. Sueo - Goth. Cap. 22,* & leges ipsas in RAGUALDI INGEMUNDI *Legibus Suecorum* Cap. 22 & 23. Hodierno tempore in oriente hinc inde inveniuntur publica diversoria seu stabula publica *caravanserais* dicta, teste CHARDINO, aliisque peregrinatoribus. Sunt illa ædificia quadrata, unius tantum contignationis, e lapidibus constructa, superne contecta ad arcendas aeris injurias, & distributa in cameras, quas occupare solent peregre advenientes, victum pro se, pabulumque

pro jumentis ſimul ferentes, quemadmodum Levita ille Judic. XIX, 19. oſtenſurus ſe nemini oneri futurum, & habere ſe viaticum, nec ulla re indigere, niſi tecto, ne ſibi ſub dio pernoctandum eſſet, ait: *Habemus paleam & fœnum aſinis noſtris, suntque etiam panis & vinum mihi & ancillæ tuæ, pueroque, qui eſt cum ſervis tuis, nec quidquam nobis deeſt.* Tum ſenex ille hoſpitalitatis memor eum in domum ſuam intromiſit, & quæ viatori deerant ſupplevit. Conferantur JO. CLERICUS ad h. l. f. 151 & ad Geneſ. XIX. v. 2. f. m. 157, & AUGUSTINUS CALMETUS in commentario ad Lucæ II. p. m. 32. ubi illa orientis diverſoria deſcribit, & ſtabulum Bethlehemiticum, in quo Chriſtus natus eſt, illuſtrat.

XXIII.
DE FIGURA MARIS ÆNEI,
1 Reg. VII, 23. 24. 25. 26.

§. I.

QUemadmodum DEus totius templi auctor inventorque fuit: ita nullum relinquitur dubium, quin maris etiam ænei conſtructio ad eum referri debeat, hanc præcipue ob cauſam, quod David, qui ingentem æris copiam ad illud conflandum legavit, diſerte teſtatur, ſe omnium exemplaria, ac delineationes a DEo accepiſſe 1 Chron. XXIX, 19. DEo quippe cultus ab ingenio humano excogitatus diſplicet. Ideo non eſt mirum, quod ipſe rationes cultus ſui, externosque ritus deſcripſit, & figuras inſtrumentorum, ornamentorum Davidi tradidit, ut eum non tantum repræſentatione futuri pulcherrimi templi exhilaret, & ſingulari voluptate perfunderet, quemadmodum Moſi olim terram ſanctam eminus ex monte Abarim contemplandam dabat, ſed ut David idoneam omnium rerum copiam, atque ad magnificentiſſimi, totoque terrarum orbe opulentiſſimi templi exædificationem, ſufficientem, colligeret, filiumque, paterni regni hæredem, ad opus iſtud perficiendum recte inſtitueret.

§. II. Fallitur proinde JO. SPENCERUS *de Legibus Ebr. Rit. L. III. cap. Diſſ VI.* quando opinatur, & ipſum templum, & ejus magnificentiam, *gentium ruditati* & vulgari Ebræorum ingenio, originem ſuam debuiſſe. DEum enim Judæis utpote cul-

tus

tus alibi recepti formam impotenter expetentibus, templum indulsisse. Verum perincertum adhuc est, nec a SPENCERO satis probatum, gentilium delubra DEI templum & Tabernaculum antiquitate anteire. Parum eum juvat HERODOTI auctoritas, qui Ægyptios sacrorum rituum, & *templorum* auctores facit, qui mille fere annis Mose est junior. Et cum in aliis rebus persæpe allucinatus sit, sicut ostenderunt eruditissimi Viri, non potest in ardua hac controversia idoneum & ab omni dubitatione immune testimonium perhibere. Vid. SALOMO van TILL *im Atrio gentium aperto p. 108. partis secundæ.* Præterea cum ritus Mosaici plerisque Ægyptiorum ceremoniis oppositi fuerint, & Apostolus leges præceptorum in placitis *ἔχθρας inimicitias* Eph. II, 14. appellarit, quia scilicet per eas, velut murum quendam intergerinum a gentibus, & diverso eorum cultu, Judæi disterminabantur, & mutuis odiis non parum æstuabant, nulla verisimilitudinis specie affirmari, vel credi potest, sanctissimum DEI templum, Divino consilio extructum, detestabili gentium ruditati & supestitioni originem suam debuisse. Legi merentur ATH. KIRCHERUS *in Oedipo Ægypt. T. I. Syntagm. IV. cap. I.* HEIDEGGERUS *in Exercit. Bibl. T. I. Diss. X. §. XII.* & WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist P. II. p. 272. 274.*

§. III. Necesse non est, ut in materiam maris ænei anxie inquiramus. Nam *æneum* fuisse vel inde apparet, quod מוּצָק *fusile* vocatur. Nec facile repugnaverim Cel. STURMIO, qui mare hoc æneum, quod in Templo erat, referendum esse putavit ad fontes illos salientes, qui arte fiunt. Idem enim confirmare videtur EUSEBIUS *Præp. Ev. L. IX. f. m 452 & 453,* ubi ex ARISTÆO TIMOCHARE & PHILONE docet, urbem Hierosolymam & templum inprimis fontes habuisse copiosissimos, nec raro aquam templo immissam fuisse, ad detergendum sanguinem, eumque per cloacas plumbo consolidatas extra urbem deferendum. Videatur Viri Cl. CASP. ABELI *Historia Monarchiarum Orbis Antiqui p. m. 250.* De figura ejus hoc magis solliciti esse debemus, quo plures, gravioresque difficultates in ea investiganda & definienda deprehenduntur. Illa autem *rotunda* fuisse dicitur ad instar שְׂפַת־כּוֹס פֶּרַח שׁוֹשָׁן *secundum opus labii calicis floris lilii.* Latitudo ejus, sive *diameter* decem cubitorum, *circumferentia*, sive perimeter triginta cubitorum fuisse dicitur.

§. IV. Sed in hoc ipſo inſignis reſidet difficultas, quod proportio maris æneï inter diametrum & perimetrum exacte tripla ſtatuitur. Nam triginta ad decem rationem triplam habent. Geometræ e contra rationem circumferentiæ ad diametrum ratione tripla majorem invenerunt, &, ex ARCHIMEDIS quidem ſententia, eam fere *triplam ſesqui ſeptimam* eſſe, (ſicut 22. ſe habet ad 7.) dudum demonſtrarunt.

§. V. Hæc ipſa ab ARCHIMEDE inventa proportio inter circumferentiam circuli, & ejus diametrum, mathematicis demonſtrationibus exacte haut reſpondet. Idcirco veteres perinde ac recentiores Mathematici, ſigillatim VIETA, NEPERUS & LUDOLPHUS a CEULEN multis myriadum myriadibus eam expreſſerunt. Quia vero ingentes illi numeri pro indagandis diametrorum & circumferentiarum proportionibus ob calculi prolixitatem nimis moleſti ſunt, numeri minores, (e. g. ut 100. ad 314. ſive ut 113 ad 355.) ſubſtitui, & ſine perceptibili errore adhiberi poſſunt. Hæc inventio adſcribitur ADRIANO METIO celebri olim in Academia Franequerana Methematico.

§. VI. Si igitur ex Scripturæ deſcriptione ponamus, diametrum maris ænei fuiſſe *decem cubitorum*, evidentiſſime patebit, circumferentiam ejus non potuiſſe eſſe XXX. cubitorum, quemadmodum tamen in ſcripturis definitur. Neceſſario debuit eſſe major, nempe $31\frac{2}{5}$ cubitorum; id quod rationibus recte ſubductis ita demonſtratur: *Ut 100. ad 314, ſic 10. ſe habet ad circumferentiam maris ænei inveniendam, quæ eſt* $31\frac{2}{5}$*. cubitorum.* Viciſſim ſi maris ænei circumferentia fuit XXX. cubitorum, tunc diameter non potuit eſſe X cubitorum, ſed tantum $9\frac{174}{314}$, quod inde demonſtratur, quoniam *ut 314. ad 100. ita 30. ad diametrum maris inveniendum, quæ hac ratione major non eſſet, niſi* $9\frac{174}{314}$.

§. VII. Cum hæc ita ſe habeant, quemadmodum demonſtratum eſt, quæritur, quomodo explicanda ſit Scriptura, quæ affirmat, *diametrum* maris ænei ad *perimetrum* rationem exacte triplam habuiſſe? WILKINSIUS Epiſcopus Ceſtrienſis in *Copernico Defenſo L. II. Cap. 3. p. m. 27.* ex hoc loco probari poſſe putavit, S. Scripturam ſæpius erroneas vulgi opiniones ſequi. Idem in mentem venit JACOBO LANDSBERGIO *Tr. 3 Apologiæ*, teſte RICCIOLO *Almageſt. Nov. Libro IX. Sect. IV. f. 494.* Ahei & S. literarum oſores Scripturæ ἀγεωμετρίαν objiciunt, & calumniantur, varios errores mathematicos in ea inveniri, & ideo eam plane indi-

gnam

gnam esse, quæ tanti æstimetur, & cujus origo ad DEum referatur. Audiamus BENED. de SPINOZA, qui in *Tr. Theol. Polit. cap. II. p. 22.* sacratissimo & exsecrabili ore hæc evomuit: *Quia non tenemur credere Salomonem Mathematicum fuisse, licet nobis affirmare, eum rationem inter peripheriam, & circuli diametrum ignoravisse, & cum vulgo operariorum putavisse, eam esse ut 3. ad 1.* En vero hominis audacissimi & impudentissimi fastum, qui Salomonem inusitatæ ac summæ sapientiæ Regem, imo ipsummet Spiritum S. erroris insimulat, & luculento ejus indicio convincere audet! Nos igitur impostoris ignorantiam & impietatem breviter detegemus, atque injurias, quas in Scripturas, earumque auctorem conjecit, depellemus.

§. VIII. VILLALPANDUS structuram *maris ænei Salomonis* exposuit, eamque delineavit, & oculis subjecit *Tom. II. Part. II. Explan. in Ezech. p. 488.* sed nihil deprehendi, quod ad solvendum dubium magnopere faciat, quin potius tota illa structura labilis videtur & lubrica. Aliam formam ex duabus partibus, *cylindrica* scilicet & *hemisphæroidica* constantem proposuit vir quidam doctus, N. FATIUS cujus nomen literis initialibus N. F. D. innuitur, in altera Epistola, quæ adjecta est EDUARDI BERNARDI Libris *de Mensuris & Ponderibus antiquis, Oxoniæ 1688. impressis*, ubi maris ænei structuram nova elegantique ratione exponit, ac schemate quodam illustrat, quod *Act. Er. Lips.* insertum est *1689. p. 519.* nec non *1705. p. m. 224.* At vero nec ille dubium solvit, nec pertinaciter ipse contendit, novam & excogitatam abs se *ænei maris* structuram accuratissimam, & prototypo simillimam esse. Neque RICCIOLUS *in Almagesto P. II. Libr. IX. f. 494.* dubium, sicut par erat & sua persona dignum, sustulit, quando ait, *numerum* h. l. *rotundum pro exactiori poni, nec certo constare ex Scriptura, an resticula illa in eodem plano fuerit, in quo diameter decemcubitalis.* Alia igitur, commodiorque explicandi ratio, quæ & cum regulis Geometricis consentiat, & simul Scripturæ fidem atque auctoritatem tueatur, afferri a nobis debet.

§. IX. Ex antea demonstratis evidenter patet, figuram maris ænei exacte circularem non fuisse. Aliam igitur & veram quæramus figuram. Eam autem aliunde colligere & investigare nec debemus, nec possumus, nisi ex data ejus circumferentiæ & diametri proportione, quam triplam fuisse, ab ipsomet Spiritu S. edocti, scimus. Unde necessario sequitur, mare æneum fuisse *sexangulare*, mi-

re, minime vero figuræ exacte circularis, quemadmodum perperam sibi persuasit SPINOZA, dum datam a Spiritu S. rationem neglexit, nec ex ea figuram maris, sicut par erat, investigavit, sed juxta figuram exactissime circularem *mari Salomoneo* falso tributam, proportionem in Scripturis indicatam examinavit, & cum a legibus Geometricis dissentiret, ut erroneam perinepte rejecit.

§. X. Nam geometræ magna evidentia demonstrant, quod hexagono inscripto in circulo, diameter circuli sit tertia pars ambitus ipsius hexagoni. Deinde ipsa voce שושן, quæ *lilium* notat, satis indicatur, figuram maris *sexangularem* fuisse. Nomen enim a שש habet sive numero senario, quia שושנים lilia sex folia habent, & perfectum sexangulum repræsentant, quali schemate *mare Salomoneum* exhibuit SAM. REYHERUS, Celeb. Juris & Mathematum Professor Kilon. *in Mathesi Mosaica p. 715*. Nec obstat, quod mare hoc עגל *rotundum* dicitur, quia non tantum figura perfecte circularis, sed etiam sexangularis suo modo rotunda dici potest.

§. XI. Placuit hæc difficultatis expediendæ ratio Celeberrimi nominis Theologo in Academia Jenensi DN. J. F. BUDDEO *H. E. V. T. Tomo II. p. 253* Nec alienus ab ea fuit Vir eruditissimus HADRIANUS RELANDUS *in S. Antiquit. Vet. Hebr. p. 55*, tradens, mare illud æneum in atrio Templi collocatum, figuram habuisse rotundam, & labium ejus instar lilii fuisse expressum. *Quum autem lilia* שושנים *a sex foliis nomen habeant, videtur labium hujus vasis sex quasi folia repræsentasse, aut sex spatiis, quinque cubitos a se invicem distantibus, incisum fuisse, proximeque accessisse ad hexagonum. Atque ita diameter cubitorum decem conveniet cum peripheria cubitorum triginta, quoniam diameter circuli, cui hexagonum inscriptum est, si decem habeat cubitos, quodlibet latus hexagoni dabit quinque, adeoque sex latera efficient triginta.*

§. XII. Non tamen negaverim, adhuc alium conciliandi modum S. Scripturæ hostibus opponi, ejusdemque auctoritatem vindicari posse, si supponatur, mare æneum non eandem ubivis mensuram & figuram a summo ad imum habuisse, nec lineam dimetientem X cubitorum habendam esse pro Diametro peripheriæ XXX cubitorum, & funiculum circumferentiam maris ænei, mensurantem n applicatum fuisse extremo margini, seu labio, sed ipsum mare medium cinxisse. Adeoque aliam esse Diametrum mar-

marginis supremi & aliam maris medii, & infra labium spectati ac mensurati. Quamvis inusitatus sit hic metiendi modus, tamen huic conjecturæ illud videtur favere in textu sacro, quod Diameter cum Perimetro non conjungitur a scriptore divino, sed quod primo memoratur Diameter, deinceps altitudo, ac tandem Peripheria. Certe dato Diametro non erat necesse addi Peripheriam, cum proportio satis nota sit, & perimeter sciri facile possit. Ad hanc conjecturam muniendam confirmandamque urgeri posset textus Hebræus, ubi dicitur וקוה שלשים באמה יסב אותו סביב *& funiculus triginta cubitorum circumambiebat* אותו *illud* mare, non שפתו *labium ejus* vel אותה *ejus extremitatem*. Sane nulla nos cogit necessitas, ut statuamus, diametrum maris æneі decem cubitorum in eodem fuisse plano, cum XXX cubitorum peripheria, quippe quæ cum Diametro exacte non convenit. Hæc conjectura jam olim in mentem venit RICCIOLO, qui *l. c. f. 494.* difficultatem tolli posse putavit, si statuatur, resticulam illam in eodem plano non fuisse, in quo fuit Diameter decemcubitalis.

§. XIII. Prius vero quam a jucundo hocce argumento discedamus, duo adhuc solvemus dubia, quæ multis satis gravia & ardua visa sunt. Narratur, *mare illud super duodecim boves stetisse.* H. GROTIUS in h. l. cum Judæis in SALOMONE culpam fingit, statuitque, hoc contra legem DEI fuisse, quæ imagines prohibeat. Sed GROTIUS non observavit illas duntaxat imagines in lege prohibitas esse, quæ ad idololatriam prostabant, eique inserviebant. Omnia procul dubio DEI jussu adornata in templo fuerunt, secundum illud exemplar, quod DEUS Davidi tradiderat 1 Paral. 29, 19. quia Deo nihil magis displicet, quam ἐθελοθρησκεία & cultus ab ingenio humano excogitatus. Vid. COLOV. *in Bibl. illustr. h. l.*

§. XIV. Præterea dissensus quidam apparet inter duo diversa Scripturæ loca, in quibus *maris* capacitas & magnitudo definitur. Nam 1 Reg. VII, 26. *duo millia batorum*, sed 2 Chron IV, 5. *tria batorum millia* illud recepisse significatur. Hunc nodum, si ad maris ænei usum respicere licet, facillime solvemus. Nam Sacerdotes corpora sua in illo abluebant, 2 Chron. IV, 6. Jam facile credi potest, quod mare ad summum marginem repletum capere potuerit 3000. batos quia in citato Chronicorum loco legitur מחזיק בתים שלשת אלפים יכיל *comprehendens tria millia batorum simul.* Sed ordinaria, & usualis ejus mensura non nisi

2000. batorum fuit, ne sacerdotes se abluentes submergerentur. Vid. SAM. REYHERUS *l. c. p. 717. 718.* Nonnulli duo illa loca ita inter se conciliant, dum opinantur, labrum æneum, si frugibus repleretur, ter mille batos continuisse, quia fruges coacervari in labro poterant, sed si repleretur aqua, non nisi bis mille batos continuisse, quia batus rerum tam aridarum, quam liquidarum mensura erat, quod KIMCHIUS ad h. l. aliique Judæi erpresse docent. Conferatur WAGENSEILIUS in *Sota p. m. 357.* WALTHERUS proinde *in Harmonia in h. l.* frustra in dubium vocat, batum rerum aridarum mensuram fuisse.

§. XV. Videtur hoc mare æneum sacrum baptismi fontem præfigurasse. Sicut enim sacerdotes Vet. Testamenti solenni ablutionis ritu ad munus initiabantur: ita Christiani, cum in cœtum diviniorem & DEI fœdus recipiuntur, salutari fonte tinguntur. Et Micha forte ad hoc mare, typum baptismi N. F. respexit, cum ait. cap. VII. 19. *Revertetur DEUS noster, miserebitur nostri, & projiciet in profunda maris omnia peccata nostra.* Sic certe existimare præstat, quam cum SPENCERO l. c. Libr. III. cap. III. Diss. III. Sect. II. p. 1023. affirmare, *Hebræos cultus sui munia lotione toties repetita præstari voluisse, ne sacra sua minore cum puritatis cura & specie, quam gentiles ipsi, celebrasse viderentur.*

XXIV.
DE SENSU VERBORUM
1 Reg. IIX, 34.
ואתה תשמע השמים

§. I.

QUærunt interpretes cur שמים numero duali efferatur, cum tres cœli a DEO creati in Scripturis commemorentur? Nec est, cur cœlum beatorum παράδεισον Paulo dictum 2 Corinth XII. hinc excludas, quia illud non minus creatum esse legitur Neh. IX, 6. Devt. X, 13. Psal. LXIIX, 34. Dici potest duos duntaxat cœlos inferiores, voce שמים a Mose primitus indicatos fuisse, quemadmodum מצרים Ægyptum, in superiorem & inferiorem divisam, & ירושלים Hierosolymam, in duas civitates distinctam, nempe in *Sionem* & *Moriam*, ex nonnullorum obser-

obſervatione notat. Conf. JO. BRAUNIUS *in Sel. Sacris* p. 714. Nam tertium cœlum non eſt τῆς κτίσεως ταύτης Ebr. IX. 11. unde etiam ob ſilentium Moſis myſticum ὁ χειροποίητον vocatur.

§. II. Eadem vox per metonymiam adjuncti interdum de ipſo DEO uſurpatur. Frequentiſſima eſt hæc vocis ſignificatio apud Ebræorum magiſtros. Pervulgatum eſt illud apud Talmudicos: הכל לשם שמים *omnia ad cœlum*, vel ut KIMCHIUS alicubi effert, מעשיך יהיו לשם שמים *omnes actiones tuæ ſint in nomine cœli.* Ita אדם ירא שמים *homo timens cœli* de eo dicitur, qui DEUM timet. Neque ipſa Sacra Scriptura ab hoc vocabuli uſu abhorret. Pſalmo LXXIII 9. dicitur שתו בשמים פיהם *opponunt cœlis os ſuum i. e.* DEO. Evidens & perilluſtris locus eſt apud Danielem cap. IV. 23. מן די תנדע די שליטין שמיא *ut cognoſcas quod dominentur cœli*, hoc eſt, ut verſu antecedente explicavit: די שלים עליא *quod dominetur altiſſimus.* Eodem ſenſu οὐρανὸς in Nov. Teſt. aliquoties ſumitur, Luc. XV, 21. πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν, *Pater, peccavi in cœlum*, hoc eſt, in DEUM, qui in cœlis eſt, perinde ac alibi Joannis baptiſmus ἐξ οὐρανοῦ, & a DEO fuiſſe dicitur.

§ III. Diſquirunt proinde Sacri Codicis enarratores, an hæc Salomonis verba recte per metonymiam ita exponi poſſint, ואתה תשמע ולו׳ השמים *& tu audies, o cœlum*, pro O DEUS? Nos exiſtimamus, verba hæc hunc in ſenſum exponi non poſſe propterea, quod illa improprietas vocis השמים nimis frequens eſſet, & in uno capite cumulata 1 Reg VIII. v. 34, 36, 39, 45, 49. Neque DEUS in ſermone Ebræo unquam *o cœlum* abſolute & directe compellatur. Idcirco loca Scripturæ antea allata propter rationis diſparitatem nihil probant. Locus ille percommode exponi poteſt per ſuppletionem deficientis voculæ אֶל, exemplo verſus XXX, ubi oratio expleta eſt: ואתה, תשמע אל־השמים *& tu audies in cœlos in locum habitationis tuæ*, preces videlicet, ad hoc templum terreſtre directas, tanquam dirigerentur ad templum cœleſte, in quo habitas. Alia exempla omiſſæ particulæ, notantis terminum ad quem, notavit BUXTORFF. Theſ. Grammat. L. II. cap. 20. Conf. JAC. GUSSETIUS *in Commentar. Lingvæ Ebr. f. 865.*

XXV.
CORVI ELIAE NUTRITORES ad 1 Reg. XVII, 4 & 6.

§. I.

ELias vates divinus, famem per triennium futuram prædixit Achabo Regi. Tum DEUS piorum curam gerens, & in omni angustia illis prospiciens, Eliam allocutus est his verbis: *Abito hinc e Samaria, convertitor ad orientem, & te abdito ad torrentem Cheritum, qui est ad Jordanem in orientali limbo agrorum Ephraimi. E torrente bibes & mandatum dedi* ערבים *corvis, ut te illic alant. Fecit ille, prout dixerat Jehova, abiitque & consedit ad torrentem Cheritum qui est ad Jordanem. Corvi autem adferebant ei panem & carnem matutino tempore, panemque ita & carnem vespertino, bibebatque e torrente.*

§. II. Varia sunt vocis ערבים interpretamenta. Non corvos, sed Angelos, corvorum forma vestitos, Eliæ cibum attulisse, nonnulli a TOSTATO *ad h. l.* commemorati, tradiderunt. Alii suspicati sunt ערבים homines denotare. ARABS vertit *Orabimos* & intelligit incolas urbis cujusdam ערבו *Horbo.* Unde in *Bereschit Rabba* referente R. MENASSE BEN. ISRAEL *in Conciliatore Levit. qu. 3. p. m. 187.* R. JODA existimavit, corvos cibum Eliæ nequaquam subministrasse, sed homines, qui in vicinia civitatem ערבו *Orbu* habitantes ערבים *Orbim* appellarentur. Sane cum in Judicum libro fiat mentio Horeb Cap. VII. v. 25. ויהרגו את עורב בצור עורב *& occiderunt Horebum in rupe Horebi*, R. MENASSI BEN ISRAEL veri videtur simile, populum ab illa urbe appellatum fuisse, uti a Francia Franci, ab Hispania Hispani appellantur. In Tractatu Talmudico CHOLIN ex B. SCHEIDII versione R. ADA filius MIRIOMI per *Orebim* 1 Reg. XVII, 6. putat, forte intelligendos esse duos viros, quorum nomina fuerint *Orebim* de nomine loci, quod fuerint e petra Oreb ita dicti. Nonnulli apud R. DAVID KIMCHIUM ערבים exposuerunt per mercatores a radice ערב, quæ negotiandi significationem quandoque habet Ezech. XXVII, 27. ערבי מערבך *negotiantes negotia tua.* Aliis nostri ערבים sunt Arabes

2 Par.

2 Par. XXI, 16 & Neh. IV, 7. Posteriores hasce opiniones artificiose & erudite expositas, & illam maxime de civibus urbis ערבו adoptavit JO. CLERICUS, nihil obstare putans, quo minus religiosi & timentes DEI aliquot Harabæi occultarint, & sustentarint Prophetam, invito Rege idololatra, quemadmodum id factum sit infra Cap. XVIII. 4. ab aulico Achabi.

§. III. At vero omnes hæ opiniones ex ingenio sunt excogitatæ ad tollendas difficultates, quas imaginati sunt nonnulli, divinæ potentiæ ac consuetudinis immemores. Credere enim non potuerunt, hominis nutritores fuisse voraces corvos qui magna solicitudine sibimetipsis alimenta quærunt, & ob nimiam voracitatem & victus quærendi difficultatem, proprios pullos ad volatum habiles negligunt, nido expellunt, & num fame perituri sint, parum curant. Unde pulli corvorum sine cibo errare, & ad DEum ob urgentem famem clamare dicuntur Jobi XXXIX, 3. ad quem locum videantur SEB. SCHMIDIUS in *Commentario p. 1461.* SAM. BOCHARTUS *Hieroz. P. II. Cap. XI. f. m. 203.* & JO. FRID. MAYERUS *in Ecloga ad Evang. Dom. XV. p. Trin. Quæst. 3.* Si ערבים isti fructus quosdam arborum ad Eliam attulissent, rem multo melius convenire corvis putant, quam panem & carnem coctam, quæ non nisi apud pistores & coquos, aut in urbibus inveniri potuerint. Num vero hæc difficultas tanta est, ut propterea a vocis proprietate & significatu famosiore ac per quam usitato recedendum sit? Nonne DEus facere potest, quod vult? Nos per ערבים Eliæ nutritores CORVOS intelligendos esse putamus, moti confirmatique clara textus litera. Nam ערב corvum proprie denotat Gen. VIII, 7. Prov. XXX, 17. Hanc significationem hujus loci esse agnoverunt vetustissimi magnæ auctoritatis interpretes. CHALDÆUS habet ערביא corvos. Suffragatur SYRUS, GRÆCI ALEXANDRINI per *τοὺς κόρακας* vocem exposuerunt. Eos secuti sunt JOSEPHUS HIERONYMUS, ac universi Ecclesiæ Doctores, nullo excepto, nec pauci ex Hebræorum magistris in Gemara *Cholin* & *R. Nehemiach in Bereschit Rabba* apud MENASSEN BEN ISRAEL l. c. Favet communiori sententiæ circumstantia loci. Sive enim נחל *vallem*, sive *torrentem* exponas, utrumque locum corvi amant, late id probante BOCHARTO *l. c p 201.* Nec obstat, quod DEus *mandatum dedisse* dicitur *τοῖς* ערבים *corvis.* DEus enim tanquam potentissimus totius universitatis conditor omnibus

creaturis præcipere potest. Ita non solum *cœlis*, *nubibus*, *diluculo*, *gladio* præcepisse legitur, sed etiam brutis animantibus. *Locustæ* præcipit ut exedat terram, 2 Par. VII, 13. *Serpenti* præcipit, ut mordeat Amosi IX, 3. *Pisci* dixit DEus, ut Jonam in terram evomeret, Jonæ II. 10. Ubi Cel. BOCHARTUS *f. m.* 215. *l. c.* recte observat, *nubibus* e. g. *brutis* & *corvis* præcipere esse iis uti ad exequenda sua decreta. Unde KIMCHIUS illud צִוִּיתִי *præcepi* exponit שמתי בלבם להביא לחם ובשר שתי פעמים ביום *in animum ipsis* (corvis) *indidi*, *ut panem & carnem afferrent bis in die*.

§. IV. Aliæ expositiones a clara textus sacri litera recedunt, & idoneo destituuntur fundamento. Purissimi Angeli in Scriptura nusquam appellantur ערבים *corvi*, nec corvorum forma induti unquam apparuerunt. Dominus enim corvum abominatur Levit. XI, 15. & impuris volucribus adnumerat. Ubi Deus Angelorum ministerio utitur, Angeli diserte nominantur in Scriptura, quemadmodum hæc ipsa Eliæ historia id monstrat, quando 1 Reg. XIX, 5. cibum ab Angelo accepit. Neque mercatores hoc loco per ערבים intelligi possunt. Quamvis enim mercatores Tyrii ab Ezechiele l. c. περιφραστικῶς describantur & vocentur ערבי מערבך *qui negotiantur negotia tua*, tamen ערבים per se & sine προσθέσει non sunt mercatores, uti eruditissimus BOCHARTUS dudum monuit. Nec ullum ejus significationis exemplum ex codice Hebræo proferre potuit JO. CLERICUS ad *h. l. f.* 419. pronior ceteroquin in hanc explicationem, quam decebat, aut ratio exigebat, opinatus, contra analogiam fortasse non fuisse *mercatorum* notionem. Esse quippe in lingua Hebræa, quæ semel tantum occurrant. Sed unde Vir doctissimus certus est, hanc vocem ערבים sub hac significatione in nostro loco esse ex numero τῶν ἅπαξ λεγομένων. Æque incertum est, quod subjicit, intelligi posse mercatores Cheritho torrenti vicinos, cum dubium sit, an aliqui illic exstiterint. Neque DEus generatim dixisset *præcepi mercatoribus*, sed *præcepi mercatoribus his vel illis*, *hujus vel illius loci*, ut te nutriant, ad confirmandum Eliæ animum, ne de alimentis in tanta temporum difficultate solicitus esset. Recte notavit GUSSETIUS in *Commentario Linguæ Ebr. f.* 642. עֹרֵב corvum denotare, quando caret additamento, & interpretamento. Cui simplici expositioni h. l. favet Dei consilium de Elia

Eliao occultando, ut nemo hominum, ubi esset, sciret. Idem sentiendum de opinione eorum, qui ערבים exponunt *Arabes*. Hi enim Hebraice non dicuntur עֹרְבִים, sed עֲרָבִים 2 Par. XXI, 16. & Neh. IV, 7. Quod insigne punctorum discrimen nequaquam est negligendum. Et quis sibi persuadebit in terra Israelitica prope Jordanem, ubi Eliæ latibulum erat, Arabes habitasse? Nec sani aut solidi quid habet JO. CLERICI effugium, potuisse illis temporibus nonnullos Arabes trans & cis Jordanem habitare in occidentali & orientali ejus ripa. Reges enim idololatras non usque adeo curasse, ut impermisti viverent Hebræi seorsim a vicinis gentibus & forte fuisse illic Arabes proselytos. Quæ conjectura tam vana est atque incerta, ut contra usitatam vocis ערבים significationem ne allegari quidem mereatur.

§. V. Magis speciosa est opinio eorum, qui nostros ערבים de civibus urbis cujusdam ערבו HORBO, non procul a Scythopoli sitæ, accipiunt. Cel. BOCHARTO nulla hujus nominis urbs cognita fuit. EUSEBIUS tamen, quod dissimulandum non est, ערבה *Haraba* non procul a Scythopoli, occidentem versus sitam fuisse tradit in locis Hebraicis: ΑΡΑΥΑ, *πεδιὰς καλεῖται καὶ ἀνωτέρω· ἔστι δὲ καὶ κωμὴ καλουμένη*, ΑΡΑΥΑ *ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας καὶ ἀπὸ τριῶν σημείων Σκυθοπόλεως ἄλλη πρὸς δυσμάς*, interprete HIERONYMO: ARABA, AQUILA planam, SYMMACHUS campestrem interpretatur. Porro est alia *villa*, Araba *nomine*, *in finibus Diocæ sareæ*, *quæ olim Sapphorine dicebatur*, *& alia tribus millibus a Scythopoli contra occidentem.* Nec admodum negaverim eo respexisse Rabbinos in *Bereschith Rabba*, cujus auctor refert, *urbem* esse in vicinia Bethsanis seu Scythopoleos, cujus nomen ערבו *Orbo*, aut Harabo notante JO. CLERICO. Hoc ipso tamen parum confirmatur opinio pro *Orebimis*. Nam si vel maxime tempore EUSEBII & HIERONYMI fuerit vicus aliquis *Araba* dictus, non longe a Scythopoli, quis certus erit, illum vicum *Arava* tempore Eliæ illic fuisse, quum tot secula effluxerint inter ELIAM & EUSEBIUM, & illa regio tot mutationes passa sit ab Assyriis, Babyloniis, Romanis aliisque. Sed fuisse fingamus, quis demonstrabit a voce ערבה *Ἀραυὰ* formari gentile עֹרֵב vel עֹרְבִים. Contra quum DEus eidem huic Prophetæ per ministerium Angeli, ubi quoque latebat, cibum præbuerit 1 Reg. XIX. 6. & ערבים *corvos* signifi-

significare soleat in Sacro codice, HADRIANUS RELANDUS Vir harum rerum peritissimus & arbiter peridoneus *p. m. 915. Palæstinæ ex monumentis veteribus illustratæ*, non vidit, cur a sensu simplici & literali recedendum sit, & cur sacer Scriptor, si incolas Arabæ indicare voluit, usus sit voce ambigua, imo tali, quæ semper corvos significat in Sacro codice, quum aliis iisdemque clarioribus vocibus uti potuerit. *Quid, quod si* עֹורְבִים *qui ei apportarunt panem & carnem, homines* fuerunt, quidni cum exsiccatus erat fluvius Crith, *aquam quoque ei apportarunt? Hoc enim facile præstare potuissent. Sed exsiccato fluvio cum non haberet Elias, quod biberet, locum mutare debuit. Nec est, quod quis dicat, etiam per corvos aquam ei suppeditari potuisse. Fateor: Sed & DEUS Eliam sine ope ulla in vita conservare potuit: verum hoc ei non placuisse, patet ex eventu. Qui autem homines fuisse putant, qui his quotidie panem & carnem Eliæ attulerint, non video, quid fingere possint, cur non & iidem aquam ei apportare potuerint. Ego quidem uti opera prodigiosa fingi temere non debere confiteor, ita illa ubi clare descripta exstant, neganda aut labefactanda esse non existimo.* Hactenus eruditissimus H. RELANDUS, cujus sententiæ nos eo lubentius subscribimus, quo major hujus miraculi in sacro codice est evidentia, quæ JO. CLERICUM, cum tantum miraculum concoquere vix posset, eo tandem adegit, ut rem in medio relinqueret, & in sua hujus loci versione *f. 420.* vulgarem sententiam hostiliter antea impugnatam, sequeretur.

§. VI. HERMANNUS VAN DER HARDT V. Cl. per ערבים Eliæ nutritores vult intelligi incolas urbis *Oreb*, cujus rupes commemoratur Jud. VII, 25. Es. X, 26. illam eandem esse putat ac *Aorabi* HIERONYMI. Ita etiam auctores tabularum geographicarum eam appellasse, vel *Harabin*, uti BERTIUS. Diu post appellatam esse *Zipporin*, *Sephorin*, *Sapphura*, *Sephoris*, *Sephet*, quæ nomina in historiis recentioribus magis nota sint. Sed de situatione rupis *Oreb*, ab *Orebi*, trucidatione sic appellatæ, nihil certi nobis constat, nisi quod capita OREBI & ZEEB allata fuerunt ad Gideonem מעבר לירדן *ex regione trans Jordanem.* Et Gideon ipse paulo post Jordanem trajecit Jud. VIII, 4. Inde recte collegit HADR. RELANDUS *l. c. p. 914.* illam Orebi rupem fuisse in regione trans Jordanem. Et quum rupis *Orebi* tantum, non urbis, mentio fiat, non videtur certum satis, an *Oreb* urbs fuerit. Largiamur autem tantisper, urbem fuisse trans Jorda-

Jordanem Quid illa quæso ad locum *Aorabi* HIERONYMO memoratum, qui cis Jordanem situs erat in finibus Diocæsareæ, quæ secundum HIERONYMUM olim *Saphorine* dicebatur, & in medio Galilææ sita erat. Ita, ut tria hæc loca rupes *Oreb*, vicus *Aorabi* & urbs *Sipporis* diversissima fuerint, quæ HARDTIUS inter se confudit & pro unico loco erronee habuit, quemadmodum RELANDUS clare monstravit. Nec minus erravit Vir Cl dum per ערבים Eliæ nutritores, non corvos, quæ obvia, perpetua, & simplex vocis significatio est, sed commentitios rupis *Orebi* incolas, aut adjacentis urbis cives intelligendos esse contendit, in Dissertatiuncula Gallice sub titulo: *Corbeaux d' Elie* scripta.

§ VII. De reliquo scrupulus ille, *qua ratione ab immunda ave Elias cibum potuerit accipere absque pollutione?* Et annon ipse cibus impurus fuerit redditus a corvis, avibus immundis, contactuque omnia fœdantibus, & cadaveribus plerumque vescentibus? facile eximitur, quando cogitamus, illa quæ purificavit DEus, pro immundis non debere reputari Act X, 15. DEUS legis auctor hoc loco dispensavit. Ne quid dicam, omitti potuisse Ceremoniarum Leviticarum observationem, quando urgebat vitæ necessitas, quemadmodum declarat exemplum Davidis esurientis & comedentis panes τῆς προθέσεως absque scrupulo, quos alioqui non licebat edere, nisi solis sacerdotibus Luc. VI, 4. Videatur SAM. BOCHARTUS *l. c. f. 216.* Nec absimile vero est, quod exercitatissimus Scripturæ interpres SEBAST. SCHMIDIUS ad h. l *p m 108* notavit, corvos fuisse immundos in cibum, non autem tactu; hoc est, non licuisse illis vesci. non tamen immundum reddidisse id, quod tangebant: Sicut canis immundus in cibum fuerit, quem nihilominus licuerit tangere Videatur Vir Cel. JO. FR. BUDDEUS in *Hist. Eccl V. I. P. II. p. 384.*

XXVI.

ITER ET SOMNUS FALSORUM DEORUM 1 Reg. XVIII, 27.

§. I.

ELias irrisurus Baalitas, qui nomen Baalis invocabant, & miraculum ad tuendum vindicandumque ejus cultum, ab eo efflagi-

Q tabant

tabant & vane exſpectabant, *clamate*, inquit, 1 Reg. XVIII, 27. *magna voce. Nam ei forte eſt meditatio, aut occupatio, aut ITER, forſitan etiam DORMIT & excitabitur.* Iter & abſentia perinde ac ſomnus de vero DEO hujus univerſi conditore & conſervatore dici nequeunt. Hic quippe non procul eſt a quoquam noſtrum, Actor. XVII, 27. Jerem. XXIII, 23. DEUS Iſraelis non dormit, Pſalm. CXXI, 4. ſed perpetuo vigilat in ſalutem hominum. Aſt utrumque affirmabant idolorum cultores de Numinibus ſuis fabuloſis, id quod nonnullis exemplis & veterum teſtimoniis, ad illuſtranda divinioris vatis verba, confirmabo.

§. II. Procus Penelopes Antinoum *Odyſſ. P. verſu 486.* caſtigat, quod Ulyſſem hoſpitem feriiſſet, ea de cauſa, quod Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες *Dii ſimiles hoſpitibus* ſub quovis habitu per urbes vagentur ſpeculantes contumeliam & juſtitiam hominum. Videatur Actor. XIV, 11. & quæ H. GROTIUS & J. PRICÆUS ad illum locum collegerunt. Notum eſt ex antiquis monimentis, Apollinis feſtum, quod ἐπιδημία Ἀπόλλωνος, h. e. *præſentia Apollinis* vocabatur. Idem Apollo ob iſtud feſtum apud CALLIMACHUM *Hymno* in illum *verſu 13.* dicitur ΕΠΙΔΗΜΗΣΑΣ, hoc eſt ἐπίδημος, quaſi non perpetuus loci ἔνδημος ſeu *incola*, ſed qui, ut φανεῖος ſeu ἐπιφανὴς ſtatis temporibus aut feſtis præſens eſſet ac manifeſtus, notante EZECH. SPANHEMIO in illum CALLIMACHI locum *p. m. 56.* Hoc ſenſu, ut idem vir illuſtris *l. c.* & Diſſertatione *quinta* de Præſtantia Numiſmatum *T. I.* obſervavit, frequens Deorum ΕΠΙΦΑΝΩΝ ſeu PRÆSENTIUM aut etiam præſentiſſimorum mentio in Scriptoribus & monumentis antiquis. Cumque Phœbi adventum pueri cantu & choreis a CALLIMACHO certatim celebraſſe dicantur, illuſtris SPANHEMIUS exiſtimavit, illud ex veteris Inſtrumenti hiſtoria, & ſacris Ebræorum ritibus, uti tot alia, obvia paſſim in gentilium ſacris, deſumpta eſſe. Ibi enim memoriæ proditum legi, quod condito a Salomone Templo. arcæ in illud inferendæ adventus, quem JOSEPHUS ΕΠΙΔΗΜΙΑΝ ΘΕΟΥ appellat, *Antiquit L. VIII. Cap. II. p. 263.* omni feſtivitatum genere, tanquam præſens ibi & conſpicuum eſſet Numen, celebratus ſit, 1 Reg. VIII, 4. & IX. 65.

§. III. Idem de aliis Diis Deabusque, quod de Apolline prodidit CALLIMACHUS, veteres crediderunt, THEODORUS GRÆVIUS ad citatum CALLIMACHI locum notavit

tavit *p. m. 32.* Venus certo tempore morari putabatur in Eryce Siciliæ, ubi Templum Veneris erat venerandum & ſanctum, & deinde trajicere in Italiam apud ÆLIANUM *V. H. L. I. Cap. XV. p. m 18.* edit. PERIZONII, qui ex hoc loco explicandos eſſe putat antiquos nummos Erycinorum, in quibus Venus conſpicitur & columba. Videatur Vir illuſtris EZECH. SPANHEMIUS *de Præſtantia & Uſu Numiſmat. T. I. p. 124 & 125.* Thetis apud HOMERUM negat, ſe poſſe convenire Jovem, quoniam iviſſet ad Æthyopas nec rediturus eſſet ante duodecimum diem *Iliad. A. v. 422.*

> Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας,
> Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα. θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
> Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται οὔλυμπόν δε.
>
> *Jupiter enim ad Oceanum, ad eximios Æthyopas,*
> *Heri ivit ad convivium, Dii ſimul omnes ſeqvuti ſunt;*
> *Duodecimo vero die iterum veniet ad cœlum.*

§. IV. Idem ſentiebant profani homines de Deorum ſomno. HOMERUS l. c. ſub finem, verſ 609.

> Ζεὺς δὲ πρὸς ὃν λέχος ἤι' Ὀλύμπιος ἀστεροπήτης
> Ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι,
> Ἔνθα καθεῦδ' ἀναβὰς, παρὰ δὲ χρυσόθρονος Ἥρη.
>
> *Jupiter autem ad ſuum lectum ivit, cæleſtis fulgurator,*
> *Ubi antea dormiebat, quando ipſum dulcis ſomnus invaderet:*
> *Illic dormivit aſcendens, juxtaque auream ſedem habens Juno.*

Conferatur JO. CLERICUS in Notis ad 1 Reg. XVIII, *v. 27. f. 425,* qui opinatur, hæc quidem fuiſſe ſomnia Græcorum, ſed Cananæos iis non fuiſſe ſapientiores. Eliæ ſane oratio ſatis indicat, Baalitas ab illa opinione de Deorum dormitione non abhorruiſſe.

§ V. Imprimis autem Dii quietem capere exiſtimabantur circa meridiem. Unde *μεσαμβρινὰ ἀτυχία, meridiana Deorum quies* memoratur a CALLIMACHO *verſ 72. Hymni* in Lavacrum Palladis *p. 147.* Eam ob cauſam Paſtor ille apud THEOCRITUM negat ſibi licere fiſtula canere, quia meridies eſſet, & Pan Deus ſuus dormiret. Notatu dignum eſt, quod illo meridiano tempore, quo Dii dormire, nec pro hominum ſalute excubare credebantur, pravi dæmones, nocendi cauſa circumvagantes, a ſuperſtitioſis metuebantur. Unde dæmonum in me-

ridie vagantium conspectum nemo non refugiebat & deprecabatur. Eorum enim adspectus & *φάσματα* fuisse ΦΟΒΕΡΑ *terribiles*, JAMBLICHUS de *Myster. p. 41.* notavit. Ex hujus superstitionis descriptione lux adfunditur interpretationi Græcæ & Latinæ hymni Davidici XCI. 6, ubi dæmonium meridianum inter diei pericula recensetur, atque dicitur, hominem pium, qui spem suam in DEum collocat, sibi non metuere *ἀπὸ* ΔΑΙΜΟΝΙΟΥ ΜΕΣΗΜΒΡΙΝΟΥ A DÆMONE MERIDIANO. Hæc verba olim vehementer torserunt Græcos & Latinos Doctores. In Hebræo codice paulo aliter legitur. Sed interpretes Alexandrini, quos Latinus sequutus est, respexerunt ad superstitiosam Ægyptiorum, Græcorum, ac Orientalium opinionem, qui putabant, dæmones meridie, Diis dormientibus, oberrare, & illo potissimum tempore timendos esse. Conferatur JO. CLERICUS in *Arte Critica P. I. Cap. I. p. m. 53*

§. VI. Meridie templum intrare nefas erat apud veteres. Eam superstitionem inde ortam esse suspicor cum THEODORO GRÆVIO in Notis ad CALLIMACHI Hymnum de *Lavacro Palladis p. m. 147.* ne Deorum somnus intrantium strepitu perturbaretur. Ob eandem caussam Pythagorici & sapientes apud Ægyptios videntur vetasse, ne quis januam aut portam Templorum præteriens loqueretur. Tum enim censebant, silentio colendum esse Deum. Cum igitur consentaneum sit, Syros & Cananæos eadem superstitione fascinatos, idem de Deorum suorum quiete meridiana ac itinere sensisse, quod Græci aliique gentiles somniabant, facile inducor, ut credam, Eliam sacrificulis Baaliticis illusurum, ad illam opinionem respexisse, dicens, eorum Deum forte in itinere esse aut DORMIRE. MERIDIES enim erat, quando vates divinior cum Baalitis congrediebatur, & de religionis veritate decretorie pugnabat.

XXVII.

בני האלהים DE FILIIS DEI

Hiobi I, 6. & Gen. VI, 2.

§. I.

BRENTIUS exercitatissimus S. literarum enarrator per FILIOS DEI h. l. non Angelos solum intelligendos esse contendit, *sed omnes pios, qui semper in conspectu DEi sunt,*

ſunt, *quorum Dominus perpetuam agit curam* Eadem fuit ſententia CONR. PELLICANI ad h. l. Nos per hos FILIOS DEI Angelos intelligendos eſſe putamus, interpretem Chaldæum ſequuti, qui tranſtulit: *& venerunt ordines Angelorum* Eadem eſt communis ſententia interpretum Chriſtianorum a SEB. SCHMIDIO in Commentario ad h. l. confirmata & vindicata. Nuncupantur autem filii DEi in oppoſitione ad Satanam, cujus malitia, qua DEo & piis adverſatur, in ſanctis Angelis non eſt. Hi enim ſunt ſanctæ DEi creaturæ non ſolum propter primam productionem, ſed etiam propter confirmationem in bono. Hiobi Cap. XXXVIII, 7. non tantum dicuntur filii DEI ſed etiam כּוֹכְבֵי בֹקֶר *ſtellæ matutinæ* propter ſplendorem ſanctitatis & ſapientiæ, qua poſt creationem Angeli coruſcabant, veluti phoſphorus ſub diei exortum inter reliquas ſtellas lucet.

§. II. Multo aliter ſe res habet cum FILIIS DEI Geneſ. VI, 2. qui videntes filias hominum formoſas eſſe, uxores ſibi ex omnibus, quas elegerant, ſumſerunt. Iſtos בני אלהים *filios DEI* veterum permulti de Angelis, qui mulierum amore capti, earum connubia concupiverint, acceperunt. Illos enim ad tutelam humani generis demiſſos & cum hominibus commorantes ad vitia pellectos & mulierum congreſſibus inquinatos eſſe. In hoc errore hæſerunt JUSTINUS MARTYR, IRENÆUS, ATHENAGORAS, CLEMENS ALEX., TERTULLIANUS, CYPRIANUS, LACTANTIUS, EUSEBIUS & SULPITIUS SEVERUS. Quæ opinio de Angelorum libidine inde videtur nata, quod in Codice Alexandrino Verſionis τῶν LXX. non υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, quemadmodum in Vaticano aliiſque codicibus legitur, ſed Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ dicantur filias hominum amaſſe his verbis: ἰδόντες δὲ ΟΙ ΑΓΓΕΛΟΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων. Idem habet JOSEPHUS *Originum Jud.* L. I. Cap IV, πολλοὶ γὰρ Ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ἐγέννησαν παῖδας. Similia habuiſſe librum Enochi colligitur non ſolum ex ORIGENIS adverſus CELSUM *L. V. p* 267, ſed ex ſatis amplo ejuſdem libri fragmento, quod edidit eruditiſſimus GRABIUS *Spicil.* Vol I. p. 347. Conſentit Teſtamentum XX. Patriarcharum ejuſdem Spicilegii p. 150 & 213. Contradixerunt tamen huic errori in veteri Eccleſia invalituro ORIGENES L. V. adverſus CELSUM p. 267. 268, & CYRILLUS ALEXANDRINUS adverſus *Anthropomorphitas Cap.* 17.

17. Conferantur JO. POTTERI Notæ ad CLEMENT. ALEX. f. m. 260. Num. 6. nec non ANTONIUS VAN DALEN de *Origine ac Progressu Idololatriæ p. m. 121 & 123.*

§. III. Rectius sentiunt, qui piam Patriarcharum sobolem FILIORUM DEI titulo insigniri putant. Cum ergo Cain in exilium missus, uxorem secum abduxisset, procreassentque eo in loco liberos; eam humani generis coloniam formosis mulieribus sequentibus ætatibus auctam cum vidissent Sethi posteri, connubiis conjungi cum iis optarunt, monente ad h. l. JO CLERICO. Cui credibile est, ante hanc decimam ætatem Sethidarum & Cainidarum sejuncta fuisse, non secus ac sedes, matrimonia; adeo ut uxorem sibi quisque e proximis consanguineis duceret. Sed ab hoc tempore, quod in secunda ætate divulsum humanum fuerat genus, iterum coiisse. *Qui de nomine DEI appellabantur*, ut loquitur Capite quarto Moses sub finem, seu *Filii DEI*, ut hic, collocari sibi optasse uxores ex iis, quos *homines*, aut *filios hominum* peculiari appellatione vocitarint. Quam quidem conjunctionem, licet per se haud illicitam, tamen male cessisse Sethidis, idem Vir doctissimus monet, nec inepte suspicatur, hoc observari a Scriptore Sacro, ut ex alienigenis petenda non esse matrimonia vel hoc prisco exemplo, Israelitas obiter doceret.

§. IV. Difficulter tamen intelligitur, quomodo ex Filiorum DEI concubitu cum filiabus hominum provenire potuerint GIGANTES? Nonnulli vocem נפילים, quæ in fontibus Hebraicis exstat, reddiderunt *Apostatas*, ac *nebulones*. Quæ conjectura adeo inepta non est. Quamvis enim הגבורים *robusti* simul appellentur isti *Nephilæi*, inde tamen non sequitur, eos veros fuisse gigantes, statura prorsus inusitata, & solito altiore ac monstrosa, nec id Numer. XIII, 34. clare satis indicatur. Satius est existimare, *Nephilæos* ex ista commixtione procreatos, fuisse homines animo feroces, pugnaces, ad omnia vitiorum genera proclives, nec minus robustiores ceteris hominibus, & corporis viribus admodum validos, ac latrocinia in colonos ac viatores exercentes. In hanc conjecturam ducimur significatione verbi נפל quod non modo *cadere* notat, sed & *irruere* more latronum, qui subito in viatores, aut incaute ruri versantes impetum faciunt, Hiobi I, 14. Conferantur JO. CLERICI *Adnotationes ad Gen. VI. f. m. 56.* Nec displicet conjectura Viri doctissimi CASP. ABELI quando

quando in *Historia Monarchiarum Orbis Antiqui p. m. 29.* suspicatur, idem forte istis hominibus diverso genere prognatis usu venisse, quod illis hodie solet, qui ex coitu Europæorum & Æthiopum seu Americanorum proveniunt, qui plerumque uti viribus corporum admodum validi, ita quoque animo ferocissimi,& ad omnia vitiorum genera maxime proclives evadere dicuntur, ita ut in illis priscos illos nebulones quodammodo agnosci possint.

XXVIII.
AN EX ELIPHAZI VERBIS,
HIOBI cap. V. v. 1.
אֶל־מִי מִקְּדֹשִׁים תִּפְנֶה
invocatio sanctorum probari possit?

§. I.

VUlgatus interpres verba illa reddidit: *Ad aliquem sanctorum convertere.* Hoc avide arripiunt doctrinæ Pontificiæ Defensores, & putant, se hac Eliphazi præceptione invocationem sanctorum evidenter demonstrare, & contra nos tueri posse.

§. II. R. BELLARMINUS, ut tantum non ubique, ita hoc maxime loco Ebrææ linguæ ignorantiam prodit, dum vitiosam, & a fontibus dissentientem versionem approbat, verbaque Scripturæ contra Spiritus S. mentem detorquet. Quærit enim Eliphazus ex Hiobo: אל מי מקדשים תפנה, *ad quem sanctorum converteris?* hoc est, ad nullum. Quis non videt locutionem esse negativam & dissuasoriam? Vid. SEB. SCHMIDIUS *in h. l.* HACKSPANIUS *in Sylloge Disp. p. 516.* SCHERZERUS *in Anti-Bell. Disp. IIX. p. 453.* & AFFELMANNUS *in Syntagmate P. I. p. 737.*

§. III. Etsi vel maxime illam verborum interpretationem, quam Pontificii defendunt, admitteremus, inde tamen sanctorum invocatio nondum stabiliretur. Nam Eliphazus præciperet Jobo, ut ad aliquem sanctorum converteretur, ad explorandum, an DEus insontes puniat, ut habet textus, non ad invocandum eos. Videatur ESTIUS *in h. l.* Præterea non mortui & absentes,

tes, sed viventes sancti & præsentes h. l. intelliguntur, qui cum Jobo loqui poterant. Quapropter stat inconcussa nostra sententia, Sanctos non esse religiose colendos & invocandos. In hac veritate confirmamur a Paulo Rom. X, 14. hoc argumento: In quem non credimus, eum nec invocare debemus, quia fides & invocatio religiosa in idem tendunt objectum. In Sanctos autem non credimus, quod apud Pontificios ipsos in confesso est. Ergo illos nec invocare debemus.

§. IV. Vanitas illius ritus satis ex cultus *novitate* patet. Nusquam enim legas eum vel a Servatore, vel ab Apostolis institutum, & præceptum esse, vel veterem Ecclesiam, quoad in doctrinæ puritate substitit, illum recepisse. Qui ritus originem curatius paulo investigarunt, deprehenderunt, quod Sanctorum invocatio precibus in Natalitiis martyrum originem debeat. In veteri enim Ecclesia ante celebrationem cœnæ Dominicæ singulares quædam preces recitabantur, in quibus martyrum fiebat mentio. Sed observare interest, veteres Christianos non tam martyres invocasse & pro iisdem orasse quam pro gratia, martyribus præstita, DEum celebrasse. Formulas harum precum ex CYRILLO HIEROSOLYM. & ex LITURGIIS Hierosolymitana & Alexandrina excerpsit exhibuitque CASP. SAGITTARIUS *in Dissert. de Natalitiis martyrum cap. V. §. 5.* qui simul erudite ostendit, quod ab Apostolorum temporibus ad ducentos usque, & quod excurrit, annos, Sanctorum invocatio nullum in Ecclesia habuerit locum, sed quod, sparsis ab ORIGENE superstitiosi ritus seminibus, seculo demum quarto, circa annum Domini CCCLXX. per BASILII, NYSSENI, & NAZIANZENI orationes panegyricas, quas in honorem & memoriam martyrum recitabant, in publicos Ecclesiæ conventus sensim paulatimque inductus sit. Trevoltienses equidem Jesuitæ in Gallia ex pictura quadam Lugdunensi illius ritus antiquitatem probare conantur, sed quam inepte id fiat, ipsa inspectio docet. Nam in æde S. Paulo dicata epitaphium visitur, in quo RICHARDUS Comes coram Salvatore nostro in genua provolutus inquit: *Christe, rei miserere mei, miserere meorum.* Paulus pro eo ita deprecatur: *Paulus ei peto dona DEI regnumque polorum.* Truncus sit, qui non intelligat, a rudi monacho hos versus ævo medio confectos, & plane indignos esse, qui inter antiquitates Lugdunenses *refe-*

referantur. Vid. Memoires de Trevoux 1701 menſ. Jul. p. m. 74. it. Relationes antiquæ & novæ 1701 p 498.

§ V. Superſtitio ritus, & idololatria, ex *incredibili* ſanctorum fabuloſorum *multitudine* manifeſta eſt. Nam certum habemus & exploratum, permultos ſuperſtitioſe in Romanenſium cœtu coli, de quibus merito dubites an extiterint unquam in rerum natura, e quorum ſunt numero *Magnus Chriſtophorus, S. Georgius Draconicida*, aliique. Sic traditionem illam vetuſtiſſimam de undecim millibus virginibus martyrio ſimul affectis fabuloſam eſſe BARONIUS & AUBERTUS MIRÆUS fatentur, quorum teſtimonio ſe firmavit GISB VOETIUS *in Diſſert.* de Sanctis Chimæricis. *Diſput. Sel. Tomo III. p m. 474. & 482.* Noviſſime CLAUDIUS FLEURIUS *Tomo XV. Hiſt. Eccleſ p. m. 30.* candide faſſus eſt, hiſtoriam S. Urſulæ & ſociarum ita fabuloſam eſſe, *qu' elle eſt manifeſtement inſutenable*, ut nullo mo lo defendi poſſit. Eandem tanquam fabuloſam nuper rejecit HONORIUS DE S. MARIA Carmelitici Ordinis monachus, homo ceteroquin valde ſuperſtitioſus & fabularum nugaciſſimus propugnator in *Reflexions ſur les Regles & ſur l' uſage de la Critique T. II. Pariſiis edito* 1717. *Libro I. Diſſert. I. l. Regula ſecunda.* SPANHEMIVS *in Diſſert. de Joanna Papiſſa P. I. cap V. p 30. edit Gallicæ*, fabulæ originem ex Lectoris errore, & ridicula monachorum oſcitantia derivat, qui invenientes in veteri inſcriptione Colonienſi XI M. V. legerint *undecim millia virginum*, cum legendum fuiſſet, UNDECIM MARTYRES VIRGINES. Veri multo ſimilior eſt erudita HADR. VALESII conjectura, qui ex SIRMONDI ſententia fabulæ initia inde deducit, quod inepti quidam ſcribæ in martyrologio MS. ita repererint: S. URSULA ET UNDECIMILLA V. M. hoc eſt, *Sancta Urſula & Undecimilla Virgines martyres;* ſed putarint, quod vox UNDECIMILLA cum Vet. M. proxime inſequentibus per abbreviationem literarum eſſet ſcripta pro *undecim millia virginum martyrum*, & ineptam fabulam inde effinxerint a credulis pro vera hiſtoria receptam. *Vid. Valeſiana p. 49.* Neque tamen de nihilo ſunt, quæ illuſtris LEIBNITIUS in *Colloquiis Menſtruis Decembr.* anni 1695. circa hanc VALESII conjecturam monuit: *Quam ex Valeſianis poſthumis refers conjecturam de origine fabulæ Virginum undecim mille, mihi olim aliter, & ni fallor, paulo plauſibilius ab optimo GAMANSIO ex Soc. JEſu narratam recordor.*

cordor. Nempe quibusdam credi, (quibus ille tamen calculum non adjiciebat) scriptum olim fuisse alicubi: URSULA ET XIMILLIA VIRGINES. *Duas ergo tantum fuisse, Ursulam & Ximilliam vel Ximiliam. Et credibile est eum, qui Valesiana retulit in literas, narrationem non certe percepisse.* Ximilla *enim scribi debebat, non* Undecimilla *vocabuli monstrum.* Fabulam agnovit NATALIS ALEXANDER Hist. Eccles. Sect. IV. Cap. VII. Artic. V. p. 183, ejusque originem sibi invenisse visus est in USUARDI Martyrologio Caroli M. jussu conscripto, quod manuscriptum habetur in Bibliotheca celeberrimæ Abbatiæ S Germani a Pratis, & vel USUARDI, qui hujus cœnobii monachus fuit, autogrphum est, vel eo vivente descriptum fuit. Illud S.Ursulæ & Virginum martyrum non meminit ad diem XXI. Octobris: sed die XX. adscribit passionem sanctarum virginum Marthæ & Saulæ, cum aliis pluribus, & quidem Coloniæ. *An forte ex his verbis USUARDI Saulæ Ursaulæ & deinde Ursulæ nomen interpolatum?* Id quod consentaneum videtur nostro ALEXANDRO.

§. VI. In emendandis Romanæ Ecclesiæ fastis, & divis fictitiis prodendis & exauctorandis operam studiumque collocavit non contemnendum JO. DUBOURDIEU, edita *Dissertatione Historico-Critica super Martyrio Legionis Thebæorum*, quæ ob religionem Christianam Maximiani Imperatoris tempore mortem perpessa fuisse fertur. In illa multis argumentis ostendit Auctor, nullam veritatem *legendæ* subesse, sed historiam illius martyrii, quæ EUCHERIO, Lugdunensi Episcopo tribuitur, supposititiam esse. En vero nova, & satis opima spolia de Ecclesia Romana reportata, quæ martyribus sexies mille, sexcentis & sexaginta sex, qui numerus in historia martyrii Legionis Thebanæ definitur, uno conflictu spoliatur! Dici tamen vix potest, quantus cultus fabulosis hisce sanctis Augustæ Taurinorum hodienum tribuatur, tum a plebe, tum ab Aula magistratuque, eo cumprimis tempore, ex quo Carolus Emanuel I. Sabaudiæ Dux, cadaver Mauritii, qui Legioni Thebææ præfuisse creditur, Augustam Taurinorum perferri curavit. Conf. *Acta Erud.* Lipf. 1706 p. 308.

§. VII. Quot quæso Sanctos fictitios detexit JOANNES LAUNOIUS, Theologus Parisiensis Sorbonicus, quot ex veterum fastis, martyrumque indicibus erasit, immortale propterea nomen consequutus? Testatur GUIDO PATINUS *Epist. 49. Tom. I. p. 207.* in qua lepide de eo ita jocatur: Il y en a ici, qui l'appellent

pellent (Jean Launoi) esprit ferré & ame damnée, disant, qu'il se" faut garder de lui, qu'il ôte tous les ans un Saint du Paradis, & qu'" il y a du danger, qu'il n'en ôte à la fin Dieu même. Neant moins" jusqu'ici personne ne lui a repondu. Conferri debet *Epist ejus 151.*" *p.* 594. Neque minori jucunditate legi, quæ MENAGIUS de" eo habet *in Anti-Bailleto Tom. II. p. 216.* Mr. de Launoi, Docteur en" Theologie de la Faculté de Paris a pretendu, que plusieurs de nos" Saints n'avoient point existé; ce qui a fait dire de lui à Mr. FERA-" MUS dans son Elegie sur la mort de Mr. Du Puy:

„Tu quoque, Launoi, veri indagator & index,
„Addita qui fastis Numina falsa doces.

MENAGIUS ipse hoc Epigrammate LAUNOIUM celebravit:

Τὸν λαυνοῖον ὁρᾷς, ὃς σύρφετον Οὐρανιώνων
Ῥίψε, ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλῶ θεσπεσίοιο.

Addit MENAGIUS & fatetur l. c. se ultimum hunc versum, qui maximam elegantiam Epigrammati concilier, ex HOMERI Iliade I. v. 591. ubi de Vulcano, a Jove violento pedum ictu e cœlis dejecto, sermo est, mutuo accepisse. Unicum adhuc subjiciam ex *Suite du Menagiana p. 293 & 294.* ad ingenium conatumque Launoii rectius cognoscendum: Mr. Godefroy l'historiographe étant sorti" de son logis de grand matin le premier jour de l'An, rencontra" dans la rue de la Harpe Mr. de Launoi, qui s'en alloit en Sorbon-" ne. Il l'aborda & lui dit, en l'embrassant: Bon jour & bon an," Monsieur. Quel Saint denigerês vous du Ciel cette année?" Mr. de Launoi surpris de la demande lui repondit: Je ne deniche point du Ciel les veritables Saints, que Dieu & leur merite y ont" placé, mais bien ceux, que l'ignorance & la superstition des" peubles y ont fait glisser, sans qu'ils le meritassent, & sans l'a-" veu de Dieu & des Savants. Conf. P. BÆLIUS *in Diction. Historico-Crit. T. II f. 1771. in vita Menagii.*

§. VIII. Postquam hac occasione ad fabulosos fictitiosque Pontificiorum martyres & Sanctos delapsi sumus, juvat pauca quædam, ob argumenti similitudinem, reique jucunditatem, de S. VERONICA subjungere. Quot, quæso, fabulæ de illa circumferuntur? Nota est precationis formula, qua Pontifex Joannes XXII. usus esse dicitur: *Salve sancta facies nostri Redemtoris* &c. Vid. B. SCHERZERUS *in Anti-Bell. Disp. IIX p 458.* & JO. GERHARDUS *in Locis Theolog. Tom. IIX. p. m. 166.* Plerique

ex Romanensibus tradunt, hanc VERONICAM sanctissimam fœminam fuisse. Novissime HONORIUS DE SANCTA MARIA antea commemoratus T. II. suarum *Meditationum super Regulis & usu Critices*, Parisiis Gallice editarum Libr. IV. Diss. 8. istam historiolam tam stolide quam impudenter propugnare ausus est, sola traditionis Ecclesiasticæ auctoritate fretus. Sed JO. MABILLONIUS, eruditus Ordinis Benedictini monachus, *Musei Ital. Tom. I. p. m. 88.* luce meridiana clarius fecit, S. Veronicam inter chimæras, & otiosa ingeniorum commenta referendam esse, & fabulis adscribi debere, quæ vulgo de ea narrentur, cum nunquam sancta quædam mulier istius nominis exstiterit. Docet præterea, *Veronicam* linteolum esse, cui Servatoris facies impressa credatur, Romæ in templo D. Petro sacro asservatum, sicque dictum quasi *vera icon*, seu iconia. Suffragatur ÆGID. MENAGIUS in *Dictionario Etymolog. f. 715. &* crassum errorem pictorum arguit, qui Veronicam pingunt ut fœminam, quam vulgi opinionem æque absurdam esse putat, ac si quis Helenam sanctæ crucis inventricem CRUCIS nomen gessisse arbitrari velit. Nec dissentit DANIEL PAPEBROCHIUS, celebris & pereruditus ordinis Ignatiani sodalis, & strenuus sanctorum encomiastes, Sed lubenter ac ultro profitetur, se in Actis Sanctorum dubitasse, num mulier quædam nomine Veronica, quæ Christo crucem bajulanti occurrisse, eique faciem sudario suo tersisse perhibetur, unquam in rerum natura fuerit. Qua de re etiam jampridem dubitatum fuisse notat, antequam Sanctorum Acta prodirent. Observat enim, nomen Veronicæ in GALESINII Martyrologio quidem legi, at BARONIUM, cum multis sanctis Martyrologium augeret, *Veronicam* tamen addere ausum non fuisse, imo Gregorii XIII. tempore adjunctam expunxisse, & in suo Martyrologio alto silentio pressisse. Adducit deinceps Scriptores, qui ipsum sudarium *Veronicam* appellarunt. Unde suspicatur, quod *Veronica* nihil aliud sit, quam vera icon Christi, quæ successu temporis corrupte Veronica appellata fuerit. Postremo demum invidiæ & vexationis declinandæ causa addit, se sanctæ mulieris cultui nequaquam invidere, imo gratissimum sibi fore, si Romanæ sedis auctoritate *Veronicæ* nomen Martyrologio restituatur, sanctitas ejus definiatur, & sic dubitandi locus omnibus eximatur. Videatur PAPEBROCHII *Responsio ad Exhibitionem errorum per R. P.* SEBASTIANUM A S. PAU-

PAULO, *Ordinis Carmelitani in Belgio Provincialem Antwerpiæ 1696 edita*, ſigillatim Reſponſio ejus ad *accuſationem quartam*, nec non *Acta Erud. Lipſ.* ejusdem anni *p. 503*. Conferatur præterea illuſtris LEIBNITII *Præfatio* ad Chronographum Saxonem, quem cum aliis Chronicis ſub titulo *Acceſſionum Hiſtoricarum* Hanoveræ 1700 edidit. De reliquo CHRISTIANUS KORTHOLTUS nequaquam dubitat, quin *Veronicæ* nomen ex φέρω & εἰκὼν formatum ſit, indeque ſcribi debeat *Pheronica*, *ferens imaginem*, quod corrupta ſeculorum ruditas in *Veronicam* mutarit. Videantur ejus *Miſcellanea Academica Kilonii 1692 edita* §. 21. nec non LILIENTHALII V. Cl. *Selecta Hiſtorica & Literaria p. 354.*

§ IX. Nulla vero in re magis apparet Pontificiorum abſurditas, quam in cultu Sanctorum ignotorum. Hoc ipſum nemo melius, nemo doctius, nemo ſolidius oſtendit, quam antea laudatus MABILLONIUS, in epiſtola quadam *de cultu ſanctorum ignotorum*, ſub ficto nomine Euſebii Romani, circa finem ſuperioris ſeculi 1698. Pariſiis edita, rogatus ab amico, ut ſententiam ſuam diceret de duabus inſcriptionibus, quarum altera in agro Veſontionenſi effoſſa, altera Ambiani detecta erat. Ut accuratum de toto negotio judicium formari queat, rem omnem, bona cum venia Lectoris, ipſius MABILLONII verbis exponam: *Præmiſſis nonnullis precibus, ſi quis tumulus in Rom. illis antiquis cœmeteriis nondum reſeratus occurrit cum Chriſti monogrammate, cum ſigno palmæ, columbæ, Paſtorisve, aut aliquo conſimili, tumulus ille detegitur, hominis conditi oſſa e tumulo efferuntur; tumque pro certo indicio ſanctitatis habetur, ſi nomen aliquod quomodocunque lapidi inſcriptum ſit, vel vaſculum vitreum ſanguine, ut creditur, intinctum in tumulo reconditum habeatur. Dehinc oſſa lavanda traduntur certis miniſtris ad hoc deputatis, quibus lotis Cardinalis Vicarius, vel Epiſcopus nomen ſancto imponit, ſi nullum habet, & in ciſtam obſignatam reponit. Denique literæ teſtimoniales dantur ab eodem Epiſcopo, vel a Cardinale Vicario eo ſpectantes, ut hæ reliquiæ in Eccleſia quavis venerationi fidelium exponantur.*

§. X Sed MABILLONIUS noſter conſuetudinem hanc improbat, & ejusmodi argumentis impugnat, quæ nullus Pontificiorum facile refellet. Nam primo exiſtimat, catacumbas iſtas Romanas, ubi tot cadavera effodiuntur, quæ religioſe deinceps a ſuperſtitioſo populo coluntur, non martyrum, & ſolo-

rum ſanctorum, ſed nullo habito meritorum delectu, omnium fidelium conditoria fuiſſe. Nos doctiſſimo viro non tantum adſtipulamur, ſed præterea affirmamus in his cœmeteriis profanos etiam, & gentiles humatos fuiſſe. Fidem aſſertioni faciunt reperti ibi Imperatorum nummi, ſigillatim Diocletiani, aliorumque, qui Chriſtianos acerrimo odio proſequuti ſunt, miſereque vexarunt. Conſpicitur in his catacumbis imago Orphei, cantus ſuavitate aves beſtiasque poſt ſe trahentis. Urnæ denique ſepulcrales oſſium receptacula, & alia ethnicismi monumenta haut obſcura hic reperiuntur. Judæos etiam in illis ſepultos fuiſſe, multis veriſimile videtur. Quid autem fieri poteſt facilius, quam ut impudentes iſti cadaverum cultores pro Junone nubem prenſent, & pro ſancto deteſtabile quoddam peſſimi nebulonis, profani aut Judæi cadaver effodiant, venerentur, & exoſculentur? Anxii certe dubiique in definienda rei veritate ſemper hærebunt. Exinde recte infert Mabillonius publicum ſelemnemque cultum Sanctis ejusmodi incognitis abrogandum eſſe.

§. XI. Deinde peropportune monet ſuæ fidei ſocios, palmas non ſemper triumphales, ſed perſæpe funebris cupreſſi notas eſſe, & ſigna palmæ, agni, paſtoris, α & ω, tumulis inſculpta, teſtari quidem, quod eo in loco humati ſint Chriſtiani, non autem quod fuerint ſancti. Tandem non conſtare ait, num appoſita vaſa ſanguine tincta ſint? & annon potius ad continendos ſuffitus, aut odoramenta, aliaque id genus appoſita fuerint? Denique affirmat, perpaucos eſſe ex illis incognitis ſanctis, qui vitrea vaſcula, quæ videri poſſint ſanguine tincta, adjuncta habeant.

§. XII. En Tibi, L. B. veram originem tam incredibilis martyrum ac Sanctorum numeri apud Romanenſes ab eruditiſſimo monacho, acerrimo alias Romanæ fidei defenſore, fideliter monſtratam! Nos nihil addimus præter CEL. SAM. BASNAGII judicium de laudata hac MABILLONII epiſtola, qui exiſtimat, ſi MABILLONIUS regulis, quas ad veros Sanctos a falſis & fictis dignoſcendos propoſuit, inſiſtere, ſummamque in hoc genere eruditionem, qua floret, eo conferre voluiſſet, eum facile oſtendere potuiſſe, ingentem Sanctorum multitudinem, quam Eccleſia Romana veneratur, fictis falſisque Sanctis annumerandam eſſe. Huc pertinet, quod idem MABILLONIUS *T. I. Muſei Italici P. I. p. 145.* de Hiſpanis nonnullis conſecrationem novi cujusdam ſancti, VIAR dicti, a Papa Urbano VIII peten-

petentibus refert his verbis: *Notatu dignum est, quod Urbanus ab Hispanis quibusdam interpellatus de concedendis indulgentiis ob cultum cujusdam sancti, cui VIAR nomen inditum erat, negaverit Pontifex id se facturum, nisi prius resciret, quis & qualis esset ille Sanctus, & quo tandem argumento ejus sanctitas probaretur. Allatus est lapis, in quo hæ literæ reliquæ erant S. VIAR. At periti judicarunt, fragmentum esse veteris inscriptionis, in qua quidam PræfectuS VIARum laudabatur.* Conferatur TENZELIUS in *Colloquiis Menstruis 1690. p. 363.* Huc quoque referas, quod in Breviario Ambianensi A. Ch. 1683 edito, *Lectione 2.* de S. Firmino Martyre d. 25. Sept. SANCTI cujusdam AUXILII mentio fiat, qui nunquam in rerum natura exstitit. *Il y est parlé d'un Auxilius, Evêque d'Angers, qu'on revére comme un grand Saint, mais qui ne fut jamais, qu'aux yeux de ceux, qui par éblouissement ont lû de AUXILIO PRÆSULE pour AUXILIO PRÆSULIS*, secundum *MARVILLE* in *Melange Tom. II. p. 219.* Prætermitto dubitationes & lites de reliquiis Sanctorum, quales inter plures civitates, & monasteria, quæ easdem reliquias se possidere contendunt, aluntur. Ita decem urbes *S. BARNABÆ* caput sibi vindicant & inter se altercantur. De possessione corporum *S. S. PROTASII & GERVASII* disceptant Mediolanenses in Italia, & Brisacenses in nostra Germania. Vide *Acta Erud. Lips. Tomo IV. Suppl. p. 286.* Quantæ sunt controversiæ de capite *JOANNIS* Baptistæ, & de aliis ejus reliquiis? Nam multæ urbes in Ecclesia Romana gloriantur, se caput Joannis habere. Ostendunt illud & exponunt diversis in locis superstitioso vulgo, ac cultum religiosum illi præstant. Vid. *NANUS TILLEMONTIUS T. 1. H. E. P. 1. in Notis ad Vitam Joannis Baptistæ p. 358 & 359.*

§. XIII. Utinam & alii ex erudito Romanensium ordine laudabile LAUNOII & MABILLONII exemplum secuti, in fictitia Ecclesiæ Romanæ Numina erudite & accurate inquirerent! Quot Senatores vitio creatos deprehensuri essent in Sanctorum senatu! Reges Nobilium insignia & documenta Nobilitatis interdum examinare & fictitios Nobiles Nobilitatis jure privatos ad conditionem plebejam dejicere solent, ad conservandum veræ Nobilitatis splendorem & dignitatem. Quid futurum esse putemus, si Clerus arbitros constitueret, qui recte examinatis Sanctorum documentis, sententiam dicerent ab omni partium studio alienam? Quot

Quot nomina ex fastis Romanis forent expungenda? P. BÆLII judicium, quod ea de re tulit *Diction. Hist. & Crit. T. II. f. 1772.* mi-„hi perplacuit: Si les troupes de l'Eglise triomphante passoient en „revûe devant de bons Commissaires, on y trouveroit beaucoup de „passe volans, non pas parmi les Soldats, mais parmi les hauts „Officiers, je veux dire, parmi les Saints, qu'on invoque. Le Ka-„lendrier a plus de besoin de reforme a cet egard, que par rapport „a la procession des Equinoxes; & au lieu, qv'un simple retranche-„ment de dix jours a suffi pour cette derniere reformation, il fau-„droit, pour l'autre, retrancher par centaines & par milliers.

Ego autem nunquam futurum esse credo, ut fasti Romanenses hac ratione emendentur. Hodierna Roma eandem habet cum veteri & pagana sententiam, vetat ceremonias, etsi impiæ sint & superstitiosæ, mutari, *consecratis utendum esse*, dictatorie jubet. Conf QUINTILIANUS L I cap. 6. p. 39. Describant doctiores Pontificii, quanta possunt evidentia, ejusmodi fabulas, nihil tamen, quoad auctoritas Summi Inquisitionis Senatus perstabit, proficient. Quem usum LAUNOII atque MABILLONII denunciationes falsorum Sanctorum habuerint, nondum vidi. MABILLONIO sigillatim, qui superstitiosum alienorum Sanctorum cultum reprehendit, & de fictitiis sui ordinis Sanctis tacet, tritum illud objicitur: *Medice, cura teipsum.* Dudum ei objecerunt rigidiores Pontificii damna Ecclesiæ Romanæ exinde illata, & emolumenta in Protestantes dimanantia. Vid. BASNAGIUS *Tom. II. de l'histoire de l'Eglise p m. 1038 & 1039.* it. l'*histoire des Ouvrages des Savants, Août 1698. p. 372.*

XXIX.

QUO SENSU IRRISIO DEO TRIBUATUR IN SACRIS LITERIS

Psal. II, 4. Prov. I, 26. Gen. III, 22. ALIISQUE IN LOCIS, DISQUIRITUR.

§. I.

EXsibilatio & derisio hominum pereuntium minus recte tribui potest DEO, O. M. quippe qui non est ἐπιχαιρέκακος, nec vult peccatoris mortem, sed ut convertatur ac vivat.

vivat. Ipsi gentiles, quibus mens paulo sanior erat, irrisionem imo ipsum risum Deos dedecere existimabant. Poetæ equidem, qui quodlibet audendi fingendique licentiam sibi sumserunt, risum Diis tribuere non dubitarunt.

CALLIMACHUS *Hymno in Dianam v. 149.*

Θεοὶ δὲ ἐπὶ πάντες ἐκείνῳ Ἄλληκτον γελόωσι

Id quod Vir illustris EZ. SPANHEMIUS *in notis ad h. l. p. 234.* imitatione Homerica factum esse putat, apud quem *Iliad. X. v 784.* legitur

Οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπ' αὐτῷ ἡδὺ γέλασσαν
Hi autem omnes super ipso suaviter riserunt.

Alibi de Diis ad Vulcani per domum cursitantis adspectum *Iliad. A. v. 599.* canit *p m. 49.*

Ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν
Inextinguibilis autem excitatus est risus beatis Diis.

Sed hoc nomine reprehenduntur Poetæ & Μυθογράφοι a SOCRATE apud PLATONEM *de Republ. L. III. p. 388 & 389.* quod tum fletus, tum immodici risus affectum non Heroibus solum, sed Diis, & quidem Deorum summo tribuerint. PROCLUS LYCIUS quinti seculi post Ch. N. Philosophus, & HOMERI commentator atque apologeta sententiis Poetarum de Diis commodum sensum quæsiturus in suis ad illam Politiam commentariis, agnoscit quidem lacrymas & risum eos decere, qui naturæ humanæ sunt compotes, non autem Deos, hac addita ratione, quod procul a voluptate ac dolore constitutum sit supremum Numen. Inde tamen utrumque & fletum & risum Diis tribui a Poetis ob eorum providentiam, qua res humanas indesinenter procurant. *Flere* illos dici, ubi singulari eorum providentiæ resistat pars quædam universi, inde inevitabilem interitum nacta: *Ridere* autem ob immensam eorum in universum orbem ἐνέργειαν & efficacitatem. Hanc PROCLI sententiam ex difficilioribus ejus in Politiam PLATONIS Quæstionibus, quæ Græce tantum exstant, excerptam, compendiose exhibuit EZ SPANHEMIUS *l. c. p. 235.* & ex APULEJO notavit RISUM inter Deos gentilium adscitum, ejusque sacra *annua reverticula solenniter* celebrata esse. Tam ridicula ac stulta gentilium fuit religio, vel potius superstitio.

§. II. DEUS verus hujus universitatis conditor, in libris Vet. Instrumenti *risisse*, nusquam autem dicitur *flevisse*. Contra Servator in N. T. *flevisse*, nusquam *risisse* legitur. Vid. JO. HENR. URSINI *Anal. T. I. p. 274.* Impios DEus derisisse, eosdemque subsannasse dicitur hoc in loco Psal. II, 4. *Dominus in cœlis sedens* ישחק & ילעג *ridet & subsannat eos.* Hujusmodi risus meminit etiam HIOB Cap. IX. 23. SALOMO Prov. I, 26. qui locus nostro textui est parallelus, nec non David ipse Psal. XXXVII. 12. 13. & LIX. 9; Si PROCLUS de eruenda & explicanda μυθογράφων, Diis *risum* tribuentium, sententia solicitus fuit, quanto magis nos decet solicitos esse de exponendo sensu S. Scripturæ, quæ *derisionem* & *exsibilationem* DEo adscribit, cum tamen ejus simplicitati, misericordiæ, sanctitati, & φιλανθρωπίᾳ illa repugnet.

§. III. Ex ipso Christianorum cœtu, ac singulatim nonnulli S. Scripturæ interpretes aliquot oracula antea commemorata, inprimis Gen. III, 22. de hoc irrisionis affectu interpretati sunt, vel certe existimarunt irrisionis ἀνάλογον quidpiam DEo adscribi posse. AMBROSIUS illa DEI verba Gen. III, 22. *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis* expositurus, notat, *IRRIDENTEM DEUM, non approbantem hæc scripsisse. SAL. GLASSIUS in Philol. S. p. m. 1513.* non solum ἀνθρωποπαθῶς, sed etiam ἀναλόγως exponit illa Scripturæ loca, quæ DEO *irrisionem* adscribunt, ratus, illa ironice non minus, quam sarcastice debere exponi. GLASSIUM sequutus est AUG. PFEIFFERUS in *Thesauro Hermenevtico Can. CXLVI.* ita tamen, ut existimarit, *ironiam* quæ *sarcasticam irrisionem* infert, tum demum DEO tribuendam esse, quando agit cum impiis, provocans ad Prov. I, 26. Jud. X, 14. Zach. XI, 13. Nostra opinione *irrisio* DEo, cujus natura infinite perfecta est, nec proprie nec ἀναλόγως adscribi potest; quoniam irrisio revera est aliqua ἐπιχαιρεκακίας species, quæ definiente WESENFELDIO *in Georg. Anim. & Vitæ P. I. Cap. IV. §. X* non est nudus affectus, *sed exorbitantia & excessus affectuum gaudii, odii & doloris, qui proficiscatur ex tali determinatione motus versus suum objectum, qui divino ordini legique repugnet, ac moralem turpitudinem involvat.* IRRISIO proinde in se spectata est affectus malevolorum & superborum, involvens odium ac contemptum illius, cui mala accidunt. Quod omnino in vitio ponendum esse tanto magis constat, quanto id est alienius a lege charitatis Christianæ. Si igitur IRRISIO in se spectata semper aliquid mali habet,

habet, nec ullo modo in homine esse debet, quanto longius removenda est a DEO, summo ac perfectissimo bono?

§. IV. Sed cum DEo nec formaliter, nec virtualiter, nec *ἀναλόγως* tribui possit *sarcastica irrisio*, restat, ut disquiramus & definiamus, quo sensu DEus impios in scripturis dicatur *deridere, eosque subsannare?* Non incommode illa derisio DEo adscripta a nonnullis exponitur de actu & effectu justitiæ Dei vindicatricis, quando commiserationem cohibet & denegat Jerem. XV, 6. & pœnas juste immissas nec aufert, nec mitigat, sed impios, pœnarum gravitate oppressos, deserit, omnium ludibrio objicit, & deridendos ac subsannandos exponit, ut manifestet eorum insaniam, eosdemque publice reprehendat. Hic actus punitivus & exprobratorius, qui effectus est justitiæ divinæ, Deo recte tribuitur, & in hunc sensum exponi debent illa Scripturæ loca, quæ Deo irrisionem adscribunt. Conferatur D. HENRICI KLAUSINGII clarissimi in Academia Lipsiensi Theologi *Pathologia DEi Differt. I. p. m. 19.*

§. V. Præ ceteris autem peccatoribus deridendi in Scripturis propinantur (1) SUPERBI hoc in Psalmo, quia Gigantum more cœlo bellum inferre, & Messiam Sionis Regem de throno conantur deturbare. Ita ridetur Babylonis Rex, quem superbia pessumdedit Es. Cap. XIV, 4. (2) Dein IDOLOLATRÆ ridentur ac SUPERSTITIOSI Jud. X, 14. Jer. II, 28. Elias deridet Baalitas. 1 Reg. XIIX, 27. Tandem (3) CONTEMPTORES VERBI DIVINI Prov. I, 26. terribiliter deridentur. Ut inde intelligamus, quantopere DEo displiceant præ omnibus aliis peccatoribus *superbi idolorum cultores, & verbi divini contemptores.* Videantur JO. ESPAGNEI *Annotationes ad Decalogum p. 62.*

§. VI. Gen III, 22. DEus Adamum alloquitur non proterva ac sarcastica illusione seu *ἐπιχαιρεκακίᾳ*, sed suæ commiserationis significatione: *Ecce Adamus est factus sicut unus ex nobis*, sive, uti SEB. SCHMIDIUS aliique bene interpretantur היה FUIT vel ERAT, quemadmodum 1 Sam. XXV, 16. Cohel I, 9. Joh. I, 3 & 30. Adamus enim ante lapsum revera *ERAT ad instar DEi*, ad ejus imaginem conditus, sciens bonum & malum. Unde apparet, in his verbis non inesse sarcasmum, seu ironiam, qua calamitate oppressi irridentur & ex eorum malis oblectamentum capiunt inimici, quippe quod corruptæ naturæ effectus est a DEi

sanctitate, benignitate & φιλανθρωπίᾳ alienus. Deus igitur Adamum non irrisit sarcastice, sed indignabundus pro sua justitia ei exprobravit inobedientiam, stoliditatem & superbiam, ac diabolici mendacii fœditatem est detestatus. Confer. SEB. SCHMIDII *Annotationes ad hunc Geneseos locum p. m. 51.* & Cl. HEINII *Novam variorum Scriptorum Collectionem Fascic. I. p. 6.*

XXX.

QUID INTELLIGI DEBEAT per פני אלוהים Psalm. XLII, 3.

§. I.

DAvid patria pulsus, & per deserta oberrans DEO supplicat, & mœsto animo, ardentique desiderio incensus exclamat: מתי אבוא ואראה פני אלוהים, *quando veniam & conspiciar a facie DEi?*

§. II. Per פני אלוהים, sive *faciem DEi* commode intelligi potest ὁ λόγος, seu æternus DEi Patris filius, in temporis plenitudine carne humana induendus, ut homines in peccata prolapsos redimeret, expiaret, & cum DEo reconciliaret. Ad interpretationem hanc tuendam & confirmandam necesse est, ut probemus, filium DEi in Vet. Test. פני אלוהים aliquoties appellatum esse.

§. III. Quod ut rite efficiatur, provocamus ad Exod XXXIII. 14. 15. ubi post verba פָּנֶיךָ הֹלְכִים & פָּנַי יֵלֵכוּ legitur בְּלֶכְתְּךָ, quod idem valet. Exinde probari potest, פָּנִים h. l. non esse rem creatam, aut aliquid a DEo diversum, sed esse aliquid in ipso DEo, quod tamen ab ejus essentia non differat. Deinde *loqui* פָּנִים אֶל־פָּנִים v. 11. significat, DEum ad Mosen immediate locutum esse, non per angelum creatum, nec per hominem internuncium. Præterea v. 2. & cap. XXXII. v. 34. interventus angeli creati, vice פנים & loco *faciei DEi* adhibitus, pœna est conflati vituli, quam Moses deprecatur. Cum DEus autem antea jam cum populo suo per Angelum quendam egerit, populumque per illum duxerit, sicut patet Exod. III, 2. XIV. 19. XXIII, 20. sequitur necessa-

cessario, illum Angelum populi ductorem, qui hoc in loco בני אלהים dicitur, increatum fuisse. Ex his omnibus colligi debet, פנים notare aliquid in DEo, quod ita ad homines vertit, ut ad eos ipse conversus sit, & propenderit, per illud cum iis egerit, & locutus fuerit. Ipse tamen Angeli titulus ostendit, *faciem illam* ab ipso DEo suppositaliter & personaliter distingui, qui Angelus est persona, & *Angelus ejus* non est ipsa persona, cujus est, sed altera ad illam attinens. Cum denique hæ proprietates sint secundæ personæ Divinæ, sane *facies DEi* citato loco memorata, non potest non esse ipse DEi Filius, Patri ὁμοούσιος, idem cum Patre, & tamen mediator inter DEum & homines interveniens, ac Angeli & pacificatoris partes sustinens. Vid. GUSSETIUS *in Comment. Linguæ Ebr. rad.* פנה *f. 685.*

§. IV. Hanc ratiocinationem divina auctoritate confirmat Esaias, & extra omnem dubitationem ponit, quando filium DEI *Angelum faciei DEi* appellat Es. LXIII, 9. titulo מַלְאַךְ פָּנָיו conflato ex illis Scripturæ locis, ubi פנים *facies DEi*, & ubi *Angelus* dicitur. Nam si hoc Esaiæ oraculum cum omnibus locis ex Mose citatis contuleris, apparebit, eundem apud utrumque indicari, quia eadem utrobique est historia, atque eadem persona, quæ eodem in negotio easdem partes sustinet, easdemque res facit. Tum voces etiam ישע & גאל in citato Esaiæ loco occurrentes satis evincunt, de Messia sermonem esse.

§. V. Ipse tandem ὁ λόγος adhuc ἄσαρκος פנים sese appellare videtur Malach. III. v. 1. quando ait: *missurus sum præcursorem qui viam præparet* לְפָנָי *coram me*, hoc est MIHI. Legendus est SALOMON van TILL *in Malachia illustrato p. 81. & 281.* ubi probat, per *faciem DEi* in S. literis ut plurimum Filium DEI intelligi.

§. VI. His rationibus commoti locum Psalmi XLII. 3. de Filio DEI genus humanum redemturo, interpretamur, & Chaldaico interpreti suffragamur, qui hanc in sententiam verba exposuit אֵימָתַי אֵעוֹל וְאֶחֱמֵי זִיו שְׁכִנְתָּא דַיְיָ *ecquando veniam, & videbo splendorem majestatis Domini?*

§. VII. Ille *Angelus faciei Divinæ*, Ductor Defensorque populi Israelitici in columna nubis & ignis olim habitabat, hisque externis signis præsentiam suam testabatur, & futuram sui ἐνσάρκωσιν, ac habitationem in humana natura haut obscure præfigurabat. Ebræi admirabilem hanc τοῦ λόγου in nube & igne præsentiam

tiam שְׁכִינָה appellant. Vid. BUXTORFFIUS *in Lex. Talm. sub rad.* שכן. LUNDIUS L. I. *Sacerdotii Levit.* f. 66. A שכן ortum ducit Græca vox σκηνὴ cum suis derivatis σκηνόω, κατασκηνόω, proprie *habito in tentoriis*. Ad שכינה Vet. Test. respexit Joannes cap. I. v. 14. cum de λόγῳ ἐνσάρκῳ scribit ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. En veram SCHECHINNAM! Olim filius DEI in columna ignis atque nubis τυπικῶς: nunc in assumta humanitate ἀληθῶς, ὑποστατικῶς, σωματικῶς, & περιχωρεστικῶς atque ἀλύτως, quemadmodum veteris Ecclesiæ Doctores loqui solent, habitat.

§. IIX. Hæc שְׁכִינָה in Sanctissimo supra Cherubinos & propitiatorium, tanquam in throno suo sedebat. Christus, qui aureo arcæ fœderis operculo, כפורת, dicto, supra quod שְׁכִינָה habitabat, præfigurabatur, hanc ob causam a Paulo ἱλαστήριον nostrum Rom. III. 25. & a Joanne ἱλασμὸς 1 Joh. II, 2. appellatur. Sicut enim in magno expiationis festo victimarum sanguine a Sacerdote summo in Sanctissimum illato & versus propitiatorium sparso, totius populi peccata expiabantur: ita Servator sanctissimus sanguinis sui effusione cœlum ingressus omnia nostra crimina plenissime expiavit, Ebr. IX, 12. Nunc nos cum DEO reconciliati ingenti fiducia τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος appropinquare possumus, ut gratiam atque auxilium tempore opportuno consequamur, Ebr. IV, 16.

§. IX. Ita manifestum est, Filium DEI olim פני אלוהים *faciem DEi* interdum appellatum esse, & in nube supra arcam fœderis resedisse. Postea loquendi usus obtinuit, ut ille, qui ad locum conventus sacri solennem, vel ad tabernaculum, vel ad templum accederet, sive ut sacris operaretur, sive ut solenne aliquod festum ex mandato divino celebraret, coram facie DEI apparere diceretur Gen. IV, 14. Jon. I, 3. Exod. XXIII, 15. Devt. XVI, 16. Esaiæ I, 12. Non dissimiliter David Psalmo XLII, 3. quærens: *quando conspiciar* (coram) *facie DEi*? intelligit sacram tabernaculi ædem, ubi filius DEi supra Cherubinos in imo sacrario præsens erat. Locutionem ellipticam esse intelligi potest ex loco parallelo 1 Sam. I, 22. ubi Hanna non adscendebat ad festum, usque dum adduceret suum filium, וְנִרְאָה אֶת־פְּנֵי יְהוָֹה *ut conspiciatur, & compareat coram facie Jehovæ*. Ergo supplenda est particula אֵת vel

vel אֶל, quæ legitur Exod. XXIII, 17. *ter in anno quilibet* יֵרָאֶה אֶל־פְּנֵי הָאָדֹן יְהוָה *comparebit coram facie Domini Jehovæ.* Conf. B. GEIERUS *Comment. in Pfalm. XLII,3.*

§. X. Sicut vero fideles Vet. Teft. perinde ac nos fide in Chriftum falvabantur : ita per obfcuras legis umbras oculis fidei femper refpiciebant αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, Ebr. X, 1. & per *comparitionem coram facie DEi* intelligebant & fignificabant jucundiffimam præfentiæ ipfius Meffiæ fruitionem, quem in carnis tabernaculum proxime adventurum, magno cum gaudio & incredibili defiderio præftolabantur. Pfalm. XIV, 7. Ef. LXIV, 2.

§. XI. Ex his intelligitur abunde, Davidem vatem divino afflatu excitatum, & extra patriæ fines tunc temporis oberrantem non tantum reditum in patriam, ac cultus publici frequentationem in tabernaculo expetiiffe, fed Meffiæ cumprimis adventum toto pectore anhelaffe, quando ardenti fpe & defiderio incitatus exclamavit: *Ecquando adfpiciar coram facie DEi?* Prophetæ εὐαγγελίζοντες clamabant : הִנֵּה אֱלֹהֵיכֶם Ef. XL, 9. *ecce hic eft DEUS vefter!* hoc eft, Meffias proxime aderit. Sed empæctæ, & veritatis divinæ hoftes, cum moras necti viderent, ejusmodi vaticinia Evangelica falfe nequiterque ridebant, & quotidie audacius vociferabantur : אַיֵּה אֱלֹהֶיךָ, *ubi eft DEus tuus?* Meffias dudum promiffus, res in diem abit, cur tam diu contra datam fidem abeft, & adventum differt? Pfalm. XLII, 11. Conf. SALOMON van TILL, *in Expofit. Pfalm. hujus.*

XXXI.

ISSASCHARITÆ יודעי בינה לעתים

1 Chronic. XII, 32.

§. I.

INter viros celebres, qui ad Davidem fefe contulerunt, ejusque partes fecuti funt, commemorantur etiam Iffafcharitæ priori Chronicorum libro Cap. XII, 32. & pereximio ornantur elogio, quod fuerint יודעי בינה לעתים לדעת מה יעשה ישראל *eruditi cognitione temporum, ita ut fcirent, quid Ifraeli faciendum effet.*

§. II.

§. II. Dissentiunt interpretes in horum verborum explicatione. Chaldaica Paraphrasis, quæ Rev. BECKII cura prodiit in lucem, hunc locum exponit de scientia siderali, & temporum definiendorum peritia, traditque, Issascharitas fuisse ידעי סוכלתנו חכמין למקבע לעדניא *peritos scientiæ temporum*, seu Chronologiæ רישי שנין ורישי ירחין *& doctos in figendis initiis annorum atque mensium.* Hanc interpretationem multi interpretes ex Judæis & Christianis, tam prisci quam recentiores adoptarunt. Eandem novissime sequutus est JO. CLERICUS in Commentario ad h. l. f. 542: *Credibile est peritos fuisse motuum corporum cœlestium ita ut Neomenias, Mensesque adeo digerere, & tempora etiam solenniorum festorum Paschatis, Pentecostes & Scenopegiæ prius indicare possent: Unde intelligerent Israelitæ, quid sui esset in observatione illorum dierum officii.* Non placet hæc interpretatio CASP. SANCTIO, cum quod Issascharitæ, rustico operi dediti, nusquam ejusmodi rerum periti dicantur; tum etiam quod denunciare festa sacerdotum potius esset, quam rusticorum. Sed eruditissimus Vir JO. CLERICUS nihil vetare putat, quin Issascharitæ scientia pollerent, cujus alibi nulla mentio; nec magis fuisse rustico operi addictos, quam ceteros Israelitas. *Laudandi quidem fuissent Sacerdotes, si Astronomiam, quatenus complectitur leges motus astrorum, coluissent: ut Neomenias & Festa prædicerent, totiusque anni decursum ordinarent. Sed quis nos doceat, id ab iis factum, non vero ejus rei curam aliis relictam?*

§. III. CASP. SANCTIUS designare putat scientiam illam rusticorum, qua ex longa observatione intelligunt, quæ futura sit cœli tempestas, ex quibusdam veluti prognosticis signis, qualia VIRGILIUS in *Georgicis* tradidit. Sed recte respondet JO. CLERICUS, hujusmodi rerum non minus peritos esse potuisse reliquos Israelitas, qui non minus rustico operi mancipati erant, & greges alebant. Cui addi debet, vanam maxima ex parte esse illam rusticorum scientiam, quam jactant, nec posse futuram cœli tempestatem certo prædini. Indigna igitur erat illa scientia, quæ a Spiritu S. commendaretur, & ob quam laudarentur Issascharitæ, cum præsertim ad constituendum confirmandumque Davidis regnum nihil præsidii afferre potuerit.

§. IV. Alii interpretes non ad cognitionem motuum cœlestium, sed ad prudentiam secularem per בינה לעתים respici putarunt,

runt, qua quis discernit, quid in variis vitæ humanæ casibus, quid item in negotiis Reipublicæ pro circumstantiarum varietate, ac temporum vicissitudine, agere vel omittere præstet? JARCHIUS in Commentario ad h. l. de iis explicat שיודעים לתת עצה לפי הענין של מעשה *qui sciverint consilium dare pro natura & circumstantiis cujusque casus.* Ejusmodi enim hominibus opus habuisse Davidem ad consulendum, quomodo regnum suum confirmaret propter filios Saulis, uti idem JARCHIUS bene sapienterque monet. Neque nobis videtur consentaneum, Astrologiæ scientiam hoc in loco commemorari. Nam phrasis Hebraica ידע בינה *prudentiam* aut sapientiam *scire*, ad judicium practicum refertur, quo, rationibus rite subductis & examinatis, dijudicatur, & sententia fertur, quid hoc vel illo casu & tempore, hisce vel illis circumstantiis agendum sit nec ne? Hiobi XXXIIX, 4. Neh. X, 29. 2 Chron. II, 11. Prov. XVII, 27. ad quæ loca conferatur Lexicon JO. COCCEII sub voce ידע. Quod ille duntaxat facere potest, qui animum habet varia cognitione imbutum & multiplici rerum usu exercitatum. Laudari proinde putaverim secularem & civilem Issascharitarum prudentiam, qua sciverunt & suggerere potuerunt consilia Reipublicæ Israeliticæ salutaria, ac profutura לְעִתִּים *pro varia temporum conditione.* Quemadmodum Psalm XI, 10. לְעִתּוֹת sumitur & cum בצרה conjungitur, ad notandam temporum difficultatem, ubi instant tempora angustiæ. Vide Psalm. X, 1. Idem confirmatur loco Esth. I, 13, ubi septem sapientes, qui a consiliis erant Persarum Regi, dicuntur fuisse יודעי העתים *periti temporum*, hoc est, חכמים *sapientes*, יודעי דתורין juris patrii, & antiquarum regni consuetudinum periti, & qui indicare poterant, quid agendum esset cum regina Vasthi, quæ a Rege invitata ejus auctoritatem spreverat. JO. COCCEIUS in Lexico sub voce עת verba nostri loci יֹדְעֵי בִינָה לְעִתִּים vertit: *intelligentes prudenter distinguendi ad tempora.* Et f. 295. sub radice ידע reddit: *scientes distinguere opportunis temporibus.* Certe יוֹדְעִים & חֲכָמִים magnam affinitatem inter se habent, uti apparet ex Hiobi XXXIV, 2. Conferatur Vir Cl. CAMPEGIUS VITRINGA *de Synagoga Vetere L. I. Parte Secunda Cap 8. p. m. 375.*

XXXII.

DE DEALBANDIS PECCATIS COCCINEIS VATICINIUM, Esaiæ I, 18.

§. I.

Esaias ſub initium ſtatim vaticinii ſui cœlum terramque obteſtatus, aliisque argumentis graviſſimis, & ad perſvadendum valde accommodatis uſus erat, ut peccatores ad ſeriam pœnitentiam revocaret. Tandem ne redituri de gratia DEi dubitent, peccatorum remiſſionem, Divinamque clementiam cumulate pollicetur his verbis: *ſi peccata veſtra eſſent* כַּשָּׁנִים *ſicut coccina, nihilominus ſicut nix albeſcent: Si rubra eſſent* כַּתּוֹלָע *ut vermiculus, nihilominus ſicut lana alba erunt.*

§. II. Propheta peccatores reſipiſcentes alloquitur, eosque ad thronum DEi quaſi adducit, ut per benevolam DEi ſententiam de eorum pœnitentia decretam, audiant. *Venite*, inquit, וְנִוָּכְחָה, LXX. διελεγχθῶμεν, *& ſubeamus declarationem veri ſecundum probationes & convictiones de nobis, & recipiamus ſententiam DEi judicis de pœnitentibus decretam.* Nam ad judicia vocem hanc referri debere, multis exemplis demonſtravit JAC. GUSSETIUS *Comment. Lingv. Ebr. f. 320. rad.* יכח.

§. III. Illud inprimis notatu dignum eſt, quod peccata hoc in loco cum שָׁנִים *coccino* comparantur. Talmudiſtæ vocem hanc inſigni errore de *annis* interpretantur, & illis quidem שסרורות ובאות משׁשׁת ימי בראשׁית *qui ordinati & præterlapſi ſunt a ſex diebus creationis.* Abarbanel, quando hanc veterum Sapientum expoſitionem recenſuit, aliam ſubjicit verborum παράφρασιν hunc in ſenſum: שיהיו זקנים בחטאתם שגדלו עלידם והתגרלו בהם שנים רבות הנה בשובם אל ה׳ בקבלם התוכחת מיד כשלג ילבינו quamvis ſenes facti ſint in peccatis ſuis, ut hæc ipſos ſuperarent, in ipſisque perſeveraverint multos annos, ecce ſi modo ad DEum revertantur, & redargutiones ferant, ſtatim ſicut nix albeſcent.

§. IV.

§. IV. Vox שנים *coccina* notat, & a singulari שני formata est. Originem ejus ad radicem שנה *iteravit* referre mallem, quam ad שנן *acuere*, quod JO. BRAUNIO in doctissimo libro de *vestitu Sacerdotum Ebræorum L. I. cap. XV. §. XIII. p. 313.* placuit. Ex Braunii igitur opinione שני proprium est nomen coccini, ita dictum ab acuto & igneo splendore, quemadmodum & Græcis ὀξέον *acutum* dicatur. Conf. §. II *p. 289. l. c.* Rationes, quas ad confirmandam sententiam attulit, nos non impediunt, quo minus communiori receptæque sententiæ subscribamus, & שני per διπλοῦν explicemus. Tam apte enim שָׁנִי a שָׁנָה derivatur, quam נָקִי *purus* a נָקָה, עָנִי *pauper* ab עָנָה & צָלִי *assatum* a צָלָה deduci constat. Perantiquam esse hanc derivationem, LXX. Seniores Græci probant; qui שני διπλοῦν vertunt, quo sensu, incertum est. Dici ita potuit, quod vel duplici filo contortum, vel quod δίβαφον, ejusque color iteratus & repetitus fuerit. Quidquid ejus rei sit, nobis sufficit, quod interpretes tantum non omnes in eo consentiant, שני rubrum colorem fuisse.

§. V. Duo autem colores rubri apud veteres inprimis celebrantur ac laudantur. Alter *purpura* appellabatur, Ebræis ארגמן *argaman*, vel quod idem est ארגון *argavan*, & ad colorem nigricantis rosæ, aut sangvinis concreti quam proxime accedebat, & nigricanti adspectu suspectuque refulgebat. Alter *coccus* vocabatur, & rubedine florida, austeritate tamen & nigritia quadam fraudata lucebat. Prior cum nostro *ponceau*, posterior cum scharlatto, Gallis *escarlatte* proxime convenire videtur. Vid. SAM. BOCHARTUS *in Hierozoico P. II. L. V. cap.* XIV. *p. 736.* JO. BRAUNIUS *l. c. Libr.* I. *cap. XV.* Cl. SALMASIUS *in Plin. Exercit. p. 190. & seq. edit. nov.* ANT. BYNÆUS *de morte Jesu Christi Libr.* III. *cap.* IV. §. IX. *p. 140. 141.*

§. VI. Nos rerum argumentis confirmati שני de rubore florido, & aucto lumine splendente instar micantis rosæ accipimus, & per scarlaticum colorem (Scharlach-Farbe) interpretamur. B. Lutherus vertit Bluthroth, eam forte ob causam, quia שני sangvine vermiculi tingebatur, & quia color sangvineus obscuritate sua peccatorum fœditatem optime adumbrare credebatur.

§. VII. Ejusdem coloris, cum quo ESAIAS hominum peccata hoc loco comparat, pallium istud fuit, quo Judæi Servatorem ludibrii causa amiciebant. Id MATTHÆUS expresse

teſtatur cap. XXVII, 28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην, *circumpoſuerunt ei chlamydem coccineam.* Nec obſtat, quod Joannes cap. XIX. 2. ἱμάτιον πορφυροῦν, & Lucas, cap, XV, 17. πορφύραν appellant. Nam veteres id omne, quidquid inſigniter rubebat, ut Solem, auroram, vinum, roſam, genas, puellarum labra, purpureum appellare ſolebant. Vid. ANT. BYNÆUS *l. c. p.* 144. Pallium iſtud coccineum, quo amantiſſimus Servator obtectus fuit, pie nos admonet, eum omnium hominum peccata in ſeſe ſuſcepiſſe, ut nos innocentiæ, ſalutisque veſtibus indueremur, Eſ. LXI, 10.

§. IIX. DEUS præterea ſancte pollicetur, atrocia quævis pœnitentium peccata remiſſum iri. Nam כַּשֶּׁלֶג *ſicut nix* albeſcent. Sicut albedo olim ſummæ munditiei, innocentiæ, ac puritatis ſymbolum erat: ita ſub *nivis* nomine perfectiſſima albedo interdum indicabatur. Idcirco David, quando a peccatis vult expiari, DEo ſupplicat: *laves me, & nive candidior ero*, Pſalm. LI, 9. id eſt, purior & magis mundatus ero, quam nix ipſa, quippe quæ ex Ebræorum diſciplina certo caſu immundari poterat. Niger color apud veteres infeſtus erat. Albedo contra boni quid illis ſemper ſignificabat. Deorum filii, aut homines in Deorum numerum relati, *candidi*, ac dies feliciores *fata candida* dicebantur. Ipſi Dii candido induti amictu oſtentabantur. Noti ſunt *Candidati* apud Romanos, nec minus *cretati*, unde proverbium ortum. Summus Judæorum ſacerdos in magnis expiationum ſolenniis Sanctiſſimum ingreſſurus, populumque victimarum ſanguine a peccatis expiaturus, albis veſtibus (בגדי לבן) depoſitis (בגדי זהב) aureis veſtimentis, comparebat. Non diſſimiliter inferiorum ordinum ſacerdotes albis amicti veſtibus ſacris operabantur. Antea autem, quam ad ſacri muneris functionem admittebantur, ſiſtendi erant coram ſummo Judæorum ſenatu, ubi examinabantur, utrum legitime ex paterna familia, & ex honeſta matre nati eſſent. Deinde diſpiciebatur, an corpore æque ac animo integri eſſent. Ille Sacerdos, in quo deprehendebatur vitium, quod legi contrarium erat, & Candidatum ad ſacerdotium ineptum reddebat, induebatur veſtimentis nigris, quibus amictus exivit, omni ſpe deſtitutus perveniendi unquam ad muneris ſacerdotalis adminiſtrationem. Illi vero, in quibus nihil vitioſi reperiebatur, veſtiebantur albis veſtibus, atque ſic amicti læto animo munus ſacerdotale auſpi-

auspicabantur. Videatur Codex MIDDOTH cap. V. §. ult. Sic lineas atque albas vestes gentilium quoque sacerdotes gestarunt. Conf. JO. BRAUNIUS *de vestitu Sacerdotum L. I. cap. XI.* §. III. *p. 235. 236.* & in *Selectis Sacr. Libr.* III. *cap.* I. *p. 310.* Exinde forte est, quod in veteri Ecclesia Christiana recens baptizati vestibus albis itidem induebantur, & in illis septem dies incedebant, quod λαμπροφορεῖν, seu λαμπροφορίαν dicebant, & symbolum lucis in baptismo acceptæ erat. Propterea ablutionem in sacro fonte φώτισμα appellarunt, & recens baptizatos νεοφωτίστους, & φωτιζομένους. Pseudo-Dionysius Areopagita vestes eorum appellat φωτοειδεῖς, atque λαμπρύνεσθαι illi est *in albis esse.* Ita Eusebius refert de Constantino M. recens baptizato, eum λαμπροῖς καὶ βασιλικοῖς ἀμφιάσμασι, φωτὸς ἐκλάμπουσι τρόπον obtectum fuisse, *Libr.* IV. *de Vita Const. M. cap. 62. f. 558.* Vestes istas octavo demum a baptismo die deponebant. Vid. HENR. VALESIUS *in notis ad Euseb. l. c. f. 253.* D. HEINSIUS *in Exercit. Sacr. f. 195. & 196. Is.* CASAUBONUS *Exercit.* XVI. *contra* BARON. *Num.* LXXIII. *p. 434.*

§. IX. Esaias ut Judæos de DEi gratia peccatoribus resipiscentibus obvia plenissime persuaderet, eandem rem, mutatis saltim verbis repetit, uberiusque & ἐμφατικωτέρως inculcat: *Si rubra essent, uti vermiculus, nihilominus sicut lana erunt.* Rhetores hanc loquendi rationem ἐξεργασίαν appellant. Mittimus eorum sententiam, qui יְאַדִּימוּ de formæ elegantia explicant. Rubrum colorem satis indicat Esaias, quando ait: *Si peccata vestra* כתולע *uti vermiculus rubra essent,* כַּצֶּמֶר יִהְיוּ *sicut lana erunt.* תּוֹלַע vermiculum significat, quo lana tingitur, ut rubra fiat. De hoc colore & vermiculo erudite copioseque disserit JO. BRAUNIUS *de Vestitu Sacerdot. Ebr. L. 1. cap.* XV. §. III. *p. 291.* Seniores LXX. תולע κόκκινον vertunt, Jonathan כִּזְהוֹרִיתָא, quod cum *coccino* convenit, unde צבע זהורו *color coccineus*, Exod. XXV, 4. ortum duxit. Idcirco תולעת *vermiculus* cum שני frequenter conjungi solet, Exod. XXV, 4 Levit. XIV, 6. 51 manifesto indicio תולע & שני unum eundemque colorem rubrum significare, nulla vero ratione de serico exponi posse, sicut R. ABARBENEL opinatus est.

§ X. Per צֶּמֶר Propheta *lanam albam* intelligit, quod ex iis, quæ antecedunt, haut difficulter cognosci potest. Apud sacros perinde ac apud profanos Scriptores *nix* & *lana* conjuncta legun-

leguntur,ob ſimilitudinem albedinis, quam inter ſe habent. Quo pertinet, quod nivem Martialis appellat *denſum vellus aquarum* L. IV. Epigr. 3.

Adſpice quam denſum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæſaris, atque ſinus.

Sic in ſpuria illa ALEXANDRI ad ARISTOTELEM epiſtola, *cadere mox in morem vellerum cœperunt nives.* De DEo David canit Pſalm. CXLVII, 16. הנותן שלג כצמר *dat nivem ſicut lanam.* Quidam ad uſum referunt, quia terra per hyemem nive obtegitur tanquam veſte lanea, ne frigus ſata corrumpat. Alii ad externam nivis ſpeciem, quæ lanam utcunque refert, reſpici opinantur. Præſtat tamen CHALDÆO & KIMCHIO in h. l. ſuffragari, qui ratione albedinis nivem cum lana conferri docent. Conf. SAM. BOCHARTUS *in Hieroz. P.* II. *cap.* XLV. *p.* 457.

§. XI. Tandem rationes reddendæ ſunt, cur cum *colore rubro & coccinis* peccatorum fœditatem comparare voluerit Propheta? FLACIUS *in Clave* ſub voce *rubeo p. m.* 1052. dubius hæret, cur *rubedo* peccatorum contaminationem ſignificet. Nonnulli arbitrantur, Spiritum Sanctum ad meretricium veſtitum reſpexiſſe, qui communiter rubicundus eſſe ſolebat. Quo refertur locus Apoc. XVII, 4. ubi meretrix Babylonica non alio habitu deſcribitur, quam περιβεβλημένη πορφύρα καὶ κοκκίνω, *purpura & coccino veſtita.* Permulti rem in medio relinquunt. Vid. CORN. A LAPIDE in h. l. D. MAYERUS in Geiſtl. Reden Orat. X. p. 616. Operæ ergo pretium eſt, ut paulo accuratius in ejus rei cauſas inquiramus.

§. XII. Nos non aliam ob cauſam *coccinum* peccati ſymbolum eſſe, & hoc in loco commemorari exiſtimamus, quam quia hi rubri & ſangvinei colores in expiandis Judæorum peccatis frequentiſſime adhibebantur. Adſperſiones ſangvinis pro peccato, fiebant *lana coccinea*, ut docet Paulus Ebr. IX, 19. Deinde in rogum vaccæ rufæ, quæ comburebatur, Sacerdos projiciebat *coccinum* שְׁנִי תוֹלַעַת Num. XIX, 6. ut ſignificaretur, populi peccata, ad inſtar coccini rubentia, ſimul cum vacca comburi. Cinis autem combuſtæ vaccæ cum aqua commixtus hyſſopo adſpergebatur, ut luſtrarentur, & emundarentur, qui immunditiem ex mortuo contraxerant. Non diſplicet erudita JO. BRAUNII conjectu-

ra,

ra, qui suspicatur, forte ob eandem causam vaccam, quæ comburebatur, ut ex ejus cinere fierent lustrationes, debuisse esse rufam, *de Vestitu Sacerd. Ebr. L. II. cap. XXVI. §. XXXII. p m.899.* Conferatur idem BRAUNIUS in *Sel. Sacr. L. II. p. 236.* In sanatione lepræ, quæ vera peccati imago est, *coccino* utebatur Sacerdos, Lev. XIV, v. 4. Filum *coccineum*, Ebræis חוט של סיקרא dictum, altari holocaustorum circumligatum erat, quod sanguines altari adspersos a se invicem distinguebat, ut docetur codice SEVACHIM, & MIDDOTH Cap. III. §. I. *f. m. 348. Edit. Surenhus.* Conf. L' EMPEREUR in *Notis f. 349.* Supra mediam aram adspergendus erat earum omnium avium sanguis, quæ pro holocaustis cædebantur, infra autem sanguis avium piacularium, sicut hoc ex MAIMONIDE *in Maase Korban cap. VI.* optime declarat GUIL. OUTRAMUS *de Sacrificiis Libr. I. cap. XVI. p. m. 164. & 165.* Pontificum vestes coccineo colore infectæ erant, ut indicaretur, Christum aliquando verum, maximumque Pontificem, peccatis nostris oneratum iri. Conf. JO. BRAUNIUS l. c.

§. XIII. Huc vulgo refertur *tænia illa coccinea*, in linguæ similitudinem efformata, quæ decimo die Tisri in ista solenni expiatione adhibita, & in fronte hirci piacularis in deserta emissi, alligata traditur ab Ebræorum magistris, codice Joma cap. VI. Confer quæ hoc loc. annotavit SHERINGHAMIUS *p. 140.* De tænia hac לָשׁוֹן שֶׁל זְהוֹרִית dicta, narrant, eam subito, amissa per miraculum rubedine, albicasse, simulac hircus a ductore de petra præcipitaretur, & hac ratione populum de impetrata peccatorum remissione confirmatum esse, secundum illud Es. I, 18. si *peccata vestra essent sicut coccinum*, hoc est, uti lingua, vel tænia illa coccinea, *nihilominus sicut nix albescent*, sicut illa tænia albescebat. Verum cum Scriptura nullibi aliquid de linguæ coccineæ alligatione præcipiat, de tanto etiam miraculo, quod in magno expiationis festo contigisse creditur, sileat plane, & hircus ille piacularis in desertum duntaxat emittendus, non vero de rupe præcipitandus a Mose dicatur Levit. XVI, 10. 21. 22. arbitramur, narrationem hanc non tantum sublestæ fidei esse, sed, cum Judæos duntaxat testes habeat, quos alias fabulis mirifice delectari constat, anilibus fabulis jure meritoque accenseri posse. Consentientes habemus viros eruditissimos, B. FRISCHMUTHIUM

Disp.

Disp priori de Hirco emissario cap. I. §. 5. SEB. SCHMIDIUM *in Dissert. de Hirco Apopompæo.* JO. VAN DER WÆYEN in *variis Sacris p m. 148.* LEYDEKKERUM *de Republ. Ebræor. L. XI. cap. IV p. 633.* JO. GEORGIUM ABICHT Linguæ Sanctæ Prof. P. Lipf. in Disputatione super hunc locum Ef. I, 18. *de peccatorum coccinorum albedine* §. *XXV. p. 35.* Lipsiæ habita M. DCC. V.

§. XIV. Ceterum, quemadmodum populi peccata per coccinum depingebantur: ita per colorem album, ab Esaia commemoratum, non obscure respicitur ad Christi justitiam & sanctitatem *sub albedine* depictam, & a sacerdotibus, qui albas vestes gestabant, repræsentatam. Ideo fiebat, ut ille sacerdos, qui secundum legem pollutus erat, e vestigio *vestes albas* deponere, & tanquam *indignus nigris vestibus* amictus, ex templo exire juberetur. Huc respexisse videtur Joannes Apoc. II. 4. 5. *qui non polluunt vestimenta sua in albis vestibus ambulant quia sunt digni.* Adeundus est JO. BRAUNIUS l. c. p. 901.

XXXIII.

Esaiæ VIII, 1. DE LIBRO MAGNO ET STILO HOMINIS.

§. I.

PRædixerat Esaias, Judæos a Syriæ & Israelis regibus oppressos, periculo ac calamitate brevi exemtum iri, hos vero Judæorum hostes, Syros & Israelitas, maximis cladibus ab Assyriis vicissim affectum iri, ut Judæa tandem pristinæ tranquillitati restituatur. Quæ res ut populo innotesceret, omniumque animi confirmarentur, ab ipso DEo in tabula describi, omniumque conspectui exponi jubetur his verbis, Ef. VIII, 1. *Et dixit Jehova mihi, sume tibi volumen magnum, & scribe in eo stilo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare.*

§. II. Hæc verba P. D. HUETIO, *in Dem. Ev. Prop. VII.* §. XV. p. 595. notatu & accurata evolutione non indigna visa sunt. Cum autem opinaretur, illa ab omnibus interpretibus, quos viderat, in alienum sensum flecti, hoc modo non incommode explicari posse contendit: *DEum non* εὐθυῤῥήμονα (*verbis propriis & apertis utentem,*) *sed* σεμνοπρεπῶς (*decore*) *& verecunde loquentem inducit*

inducit Propheta. (ἐπὶ τῶν κακεμφάτων καλοῖς ὀνόμασι. χρώμενον,) *in rebus, quæ honeste dici non possunt, verbis ac honestis utentem & translatis verbis ac honestis negotium sibi dantem, uti uxorem ducat, liberisque cum ea operam det. Maxima enim fuit Ebraicæ linguæ verecundia, adeo ut genitalium partium & rerum propria vocabula nulla habeat, quemadmodum a Maimonide observatum est. Etsi quando usu venit, ut designandæ sint, generales quasdam & improprias ascifcunt dictiones, quarum aliquas attulit Elias Levita in Thisbi. Uxorem itaque librum grandem appellat: stilum hominis nominat eam partem, quæ honeste nominari non potest: jubet in eo scribere, velociter spolia detrahe, cito prædare, hoc est, filium cum ea gignere, cui id nominis futurum erat. Paret itaque Isaias DEi mandato, Adhibui mihi, inquit, testes fideles, Uriam Sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ,& accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium.*

§ III. Vere novam ac inauditam hactenus hujus oraculi expositionem Huetius dedit, quæ ita comparata est, ut a nemine,qui ab impuris cogitationibus paulo alienior est, recipi queat, cum lubrica, obscœna, & Huetiano ingenio plane indigna, multumque de ejus laude detractura videatur. *Si cui Protestantium talis interpretatio excidisset, quos non tumultus facerent Ecclesiæ Romanæ parasiti?* ita exclamat H. WITSIUS *Tom.* I. *Miscell. S. Libr.* I. *cap.* XIII. *p. 99.* Sed ab illustri cœtus Pontificii Antistite impune proponitur ejusmodi Scripturæ in obscœnissimum sensum detorsio, quam in BEVERLANDO jure meritoque nemo non detestaretur. Laudanda omnino est Ebrææ Linguæ verecundia, quam variis egregiisque exemplis Huetius illustravit, sed ad ejusmodi absurdas, inverecundas, impurissimasque explicationes, qualis hæc est, neminem invitat. Præterea in eo quoque vir summus reprehendendus est, quod verecundiam Salomonis, divinitus afflati, qui stupra & adulteria exprimit per *aquas furtivas, clandestinum panem, cibum, os, esum*, Prov. IX, 17 XXX. 20. contendit atque illustrat cum verecundia Apollinis Delphici apud *Euripidem in Med. v. 674. & seq. cum Schol.* cum responsum daret Ægeo, oracula sua de liberis quærendis sciscitanti; quippe eum vetat solvere petiolum, sive canaliculum ex utre exstantem, antequam in Atticam redierit. Hoc Huetio est, liberis operam dare, ita ut dictionibus translatis partes obscœnæ, & res venerea notetur. Quid aliud est Apollo Delphicus, nisi vel ipse Diabolus,

Spiritus impurissimus, vel homines, malitiosissimi impostores, si ANT. VAN DALE credis? Quid sunt oraculi responsa aliud, quam inverecundæ turpissimæque impuræ mentis enunciationes, deceptiones, dictaque æquivoca, miris fraudibus involuta, & in quamvis partem flexuosa? Num dicemus Spiritum sanctum non majorem in dictis verecundiam observasse, quam Apollinem Delphicum, qui homines responsis deludebat, quibus nihil incertius, nihil obscurius, nihil æque obscœnum sæpe poterat fingi?

§. IV. Nos quid *volumen magnum*, גִּלָּיוֹן גָּדוֹל & quid sit חֶרֶט אֱנוֹשׁ *stilus hominis*, missis interpretationibus cavillatoriis, breviter strictimque pervestigamus. JAC. GUSSETIUS חֶרֶט non de *vase* exponit propter locum Exod. XXXII, 4. quem aliter explicari non posse putat, quam de *cavo modulo* ad opus aurei vituli perficiendum. Nam si חרט fuisset instrumentum acutum, aureum, præsertim in tot particulas divisum, non accepisset formam ab eo, sed tantum post eam acceptam purgaretur scabritie nonnulla. Hinc ad præsentem Esaiæ locum regressus, existimat, stilum ad membranam exarandam ineptum esse, & eam non nisi lædere, magisque papyrum. Propterea חרט *de cista* interpretatur, in qua volumen illud magnum recondi debuerit, ut servaretur incorruptum, aut etiam occultum. Cum autem גליון de veste pellucida explicet, & inter ornamenta mulierum luxu diffluentium referat, inde tandem hic verborum exsurgit sensus, ut nempe hanc vestem ad luxum compositam, pretiosam, mollem, Esaias incluserit in cista, & עָלָיו super ea veste hanc inscriptionem cistæ imposuerit למהר וגו׳, quasi diceret, prædam esse destinatam festinanti, vel direxisset hunc fasciculum ad nasciturum Mahersalalbazum. *Comment. Ling. Ebr. f. 286. sub rad.* חרט.

§. V. Ipse GUSSETIUS non inficiatur, totam loci faciem sic immutari, quod necesse haud erat. Nil impedit, quo minus חרט Exod. XXXII, 4. de stilo acuto sculptorio interpretemur, quo Aaron vitulum ex auro liquefacto fusum arte aurifabri expolivit, omniaque signa, figuras, & notas, quas Ægyptiorum Apis in corpore gerere solebat, ei insculpsit, ut Israelitæ verum Apidem Ægyptiacum adorarent, quemadmodum SELDENUS *de DIs Syris Synt. I. cap. IV. p. 138.* H. WITSIUS *in Ægypt. L. II. cap. 11. p. 65.* & JO. BRAUNIUS *in Sel. Sacris Libr.* IV,

IV. cap. VIII. p. 453. dudum obfervarunt. Deinde חרט non tantum *ftilum*, fed etiam *calamum* notat, quo in membranis & papyro fcribitur. Dici etiam poteft, in tabula vel marmorea, vel lapidea, vel plumbea בחרט fculpi debuiffe divinum fermonem, quia גליון a verbo, quod non tantum *convolutionem*, fed & *apertionem* notat, originem ducit. Nam Prophetas olim ejusmodi tabulis conciones fuas infculpfiffe, & populo publice legendas propofuiffe, præfertim domi fuæ, id colligere licet ex DEi edictis ad Efaiam cap. XXX. v. 8. & ad Habacucum cap. II. v. 2. & convenit cum Romanorum Pontificum more, de quibus CICERO L. II. de *Oratore* idem teftatur. Sic Oraculorum refponfa in tabellis olim defcripta publice exponebantur, imprimis fi fucceffus aut fortita effent interrogata, aut illi faltem fperarentur. Confer. ANT. VAN DALE *de Oraculorum Ethnicorum Origine atque Auctoritate* cap. VI. p. m. 138. Tabulam hanc, vel fi magis placet, chartam & volumen *magnum* effe volebat DEus, five ob multitudinem eorum, quæ infcribenda erant, five ut eo magis oftentui effet, fi forte alicubi de pariete fufpenderetur ad legendum, five denique ob grandiores literas, quibus prophetia valde prolixa exaranda erat, ut e longinquo & a rudiffimo quovis legi poffent. Et hanc fcripturæ evidentiam DEus notat, quando eam *ftilo hominis* vult confcribi, hoc eft, non obfcure & ænigmatice, fed perfpicue, clare, characteribus manifeftis, & tam apte ad legendum, quam id fieri per hominem poteft, nec non dictione & ftylo inter homines ufitato, quem promifcua hominum multitudo intelligeret, quemadmodum interpretantur CHALDÆUS, MARTINUS CHEMNITIUS *in Loc. Theol.* p. 9. SAL. GLASSIUS *in Philol. S. L.* I. *Tr.* III. *Sect.* 2. DANHAUERUS in *Idea Boni Interpret.* §. 75, aliique. Efaias mandato divino obtemperavit. Quamvis enim divinus ifte maximusque vates, Principum confanguinitate clarus, educatusque in urbe & aula, fublimi dicendi genere plerumque uteretur, hoc tamen in loco בחרט אנוש *ftylo idiotico & vulgari*, nec difficulter intelligendo, vaticinium defcripfit, effecitque, ut non folum iftius ætatis Judæi, fed eorum etiam pofteri & nos omnes hodienum prophetiam ab eo configuatam legamus & intelligamus. Ita facri etiam Novi Fœderis Scriptores non alio ufi funt fermone, quam qui ifta ætate inter homines communis & frequens erat, atque Macedonicus dicebatur, quia cum imperio Macedonum invalue-

valuerat, & longe lateque diffusus erat non solum per Græciam, sed etiam per Orientem, Syriam atque Ægyptum, vel sola Alexandria teste, Græcarum disciplinarum magistra. Illo enim tempore Atticum dicendi genus, quod suave politumque erat, maximam partem in desuetudinem abierat, aut perexiguis terminis circumscribebatur. Non dissimiliter hoc in loco intelligibili sermone ac vulgari dictione usus est ESAIAS, qui mandato divino obtemperavit, effecitque, ut non solum sui temporis Judæi, sed omnis etiam eorum posteritas, & nos omnes hodienum istam consignatam prophetiam legamus. Conf. POLI *Synopsin in h. l.* HERM. WITSIUS *Tom. I. Miscell. Libr. I. cap. XIII.* §. III. *p. 99.* TENTZELIUS *in Colloqu. menstruis 1692. p. 135.*

XXXIV.
DE VERBIS ESAIÆ
Cap. IX. v. 5.
וַתְּהִי הַמִּשְׂרָה עַל־שִׁכְמוֹ

§. I.

HUGO GROTIUS verba hæc ita interpretatur: & factus est Principatus ejus super humerum ejus, id est, erit πορφυρογέννητος, ab ipsis cunis purpuram feret regiam, & secundum sensum literalem cum multis Judæis de Rege Ezechia accipit. Grotium reprehendit B. CALOVIUS *in Bibl. illustr. h. l.* quia hoc nihil peculiare est de Hiskia, cum omnes Reges Judæ inde a Davide πορφυρογέννητοι fuerint, quemadmodum Hiskias. Si vero phrasi hac id designetur, non quod tantum *in regnum natus sit* hic puer, sed quod *ab ipsa nativitate principatum gesserit*, nulli certe nisi Messiæ hoc convenire docet, qui Rex Judæorum natus purpuram ab ipsis cunis gessit, & ut *Dominus* ab Angelis in cunis celebratus, atque ut *Rex Judæorum* a Magis Orientis adoratus est.

§. II. Ceterum de causa & ratione soliciti sunt interpretes, & disquirunt, cur Messias dicatur *gestare principatum super humeros suos?* B. Luthero simplicissime exponi posse videtur, quod nos, qui sumus principatus ejus, gestamur in humero ejus, contra quam in mundi regnis fieri soleat. Nonnulli respici putant ad crucem

crucem Christi, quam humeris bajulavit, & quæ principatus ipsius insigne Menochio fuisse dicitur. Alii Christi fortitudinem, quæ per humerum notetur, intelligunt, vel baculum humeri, quo tyranni populum premebant, designari cum Calvino suspicantur, vel denique ad illum morem alludi conjectant, quo magistratus, aut pro iis satellites humeris virgas gestabant, vel fasces imperii signa. Etsi hæ rationes partim piæ, partim etiam sic satis eruditæ sunt, tamen iis, qui majori industria, judicioque Scripturæ recessus interiores pervestigare solent, non satisfaciunt.

§. III. Veri nobis valde fit simile, alludi in his verbis voce humeri ad clavem humeris quorundam officiariorum in aula imponi solitam, & sigillatim ad exemplum Eliacimi, qui figura & elegantissimus Christi typus fuit. Quemadmodum enim Eliacimo Helciæ filio Dominus pollicitus est, futurum esse, *ut det clavem domus David super humeris ejus*, *Esaiæ. XXII, 22.* ita Christo antitypo tradita fuit a Patre omnis potestas, Matth. 28. v. 18. Nam quæ de Eliacimo dixit Esaias l. c. ea πρὸς λέξιν Servator sibi accommodat Apoc. III. 7. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.*

§. IV. Etsi hic clavium humeris gestandarum mos nobis hodie plane ignotus est, earum tamen usus pervulgatus olim fuit, inter eos præcipue, quorum munus erat, κειμήλια, fruges, pecuniam & pretiosam supellectilem asservare. Hæ veterum claves bene longæ erant, graves curvatæque, non absimili forma curvarum falcium, ligneis præterea, vel eburneis manubriis instructæ. Inde est, quod hæ claves a Græcis κατωμαδίαι, hoc est, *humeris gestari solitæ* dictæ sunt. Inde δέρμα κατωμάδιον apud CALLIMACHUM dicitur *pellis ab humeris pendens*, & *catomidiare*, hoc est, *scapulas verberare*, qua usus SPARTIANUS in HADRIANO. Talem κατωμαδίαν κλᾶιδα *clavem ab humeris pendulam* gestare dicitur Cereris sacerdos apud CALLIMACHUM *Hymno in Cererem versu 45*, tanquam sui sacerdotii insigne. Ceres enim condendis & custodiendis frugibus præerat. Ita hæc verba exponuntur in Græcis Scholiis: εἶχε κλᾶιδα, h. e. τὴν κλεῖν, ὡς ἱέρεια, *clavem habuit, tanquam sacerdos.* Monet illustris Vir EZECH. SPANHEMIUS in Notis ad laudatum CALLIMACHI locum *p. m. 694* clavium gestandarum morem olim insigne ac proprium fuisse Sacerdotum, ut eædem essent ac dicerentur ΚΛΗΔΟΥΧΟΙ seu CLAVIGERÆ, tanquam sacrarum ædium

phetias ac typos ad Chriſtum manifeſto, & ſummo interpretum omnium, qua Ebræorum, qua Chriſtianorum conſenſu pertinentes, alio avertere & ad illorum temporum hiſtoriam accommodare ſolet, ad Hiskiam rapuit, vindicandum, breviterque oſtendendum eſt, literalem oraculi ſenſum non de Hiskia agere, ſed de Meſſia humani generis Servatore.

§. II. Nam Paulus gentium Doctor, divino afflatu excitatus, decimum hujus capitis comma in Epiſtola ad Romanos, cap. XV. v. 12. adducit, & de Chriſto, non de Hiskia, cujus memoria tot ſeculorum decurſu dudum obliterata erat, interpretatur. Ipſe deinde Servator fidem interpretationi fecit. Nam ſi quæras, quisnam ſit ille, cui κατ' ἐξοχὴν nomen illud שרש ישי *radix Jeſſe* conveniat, reſpondet ille: ἐγώ εἰμι ἡ ῥίζα, καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ Apoc. XXII. v. 16. Conf. cap. V. v. 5. Quis autem non mallet Chriſto credere, qui habet ῥήματα ζωῆς αἰωνίου, quam Grotio ejusque ſectatoribus, qui *radicem Jeſſeam* contra vatis mentem de Hiskia exponunt, Chriſti vero myſterium, quod hic latet, fere prætermittunt, eundemque non niſi ſenſu ſublimiore laudari, obiter tantum & ſtrictim fatentur?

§. III. Noſtram ſententiam aliud argumentum, ex temporum ratione petitum, confirmat. Hiskias XXV. erat annorum, cum imperio admoveretur. At XVI. annis regno præfuit Achaſus Pater. Igitur Hiskias annum jam nonum attigerat, cum Parens regni Judaici faſces ſuſciperet. Et regnante Achaſo vaticinium hoc ab Eſaia eſt editum. Ponamus, Achaſum ſecundo vel tertio imperii anno ab Iſraelitis Syriæque Regibus oppugnatum eſſe. Ergo duodecimum circiter annum filius Hiskias agebat, cum Eſaias orationes capitibus VII. IIX. IX. item & X. quæ cohærent, atque XI. expreſſas haberet. Omnia quippe vaticinia Eſaiæ a capite VII. usque ad XIV. propoſita ad Achaſi ætatem referri debent, quod ipſe vates divinior luculento teſtimonio ſuo confirmat cap. XIV. v. 28. Ex his omnibus conficitur, *virgam ex trunco Iſai adhuc prodituram* v. 1. intelligi non poſſe de Hiskia, quippe qui jam tum aderat, nec ab Eſaia, cum ita vaticinaretur, promitti poterat.

§. IV. Geminum proinde GROTIUS admiſit errorem, & quod vaticinium in Hiskiam detorſit, quod cadere in eum non poterat, & quod Chriſto invidiſſe viſus eſt, quæ ipſi apertiſſime conveniebant, quod P. D. HUETII judicium eſt *Dem. Ev. Prop.* VII. §. XV. *p.* 602.

§. V.

§. V. Suffragatores interpretationis nostræ habemus permultos Judæos, acerrimos Christiani nominis hostes. Hi enim vi veritatis coacti fatentur, in hoc capite de Messia agi. Ita Targum in Ef. cap. XI. v. 1. habet: מלכא ומשיחא *Rex & Messias*. Eandem in sententiam exponitur in libro Sohar, Talmude utroque, Hierosolymitano & Babylonico. Non dissimiliter de מלך המשיח Rege Messia vaticinium hoc intelligunt SAL. JARCHI, ABEN-ESRA, MAIMONIDES, NACHMANIDES, KIMCHI, BECHAI, R. LEVI BEN GERSON, aliique plures, quorum verba summa fide excerpsit SEB. EDZARDUS, & exhibuit in Tractatu, quo undecimum caput Esaiæ Christo vindicavit, adversus GROTIUM & HERM. VON DER HARDT, Ling. Orient. in Academia Julia Prof. P. qui Grotianis vestigiis insistens integra Dissertatione *de Hiskia in Sigismundo Imp. resurgente*, totum hoc caput XI. Esaiæ alio avertit & singulas prædictionis partes Sigismundo aptare fategit. Eum vero laudatus SEB. EDZARDUS solide confutavit. Conf contra Grotium P. D. HUETIUS l. c. & B. CALOVIUS *in Bibl. Illustr. h. l.*

§. VI. Versu VI. VII. & VIII. hujus capitis hæc leguntur verba: *Commorabitur lupus cum agno, & pardus cum agnello cubabit, vitulus & leo junior, pecusque saginata simul agent, & puer minorennis ducet illa. Vacca & ursa simul pascent, & catuli earum una decumbent, leo instar bovis comedet stramen. Delectabit se quoque infantulus in antro basilisci, & in cavernam Draconis ablactatus puerulus manum suam extendet.* Judæi recentioris ævi pacem hoc loco & alibi Messiæ temporibus promissam a Prophetis, maxime urgent, existimantque, hæc vaticinia, & illud cumprimis, Esa. IX, 6. ubi Messias שר שלום, sive ut Chaldæus interpretatur, משיחא רשלמא, *Messias pacis* appellatur, nondum esse impleta, cum in præsens usque tempus gravissima bella inter Christianos non desinant, ipseque Jesus Nazarenus dixerit, *se bellum*, non *pacem* afferre, Matth. X, 34.

§. VII. Permultum ergo refert accurate nosse, quo sensu pacificatio illa, a Prophetis prænunciata, & a Messia allata, accipienda sit, ut Judæis, qui sacra nostra impugnant, vehementissimeque detestantur, os obturemus. Illa proinde Vet. Test. vaticinia, quæ de summa tanquillitate per Servatorem reparanda agunt, partim κατὰ σχῆμα sive *figurate*, partim κατὰ λέξιν, sive *proprie*, prout inter-

interpretandi leges id requirunt, intelligi debent. Sic montium depressio, & vallium complanatio, gladii in vomeres conflatio non nisi stolida imaginatione κατὰ λέξιν explicarentur. Consentit in sensum figuratum MAIMONIDES apud CONSTANTINUM L'EMPEREUR in Præfatione ad Codicem MIDDOTH f. m. 317. Edit. Surenhusianæ, nec non alii Judæorum magistri apud JAC ALTINGIUM *in Schilo* T. V. Operum f. 90. Simili plane ratione, quæ hoc in loco de habitatione lupi cum agno prædixit Esaias, illa *figurate* elocutus est. Describuntur enim mirandi effectus regiminis Christi in animis suorum civium, quippe qui efficacia verbi in novos plane homines efformandi erant. Nam veteris Ecclesiæ historia docet, quod gentes immanitate barbaræ, ac multitudine innumerabiles, non armis devictæ, sed cœlesti doctrina mansuefactæ, & deposita morum feritate ad Christi fidem agminatim traductæ sint. Eo ipso graves illæ inimicitiæ, quæ Judæos inter & Ethnicos fovebantur, apud innumeros sublatæ, evanuerunt Eph. II, 14. Nam ut ipsius Christi, sic ejus sectatorum character lenitas est & mansuetudo Matth XI, 29. & cap. V. 44. Ipsa præterea pax a Servatore parta spiritualis est, in peccatorum remissione, redditaque DEI gratia atque favore consistens. Quia regnum Christi de hoc mundo non erat, ideo nec pacem terrenam, & inconstantem nobis dedit, sicut homines solent, Joh. XIV, 27.

§. IIX. Si Judæi, qua sunt pertinacia, hanc explicationem admittere nolunt, non difficile est, argumentis ex historia illorum temporum petitis, demonstrare, quod κατὰ λέξιν etiam hoc Esaiæ oraculum in Jesu Nazareno impletum sit. Nam Servatore nato, totus terrarum orbis maximis bellorum motibus antea quassatus, pacatus fuit, clausoque Jani templo, quod post multos demum annos Variana clades iterum aperuit, altissima suavissimaque pace fruebatur. Exstat in perpetuam illius rei memoriam pervetus inscriptio apud GRUTERUM p. 149.

IMP. CÆS. DIVI. F. AUG. PON. MAX.
COS. XII. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII.
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO.
TEMPLO. JANI. CLUSO. ET. REP. PO.
ROM OPTIM. LEGIB. SANCTISS.
INSTIT. REFOR.

Et justitia & abundantia pacis sub Augûsti imperio, quo Christus natus est, floruisse dicitur, quia non tantum pax terra marique constituta, sed Romana etiam Respublica optimis, sanctissimisque legibus reformata fuit. Idem confirmat Suetonius in vita Aug. cap. XXII *Janum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit.* Legatur præterea OROSIUS Libr. VI. cap XXII., EUSEBIUS in Præpar. Evangel. L. I. cap. IV. f. m. 10. Sinensium annales produnt, eo tempore, cui ortum Christi adsignamus, altam pacem per illos tractus floruisse. Ex quibus Judæi agnoscant vaticiniorum veritatem, eorumque in Jesu Nazareno complementum, sub cujus adventum jura sancita, bellandi cupiditas refrænata, civilis perinde ac spiritualis pax orbi parta conciliataque fuit. Adeundus est P. D. HUETIUS *in Dem. Ev. Prop. IX cap. VIII. p. m. 728.*

§. IX. Quando autem Christus dixit Matth. X, 34. 35. 36. se non pacem, sed gladium afferre, neutiquam locutus est de causa & scopo sui adventus, sed tantum indicavit tristissimum eventum, quod multi evulgandæ Evangelii doctrinæ se sint oppposituri, ejusdemque confessores, arctissimo necessitudinis & sanguinis vinculo non obstante, oppressuri. Erudite copioseque ad hanc Judæorum objectionem respondit RICHARDUS KIDDERUS Episcopus Bathoniensis & Wellensis Anglus, Parte III. Demonstrationis Messiæ, *p. m. 69. & 72.*

XXXVI.
QUO SENSU JEREMIAS Cap. XXVII. 9. MENDACES GENTILIUM VATES נביאים APPELLET.

§. I.

ANte omnia Prophetæ ab Hypophetis distinguendi sunt. Illi enim oracula ac sacra dogmata proponebant: hi in ordinem colligebant, elegantiusque coagmentata, posteris tradebant.

§ II. Propheta Ebræorum sermone נביא communiter appellatur, quæ vox in Abrahami historia primo omnium usurpata,

Gen.

Gen. XX, 7. eum notat, qui DEI familiaris, atque intimus est, *cum quo* DEUS familiariter loquitur, & qui vicissim *cum DEO* in precibus & gratiarum actionibus, & *de DEO*, ad alios in prædicatione divinæ voluntatis. Non incommode *Oratorem* exponeres, indicio loci Exod. VII. 1. 2. ubi de Aarone dicitur, quod fuerit Mosis נביא id est *Orator*, qui ea omnia, quæ Moses DEI jussu dici volebat, ad Pharaonem loquebatur. Singulari deinde significatione ejusmodi voluntatis Divinæ interpretem notat, qui rerum divinarum & arcanarum cognitione præditus est, sive eæ præteritæ sint, sive præsentes etiam, maxime tamen futurarum, ad quarum scientiam nemo mortalium, nisi Divino Spiritu revelante, pervenire potest. Hæc omnia docte, ornate, copioseque explicantur ab HERM. WITSIO Tom I Miscell. L. I. cap. 1. §. 3. 4 & 15. & HEIDEGGERO in Exercit. Bibl. T. 1. VIII. §. XXVII.

§. III. Nunc quæri solet, an revelationes Divinæ, verique nominis Prophetæ etiam inter gentes a cœtu diviniore alienas & profanas exstiterint, ut nulla Judæis & Christianis prærogativa præ iis relinquatur? Hoc omnes Naturalistæ & Deistæ communi consensu affirmant. SPINOZA, qui vaticinandi facultatem ad causas naturales refert, aperte docet in Tractatu Theolog. Polit. cap. III. p. 36. 39. *donum propheticum nequaquam Judæis peculiare fuisse, sed omnibus nationibus commune.* Nam quos gentiles vocare solebant *Augures* & *divinos*, hos veros Prophetas, qui in Ecclesia Israelitica vixerunt, non majori habet loco, quam gentilium idololatrarum Augures.

§. IV. Ab impia hac SPINOZÆ opinione proxime abest JOAN. SPENCERUS, qui existimat, gentibus antiquioribus Ægyptiis, Chaldæis, Chananæis etiam, non defuisse Prophetias, sortilegia, somnia, vocales imagines, & Oracula: ab his deinceps ad Israelitas DEI συγκαταβάσει pervenisse, propter σκληρότητα τῶν τρόπων, gentisque imbecillitatem. *Cum itaque Judæi non minori futurorum studio & arcana cognoscendi cupidine ducerentur, eorum vanitati somnia, prophetias, oracula dedit benignus DEus, ne ad oracula, vel Ariolos ethnicorum confugerent, & multo felicius cum idololatris, quam seipsis (modo prophetia destitutis) actum existimarent.* Libro III. Legum Ritual. Differt. 1. cap. II. Sect. III. p. m. 780.

§. V. Provocant ad gentes, quæ sua oracula habuerunt Nec dissentire videtur Jeremias, qui h. l. gentibus, extra Ecclesiam

Judaicam constitutis, נביאים tribuit, tales viros, qui cum DEo familiariter vivunt, ejusque voluntatem, maxime circa res futuras, interpretantur. Quis ignorat, apud Ægyptios Summum Sacerdotem, qui reliquis Sacerdotibus præesset, & qui templorum reditus ceteris distribueret, dictum esse *Prophetam*? Primus enim in templo procedebat cantor, deinde horoscopus, tum scriba, seu *ἱερογραμματεὺς*, postea στολιστὴς seu vestitor. Deinde novissimus incedebat *Propheta*, hydriam in sinu gestans, ut docet CLEMENS ALEXANDR. in Lib. VI. Strom. p. 269. Epiphanius in Libro III. adversus hæreses, *παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις προφῆται καλούμενοι, τῶν ἀδύτων τε καὶ ἱερῶν ἀρχηγοί.* Eorundem Prophetarum meminit Philostratus in Libro I. de vita Apollonii cap. I. & Diogenes Laërtius *in proœmio operis sui.* Themistius *in Oratione II.* & Firmicus in Libris *Mattheseos* non semel. Clemens denique in Libro I. *Recognitionum.* Fuerunt etiam Prophetæ Idæi Jovis in Creta, de quibus PORPHYRIUS *in Libro III. de abstinentia.* De Prophetis Antinoi, ab Hadriano institutis, mentio est in veteri inscriptione Græca, quam citavit CASAUBONUS in notis ad Spartianum. Cur autem Ægyptii Antistites suos *Prophetas* vocarint, hæc HENR. VALESIO in notis ad Eusebii H. E. Libr. IV. cap. IIX. f. 64. caussa esse videtur, *quod arcana quædam sacra ac mysteria ab iis tradi crederent. Prophetæ enim dicuntur, quasi arcanorum interpretes.* Vid. HERM. WITSIUS sub initium Præfationis ad Tomum priorem Miscellaneorum S. edit. nov.

§. VI. Objiciunt præterea sapientiam justitiamque Divinam, cui consentaneum non esse putant, ut neglectis omnibus Orbis incolis, stultissimo & pervicacissimo Judæorum populo soli, oracula sua, lumenque melius crediderit. Nonnulla denique Scripturæ dicta urgent, & exempla Melchisedeci, Jobi item, Noachi & Enochi, Bileamique opponunt, quibus divinæ obtigerunt revelationes, ut ut non fuerint Judæi. Ex ipsis tandem divinioribus vatibus, Jonam & Obadiam gentiles, gentiliumque Prophetas, nescio quo audaciæ & temeritatis delapsi, facere audent. ANT. VAN DALE de *Oraculorum Ethnicorum Origine atque Auctoribus cap. V. p. 104.*

§. VII. Hæc omnia vero nondum probant revelationes Divinas inter Gentiles haberi, quibus religio eorum stabiliatur. Quod satis patet ex doctrinæ impuritate, vitæque turpitudine, ad quam duce-

ducebantur omnes, quotquot impuris profanarum gentium sacris initiati erant. Qua igitur ratione divinæ originis esse potuisset? Non inficiabor, gentes etiam sua oracula habuisse, sed DEum eorum auctorem non agnosco. Responsa eorum, quæ valde obscura, æquivoca & flexuosa erant, fallacissimis sacrificulorum commentis, turpissimisque imposturis adnumero, secutus ea in re HERM. WITSIUM, ANT. VAN DALE, SALOM. VAN TILL, aliosque eruditissimos viros, quos habeo suffragatores & auctores. Non intercedo tamen, quin ex parte etiam malis geniis adscribantur, quod multis ita videatur. Satis est, quod confitentes reos habeamus. Narrat EUSEBIUS *capite secundo Libri quarti de Præp. Evang.* quosdam pudendorum sacrorum hierophantas ad Romana tribunalia raptos, quæstionumque vi adactos, fassos fuisse, *τὴν πᾶσαν πλάνην ἀνδρῶν ἀπάταις γενέσθαι, καὶ γοητείαν τετεχνασμένην τὸ πᾶν εἶναι, universum hoc fraudis genus ad homines decipiendos comparatum, totumque negotium præstigias esse arte compositas.* Fraudes sigillatim in specu Delphica committi solitas descripsit, nec infeliciter detexit H. WITSIUS Tom. 1. Miscell. L. 1. cap. IX. §. 24. p. 73. atque ANT. VAN DALE in libro paulo ante laudato.

§. IIX. Gentes sacerdotes suos *Prophetas* appellasse, non miror. Vulgo enim credebatur, sacerdotio præditis vim divinandi inesse. Inde factum est, ut non *ἱερεῖς sacerdotes & flamines*, sed, ad auctoritatem quandam sibi conciliandam, *προφῆτες* sese appellarent.

§. IX. Nihil etiam sapientia, justitiaque divina indignum admissum est, quando DEus solis Judæis consilium suum, interioremque voluntatem tam clementer manifestavit, spretis interim gentilibus, quia gratiam DEi, cumulate oblatam antea, impie repudiarant. Nec tam stulti fuerunt Judæi, quam a Justino & Tacito aliisque historiarum conditoribus Græcis æque ac Latinis, repræsentantur.

§. X. Opponunt locum Malach. I. v. 10. 11. ut deteriorem gentilium, quam Judæorum non esse conditionem evincant. *Non delector vobis, dicit Jehova exercituum, & munus ex manibus vestris non acceptabo. Nam ab ortu Solis usque ad occasum* גדול שמי בגוים *magnum nomen meum inter gentes, & in omni loco incensum offeretur nomini meo, & oblatio munda. Nam magnum est nomen meum in gentibus, dixit Jehova DEus exercituum.*

tuum. Quibus verbis SPINOZA, quæ nullum aliud tempus, quam præsens, nisi iis vim inferre velimus, pati possint, satis superque DEum testari asserit, *Judæos eo tempore DEo non magis dilectos fuisse, quam alias nationes; imo DEum aliis nationibus miraculis magis innotuisse, quam tum temporis Judæis, qui tum sine miraculis imperium iterum ex parte adepti sunt: Deinde nationes, ritus & ceremonias, quibus DEo acceptæ erant, habuisse.* Tota hæc ratiocinatio corruit sponte, modo observetur, in his verbis vaticinium esse de statu gentium sub Messiæ regno. Neque David Prophetarum Rex Deistarum opinioni patrocinatur. Nam Psalmi CXLV. v. 9. quem locum itidem in malæ causæ defensionem afferunt, nihil amplius, quam universalis DEi in omnes creaturas suas amor denotatur.

§. XI. Multo minus firmum præsidium inveniunt in exemplo *Melchisedeci*, cui, utut Judæus haut fuerit, divinæ revelationes contigerunt. Sufficit, quod non profanus impiusque idolorum cultor, sed verum & genuinum Noachicæ Ecclesiæ membrum fuit. Nec *Jobus*, *Noachus* & *Enochus* quidquam cum idololatrarum impietate commune habent, nihil etiam eorum exempla huc faciunt, utpote quorum non alia, quam omnium ante legem latam fidelium conditio fuit. Bileami exemplum ad pessimam profligatamque causam stabiliendam pari ratione inidoneum mihi videtur. Multi superstitioso isti incantatori eo dumtaxat tempore, cum vaticinaretur, certas ob causas, maxime in Judæorum gratiam, Spiritum DEi obvenisse putant, cum alias eo penitus destitueretur. Neque meliorem tunc temporis ejus conditionem fuisse existimant, quam asinæ ipsius paulo ante loquentis ratio fuit, cujus tamen exemplo nemo animantibus brutis prophetias & revelationes adscribet. Nostra autem opinione veri nominis Propheta fuit, divino Spiritu afflatus, homo tamen flagitiosus & avarus, uti suo loco docemus. Elegans nonnullorum est observatio, voluisse DEum quosdam diviniores vates inter profanas gentes exstare, ut in tenebris scintillæ aliquæ lucis micarent, & ignorantiæ excusatio hoc modo plane tolleretur, quod præsertim ante legem datam contigisse videtur, quando DEus electum populum hac nota nondum ab alienis discreverat. Quidquid sit, adversarii certe graviter allucinantur, quando *Jonam* & *Obadiam* gentiles, gentiliumque Prophetas faciunt. Id enim

enim de priori manifesto falsum est, II. Reg. XIV, 25. De posteriori idem patet ex vaticinii versu XVII. & XVIII.

§ XII. Quod ultimo tandem loco ad Jeremiæ locum attinet, in quo gentilium vates נביאים appellantur, fatendum equidem est, quod veri divinitusque afflati Prophetæ in gente Ebræa eo nomine significentur, vel saltim, qui simulant, se consilii Divini participes, & veri DEi interpretes esse, negatur tamen constanter, veri nominis Prophetas, divinasque revelationes unquam exstitisse inter gentiles, sigillatim hoc in loco inter Edomitas, Moabitas ac Ammonitas, Tyrios etiam Sidoniosque, quos DEi jussu Jeremias alloquitur. Nam quod mendaces gentium illarum vates sub ea voce comprehendat, hoc inde satis fit manifestum, quod illos cum כשפים, ענגים, קסמים eodem loco habet, qui omnes vel arte Diabolica, vel vaticinandi facultate astute simulata, locuti sunt. Usus vocum הָרוֹאֶה & צוֹפֶה tam ambiguus non est. Iis enim probi Prophetæ semper notantur, quod inductio probat & observatum est antea a JAC. GUSSETIO *in Comment. Linguæ Ebr. f. 490.* sub rad. נבא, sed נָבִיא hoc in loco de falso etiam usurpatur vate.

§. XIII. Solent scriptores sacri non minus, quam profani opiniones eorum, de quibus loquuntur, & res gestas exprimere plerumque verbis suo ævo usitatis, & apud gentem, cujus lingva utuntur, receptis, non habita ratione sermonis eorum, de quibus scribunt. Observatio hæc *Criticæ* JO CLERICI debetur, *Part. II. Sect. I. cap. XIII p. 402.* quam ibi luculentis exemplis confirmavit. Ita 1 Sam. XXIX, 6. Philistæorum Rex per *Jehova* jurasse scribitur more Ebræo. Sic TACITUS L. V. Hist. cap XIII narrat, Hierosolymis auditam vocem humana majorem, *excedere* Deos, etsi apud Judæos πολυθεότης non fuit. His alia addi possunt. Ita traditur Rabsakum Assyrium in allocutione sua ad Judæos vocem יהוה aliquoties pronunciasse, quam tamen homo ille profanus proculdubio ignoravit, Esa. XXXVI, 15. Idem JEREMIÆ inprimis in more fuit positum. Nam cap. XL, 2. summus Babyloniorum Præfectus Nebusaradon, qui gentilis erat, Judæorum DEum יהוה appellasse dicitur. Quid obstat igitur, quo minus existimemus, JEREMIAM hoc etiam in loco, ex more sibi non insolito, mendaces, impuros, fictitiosque gentilium vates נביאים illustri apud Ebræos nomine appellasse,

non

non quod veros Prophetas fuisse agnoverit, sed quod voce, suo ævo & in sua patria lingua valde usitata, vulgoque recepta, voluerit uti.

XXXVII.

JEREMIÆ XLIX. v. 38.

וְשַׂמְתִּי כִסְאִי בְּעֵילָם

& ponam solium meum in Elam.

§. I.

PEr עילם *Elymæi* intelliguntur. *Solium DEI* est solium Cyri, quem DEUS singulariter elegerat, ut graviter affligeret Judæorum hostes, maximasque gentes, Medos, Lydos, Jonas, Babylonios perdomaret, & in eos vindictam DEI justissimi vindicis & judicis exerceret. Conf. Esaiæ XLV. Impletum fuit hoc vaticinium, quando Cyrus ex Perside Medos bello impetens incepit ab Elymaide inter illos populos sita. H. GROTIUS *in h. l.*

§. II. Exinde cognoscitur, judicium a DEO in Elymæos exercendum hoc in loco a Jeremia describi. Formula loquendi desumta est ab Ebræorum, Græcorum, & Romanorum more, apud quos judices, dum cognitionibus vacabant, in soliis suis sedebant. Ad hanc consuetudinem refero illa Ovidii:

Argolicosque Duces mediis considere castris
Jussit, & arbitrium litis trajecit in omnes.

Et mox: *Consedere Duces.*

Apud Græcos adeo receptus ac vulgatus fuit ille judicum sedendi mos, ut καθίζειν pro *sedere in judicio* usurparetur, καθίζειν δικαστὴν *sedere facere judicem*, pro judicem constituere, in jus rapere diceretur. Præterea σύνεδρος *assessor* Græcis *Senatorem* & *judicem*, συνέδριον *consessio* judicum congregationem notabat, unde postea maximus Judæorum senatus סנהדרין *Sanhedrin* dictus est. Idem mos pervulgatus etiam inter Romanos fuit. Judices Prætoresque dicebantur *sedere*, quando sui copiam faciebant, & cognitionibus vacabant, *Sessionumque Dies*, quibus Prætores jus dicebant. Apud Ebræos similiter judices jam ab antiquissimis temporibus

ribus sederunt. Ita legitur de Mose Exod. XVIII. v. 13. ויהי ממחרת וישב משה לשפט את העם *& factum est crastino die, ut sederet Moses adjudicandum populum.* De ipso DEO dicitur Psalm. IX, 5. ex hoc more ישבת לכסא שופט צדק *sedisti in solio judicans justitiam.* Non dissimiliter hoc in loco DEUS Elymæos judicaturus solium suum in Elam positurus dicitur.

XXXVIII.

HIEROSOLYMÆ A CHALDÆIS EXCISÆ LAMENTATIO ad Thren. I, 12 & 18. nec non Jeremiæ LI, 8. 9.

§. I.

Hierosolyma a Chaldæis excisa, & misere devastata, ab JEREMIA Thren I, 12. sistitur ac depingitur nobis ob oculos, tanquam mulier graviter afflicta & vulnerata, in viam projecta, conceptumque ob calamitates ac dolores luctum ac querelas in prætereuntium sinum effundens, eorumque consilium atque auxilium anxie implorans: *Intuemini & videte, an sit dolor, par dolori meo, qui factus est mihi?* & versu 18: *Audite quæso omnes populi, & adspicite dolorem meum.* Hæc verba ex antiquissima Chaldæorum ac Assyriorum consuetudine eleganter illustrari possunt. STRABO Geographus *Libro XVI. p. m. 513.* memoriæ prodidit, apud Babylonios usu receptum fuisse morem, ut ægrotos in compitis exponentes, quærerent ex prætereuntibus, quisquamne morbi præsentis remedium norit? Τοὺς ἀῤῥώςους εἰς τὰς τριόδους ἐκτιθέντες πυνθάνονται τῶν παριόντων, εἴ τι ἔχοι τοῦ πάθους ἄκος, οὐδείς τε ἐςὶν οὕτω κακὸς τῶν παριόντων, ὃς οὐκ ἐυτυχὼν εἴ τι φρονεῖ σωτήριον ὑποτίθεται. Prætereuntes misericordia commoti, libenter indicabant, si quid salutare norant. Eundem Assyriorum morem confirmat, & illustrat HERODOTUS *Libro I. § 197.* memorans, legem apud eos esse conditam, ut, cum medicis destituantur, τοὺς κάμνοντας ἐις τὴν ἀγορὴν *ægrotos in forum* efferrent, & prætereuntes περὶ τῆς νόσου de morbi conditione & sanatione consulerent, ἔιτις καὶ αὐτὸς τοιοῦτον ἔπαθε, ὁκοῖον ἂν ἔχοι ὁ κάμνων, ἢ ἄλλον εἶδε παθόντα; ταῦτα προσιόντες συμβουλεύουσι καὶ παραινέουσι, ἅσσα αὐτὸς ποιήσας ἐξέφυγε ὁμοίην νοῦσον, ἢ ἄλλον εἶδε ἐκφυγόντα·

 σιγῇ

σιγῆ δὲ παρεξελθεῖν τὸν κάμνοντα οὔπω σφὶ ἔξεστιν πρὶν ἂν ἐπείρηται ἥντινα νοῦσον ἔχῃ, *an quis ipse tali morbo laboraverit, aut alium viderit, eo laborantem? Accedentes ad ægrotum consilia suppeditant, hortanturque ad ea, quæ ipsi faciendo effugerint similem morbum, aut alium noverint effugisse. Nec cuiquam fas est ægrotantes præterire silentio, nec antequam exploraverit, quonam ille morbo laboret.* Hunc veterum morem ad artis medicæ incrementum plurimum tribuisse, PLUTARCHUS in libello, *an recte dictum sit, latenter esse vivendum Tomo II. p 1128.* opinatur, οἱ σφόδρα παλαιοὶ. inquiens, καὶ τοὺς νοσοῦντας φανερῶς προσεῖχον· τούτων δὲ ἕκαστος, εἴτ᾽ πρόσφορον ἔχοι παθὼν αὐτὸς, ἢ παθόντα θεραπεύσας. ἔφρασε τῷ δεομένῳ· καὶ τέχνην οὕτω φασὶν ἐκ πείρας συνεργαζομένην, μεγάλην γενέσθαι, *Antiquissimi ægrotos suos in publico proponebant. ut prætereuntium quivis, si quid vel ipse eodem morbo conflictatus, vel similiter laboranti opitulatus, medelæ nosset, id ægrotanti significaret; ajuntque artem hoc modo, experientia adjuvante, crevisse.* Eundem morem deponendi ægrotos in viis, ut qui eundem morbum experti sunt, iis consulant, Lusitanos quoque ab Ægyptiis mutuo accepisse & observasse STRABO affirmat *Libro III. p. 107.*

§ II. Recte proinde Vir Cl. CORNELIUS ADAMI, Damonensis V. D. minister in Belgio *p. m. 145. Exercit. Exeget.* recitatis hisce veterum testimoniis suspicatur, JEREMIAM Cap. L I. 8. 9. ubi Babelis exitium prædixit, ad hunc morem perantiquum deponendi ægrotos ad vias respexisse: *Quamvis curaremus Babylonem, tamen non esset curata, derelinquite eam & abeamus quisque in terram suam, nam pertingit ad cœlum judicium ejus.* Socii sane, Babyloniorum clade ac dolore perterriti, & ad συμπάθειαν commoti, more Assyriorum, remedia curandis vulneribus idonea, ac commendata, jubentur adhibere. Sed videntes sumptus industriamque frustra collocari, & Babylonem servari non posse, deliberant de relinquendo ægroto, & de ejus salute desperant, persuasi firmiter, collapsas Babyloniorum res restaurari abs se non posse.

XXXX.

XXXIX.
DE תו EZECH. IX. v. 14.

§. I.

NOn rudem aliquam aut obſcuram crucis Chriſti informationem, ſed expreſſam ejus effigiem DEum ipſum apud EZECHIELEM dediſſe, cum piorum frontes litera *Thau* ſignari juſſit, interfici vero eos, qui ea notati non eſſent, celebris Annalium Eccleſiaſticorum conditor CÆSAR BARONIUS Tom I. anno XXXIV. num CXII & P. D HUETIUS in *Dem. Evangel. Prop. IX. cap. 127. p. 993* arbitrantur. Nam verba Ebraici textus וְהִתְוִיתָ תָּו עַל מִצְחוֹת הָאֲנָשִׁים ita interpretantur: *& ſignabis* Thau *ſuper frontes virorum.*

§. II. Ad fidem hujus expoſitionis tuendam confirmandamque obſervant, Ebræos illo tempore adhuc uſos eſſe priſcis elementis Samariticis, quæ ab ORIGENE ἀρχαῖα ϛοιχεῖα appellantur in Scholiis Græcis editionis Romanæ τῶν ό ad hunc Ezechielis locum. Apud Samaritas autem *Thau* præter alias formas crucis ſpeciem obtinere, non ejus duntaxat, in qua lignum tranſverſum ſuſtinet ſtipes arrectarius, ſed alterius etiam, quæ decuſſata & χιαϛὴς, *literæ X ſimilis eſt*, pertendunt. Provocant ad vetuſtos Ebræorum ſiclos, qui ſervantur in eruditorum loculis, & in illorum libris pinguntur. Eam in rem HUETIUS præter ORIGENEM laudat imprimis HIERONYMUM, qui ad hunc locum Ezechielis T. IV. Edit. novæ f. 754 diſerte affirmat, antiquis Ebræorum literis, quibus usque hodie utantur Samaritani, extremam literam *Thau* crucis ſimilitudinem habere, quæ in Chriſtianorum frontibus pingatur, & frequenti manus inſcriptione ſignetur. Nequaquam vero audiendus eſt TERTULLIANUS, qui *Libro tertio contra* MARCIONEM *p. m. 350.* per *Thau* Ezechielis intellexit T Græcorum & Latinorum crucis ſpeciem habens.

§. III. Equidem SCALIGER ORIGENI & HIERONYMO fidem detrahere conatus eſt, argumento itidem a ſiclis petito. Sed utrumque a SCALIGERI animadverſione defendit laudatus HUETIUS, eundemque temere & inconſulte illorum Patrum fidem in dubium vocaſſe ait. Suſpicatur,

Samaritas forte, ſubdolam gentem, poſt Servatoris mortem, figuram literæ *Thau* ϛαυροειδῆ rariſſime uſurpaſſe, & alias literæ ejusdem formas in libris ſuis adhibuiſſe, ut Chriſtianorum cauſam hoc EZECHIELIS teſtimonio nudarent. Quapropter non eſſe mirum, ſi in Grammaticis libris Samaritarum, quos conſuluerat SCALIGER, unica tantum fuit forma literæ *Thau* a crucis ſigno diverſa. Contra opinatur, omnes, qui vel R. AZARIAM, vel ANGELUM e ROCCHA adeant, & in conſilium adhibeant, SCALIGERI errorem haut difficulter deprehenſuros eſſe.

§. IV. Nos expoſitioni huic parum ſolidi ineſſe arbitramur. Nam nondum extra omnem dubitationem poſitum eſt, an illo tempore Judæi literis Samariticis uſi ſint, etſi hoc viri longe doctiſſimi, ſigillatim WALTONUS, ORIGENIS & HIERONYMI auctoritate niſus, affirmant. POSTELLUS equidem, qui Orientem peragraverat, & cum Judæis de ejusmodi characteribus collocutus fuerat, HIERONYMI ſententiam confirmavit, quorundam ſiclorum inſcriptione prolata, ubi hæc verba characteribus Samaritanis leguntur: JERUSALEM SANCTA. Quæ cum a Samaritis poſt eorum ſeceſſionem ſcripta non videantur, quoniam infenſiſſimi iſtius urbis & templi hoſtes erant, adſcribuntur Judæis Hieroſolymitanis ante captivitatem. Vid. R. SIMON in Hiſt. Crit. V. Teſt. L. I. cap. XIII. p. 72. Sed non immerito dubitari poſſe videtur, an ſicli, qui proferuntur, tantæ ſint antiquitatis, quantæ eas eſſe contendunt HUETIUS, POSTELLUS, SIMONIUS, multique alii. Certe EZ. SPANHEMIUS harum rerum ſcientiſſimus non credit, curioſos ac peritos Numiſmatum reperiſſe hactenus Græca aut alia, quorum antiquiſſima etiam accedant ad venerandam antiquitatem, quæ hiſce ſiclis tribui ſolet, *in Epiſtola ad amicum de Simonii H. Crit. V. T. p. 31. & de Præſtantia ac uſu Numiſmatum antiquorum, Tom. I. Edit. nov. Diſſertatione ſecunda*, in qua Aſſyriacarum literarum vetuſtatem erudite prolixeque defendit. Adeundus etiam legendusque eſt B. WASMUTHUS, qui in *Vindiciis ſuis* nonnulla hoc de argumento dabit illis, qui ſplendidum ac ſumtuoſum SPANHEMII opus evolvere non poſſunt.

§. V. Non intercedo tamen, quin ſtatuatur, literam *Thau* figuram crucis olim apud Samaritanos habuiſſe. Hoc enim HIERONY-

RONYMUS diserte affirmat. Nec officit, quod in codicibus Ebræo-Samaritanis ex Oriente allatis, & in hodierno alphabeto Samaritano litera Thau in forma crucis amplius non exstet, & quod hodiernum Thau Samaritanorum a forma crucis longissime recedat, quæ objectio IS. CASAUBONI est Exercit. XVI. num. LXXVIII. p. 445. Veri enim fit simile, Samaritas priscam crucis formam in hodiernam mutasse, quo celerius scriberent. Id quod inde confirmari posse videtur, quod unico stili ductu hodiernum Thau Samaritanum pingi possit, nequaquam vero priscum Thau, quod Andreanæ crucis, aut X. Græci formam habet. Sufficit, quod R. AZARIAS in suo alphabeto Samaritano abs se edito, duas istius literæ species, quarum altera crucis figuram habet, protulerit, & quod veteres Ebræorum nummi a GUIL. POSTELLO, ARIA MONTANO, JO. BAPT. VILLALPANDO, CASP. WASERO, JO. MORINO, BR. WALTONO, & novissime ab HADR. RELANDO aliisque, ac nobis ipsis Libro tertio harum Observationum descripti, idem confirment. Conf. SAINTIORE in *Bibl. Crit. T. II. cap. XXVII. p. 416.*

§. VI. Nos iis suffragamur, qui תו Ezechielis non *Thau* literam, sed *signum* interpretantur. Descendit enim a תוה *signare*, & alibi sub *signi* notione occurit. Sic JONATHAN, sic LXX. Seniores Græci, sic Syrus & Arabs, sic Aquila & Symmachus secundum Hieronymi testimonium transtulerunt. Sic CYPRIANUS & JOANNES in Apol. cap. IX. v. 4. exposuerunt. Ipse R. SIMON l. c. p. 77. fatetur, nihil solidi ex hoc Ezechielis loco erui posse. Sentit etiam nobiscum CAMP. VITRINGA L. II. Sacr. Observat. cap. XV. p. 452. & monstrat, תו non literam *Thav*, sed aliquod obsignantis signi genus notare, ideo imprimis, quod in universa Scriptura S. nunquam nomina literarum Alphabeti, ad hunc usque diem vulgata, pro literis illis atque earum figuris usurpantur, qualia occurrunt, עין, כף, בית, בה. Hæc vocabula, utut literis propria, omnium tamen interpretum consensu, non ut figurarum, sed ut rerum nomina explicanda sunt.

§. VII. Nec quidquam in citato EZECHIELIS loco est, quod adversæ sententiæ ulla ex parte patrocinetur. DEus enim in capite antecedente detestabilia quævis ostenderat, quæ Hierosolymis perpetrabantur, inquiens: *Et ego agam in furore, non parcet oculus meus, neque miserebor, & cum clamaverint ad aures meas*

meas voce magna, non exaudiam eos, cap IIX versu ultimo. Deinde significat, velle se injurias a civibus Hierosolymitanis sibi illatas gladio ulcisci. Cum autem innocentes quidam superessent, quos DEus cum sontibus interimere nolebat, præcipiebat viro interfectori, lineis induto: *Transi per medium civitatis, per mediam Jerusalem, & pinge signum super frontes virorum gementium, & dolentium propter universas abominationes factas in medio ejus.* A DEO nempe decretum erat, ut pii a Chaldæorum furore servarentur, qui urbem expugnaturi, & templum destructuri erant. Eum in finem vult, ut piorum frontes signo quodam notentur, nec obscure respicit ad illud signum, quod Israelitis in Ægypto præcepit, ut nempe agni mactati sanguinem ad postes domuum suarum adspergerent, ne angelus occisor, cum transiret, primos natu læderet, Exod. XII.

§. IIX. Exinde manifestum est, signum crucis apud Judæos salutis signum non fuisse, sicut BARONIUS nisus auctoritate EZECHIELIS, perperam existimavit. Rationes ejus erudite examinavit, solideque confutavit IS. CASAUBONUS l. c. Multo minus existimari debet, figuram crucis gentilibus insigne salutis fuisse. Patres equidem, quibus res cum gentilibus, crucem Domini irridentibus, de istius signi mysterio permulta ingeniose excogitarunt, & scriptis suis inseruerunt, quæ idonea videbantur ad os obturandum paganis. Exinde vero concludi nequit, gentiles figuram crucis pro salutis insigni habuisse. Sic exempli causa quando Tertullianus *in Apologetico* paganos alloquitur: *Victorias adoratis, cum in tropæis* CRUCES *intestina sint tropæorum*, verum id erat, sed uti recte observavit IS. CASAUBONUS l. c. pagani, cum tropæa adorarent, signum crucis non attendebant, quod inerat tropæo, neque hoc dixit TERTULLIANUS, neque ex allegatis verbis colligi potest, Romanis figuram crucis salutis insigne fuisse. Idem de MINUCIO FELICE, qui *signum crucis in navi, quando velis tumentibus vehitur*, ostendit Cap. XXIX. p. m. 304. Edit. Gronovianæ aliorumque Patrum ea de re testimoniis, judicium esto. Amplius fere nihil adferri potest quod labascentem BARONII opinionem confirmet, nisi illud, quod Ægyptii a vetustissimis temporibus *cruci* inter Hieroglyphica sua locum dedisse dicuntur, in quibus Isis, aliique Dii *crucem* manu tenentes exhibentur. Litem nervose & eleganter componit B. DORSCHEUS Commentar. in Matthæum cap. XXVII.

XXVII. v. 31 p. 439 *Non quæritur, quid Christiani ex signis militaribus Romanorum, scilicet laburis & vexillis, quæ habebant aliquam ἀναλογίαν cum cruce, colligere possint; sed quali intentione Romani talia signa fecerint? An nempe ex eorum intentione fuerint auguria crucis?* id quod neque de Romanis, neque de Ægyptiis dici potest.

§. IX. Etsi autem Judæis, sicut antea indicavi, crucis figura salutis insigne non fuit, tamen fateri cogor, in gente Ebræa obscura quædam fuisse documenta, quæ venturam mundo salutem per veram crucem, vel per illum potius, qui e cruce suspendendus erat, subindicare potuissent, si mens Judæorum, sub ultima præsertim Christi adventuri tempora, non læva fuisset. JUSTINUS MARTYR *in Dialogo cum Tryphone Judæo* docet, agnum paschalem, cum ad ignem assaretur, figuram crucis habuisse. Narrationi fidem facere videtur MAIMONIDES, cum tradit, veru ligneum per os & ventrem agni adactum; intestina vero e. g. *iecur, cor*, a latere exterius assata fuisse. Crucis decussatæ signum exhibebat agnus quotidianus in iuge sacrificium mane vesperique cæsus, ligatis decussatim cruribus, pede anteriori cum posteriore. Summus Judæorum sacerdos fuso super caput oleo in fronte per crucis decussatæ signum ungebatur. Semina agrorum a Judæis per crucem dividebantur. Signum crucis immissæ cernebatur in facibus noviluniorum. Solebant enim Ebræi constitutum noviluniorum diem indicare facibus ardentibus in montibus altioribus *crucis* in modum vibratis. Vid. *Rosch Haschschana cap. II.* Sequenti tempore faces amplius tali occasione non accendebantur, sed legati ad indicandum illum diem a Synedrio majori mittebantur. Uva Chananæa ita portabatur, ut penderet ex cruce. Nam illi duo viri, qui eam portabant, duobus baculis ad formam literæ Græcæ X. conjunctis & humeris impositis gestabant, quemadmodum Ebræorum magistri tradunt apud WAGENSEILIUM *in Sota p. m. 707 & 708.* Lecti Judæorum in forma crucis texi solebant, docente OBADIA de BARTENORA *in Mischna Moëd Kathon cap. I. §. VIII.* Ubera animalium, cum mactarentur, per crucem lacerabantur. In pessulis januarum signum crucis observabatur. Judæorum urbes per crucem divisæ ædificabantur. Loca eorum sepulcralia in quatuor partes, & versus quatuor mundi plagas divisa, in figuram crucis exstructa erant. Plura eam in rem non addo. Ceterum hæc aliaque, quæ huc pertinent, ample

ample & erudite exposuit, idoneisque Ebræorum testimoniis probavit CELEBER. DASSOVIUS, in eleganti Dissertatione *de signis crucis Ebrææ gentis* Vitembergæ 1695. habita. Hæc omnia vero, quæ nobis, Christiana doctrina imbutis, non injucundam meditandi occasionem suppeditant, ac occœcata, & stupida Judæorum gente, qui ne DANIELIS quidem, & aliorum Prophetarum clarissima vaticinia de adventuro Messia intelligebant, profundissime ignorata atque neglecta fuerunt. Conferantur in adjecta Tabula Fig. 1. 2. 3.

XL.

QUO SENSU MATTHÆUS cap. II. v. 23 affirmet, fuisse prædictum per Prophetas, Christum appellatum iri Nazarenum.

§ I.

Diu & vehementer eruditos torsit difficilis & vexatus hic locus, quando Evangelista ait, Prophetas prædixisse, Christum Ναζωραῖον vocatum iri. Cum expressa illius prædictionis vestigia nusquam appareant, existimant nonnulli respici vaticinium aliquod traditum per unum atque alterum Prophetam, quod dictum in vulgus notum fuerit NAZARENUS VOCABITUR, quia non ait Evangelista, quod *scriptum est in* Prophetis, sed quod, *dictum est per* Prophetas, quemadmodum idem Matth. cap. XXVII. v. 9. locutus est, de vaticinio tali ἀγράφῳ. Hæc explicandi ratio simplex, & sic satis conveniens est, nec B. CALOVIO displicet in *Bibl. Illustr.* ad h. l. f. 160. Ego certe longe prætulerim CHRYSOSTOMI explicationi in h. l. qui arbitratus est, illos Prophetas, quos Evangelista laudat, jam non exstare, sed periisse, sicut multa veterum Prophetarum scripta vel propter Judæorum incuriam, vel propter barbarorum in Judæam impressiones. Nam, si illo tempore, quo Matthæus scribebat, jam desiderabantur vates illi, qui hic laudantur, quæri potest, *quam ob causam Evangelista testimonio auctorum missorum usus sit. Sin tempore illo adhuc horum Prophetarum scripta supererant, quis credet, libros sacros Prophetarum primæ no-*

tæ servari ab interitu non potuisse? Cum Ecclesia DEI, cui divina oracula præcipue curæ semper fuerunt, & vita ipsa cariora, (quod declarat inprimis historia rerum gestarum adversus eos, qui Traditores sunt dicti,) omnes persecutiones & calamitates eluctata, fuerit tandem servata, ita IS. CASAUBONUS Exercit. VII. num. II. p. 157.

§. II. Permulti in ea sunt opinione, Christum Ναζωραῖον dictum esse, quia per Prophetas prædictum, Nazaræum ipsum fore, siquidem *vocari* idem sit, ac *reapse* esse. Christo enim Nazoræi nomen a Vet. Test. *Nasiræis* hæsisse, eumque horum antitypum fuisse contendunt, provocantes ad Num. VI. 2 Jud. XIII. 7. collato cum Genes. XLIX, 26. Ita sentiunt JO. CALVINUS h. l., H. GROTIUS h. l., HEIDEGGERUS, SPANHEMIUS, & GUSSETIUS *in Confutatione R. Isaaci p. m. 329.* Ex nostris ER. SCHMIDIUS, DORSCHÆUS ac ipse B. Lutherus in glossa ad Num. VI. v. 2. Hoc si verum esset, non Ναζωραῖος, sed Ναζηραῖος a נזיר Jud. XIII. 5. nominandus erat, quæ vox ἡγιασμένον notat. Temere hac ratione confunduntur ז *Zain* & צ *Zade*. Quod H. GROTIUS in h. l. affert, quasi urbs Nazareth antiquitus per ז scripta fuerit, mera & inanis est conjectura, quia nomen hujus urbis ubique reperitur per *Zade* expressum, eademque scriptio penes interpretes SYRUM & ARABEM retinetur. Tametsi denique Jesus ὁ Ναζωραῖος verus fuit Ναζηραῖος, tacitaque in his vocibus allusio observata est HEINSIO in *Aristarcho f. 791.* vocum tamen origo citra controversiam est diversa. Diversa omnino sunt נוצרי & נזיר V. H. WITSII *Melet. Leid. p. m. 281.*

§. III. Illi rectius sentiunt, qui his verbis, Ναζωραῖος κληθήσεται, non ad נָזִיר, qualis *Josephus, Simson, Samuel* fuerunt, sed ad נֵצֶר *surculum* Es. XI, 1. a Matthæo respici arbitrantur. Nam נָזִיר non significat Nazaræum, quippe qui ab urbe *Nazareth* nomen habet, quæ nullibi tamen *Nasireth* dicitur. Huc referunt loca Es. LX, 21. & cumprimis Es. XI. 1. *egredietur virga de semine Isai &* נֵצֶר *surculus de radicibus ejus.* Vaticinatur Propheta de abjecto Messiæ ex stemmate Davidico oriundi statu, nec obscure ad educationem ejus in urbe Nazareth respicere videtur. Propterea appellat eum נֵצֶר *virgultum abjectum, vile, & contemti-*

Z

temtibile, quemadmodum ipsi Judæi explicant, qui ea voce utuntur de caniſtris pauperum, in quibus ponebant primitias, & de caniſtro mulieris adulterii ſuſpectæ, in quo offerebat munus ſuum hordeaceum, ut refertur in Lexico *Aruch* rad. נצר. Apud ipſum Eſaiam cap. XIV. 19. legitur נֵצֶר נִתְעָב *contemtibile virgultum*, a נצר cuſtodivit, quia cuſtodia eget, nea vento dejiciatur, aut avellatur. Confer Jerem. XXIII, 5. XXXIII. 15. Zach. VI. 11. & Cant. II, 1.

§. IV. Matthæus proinde cauſam indicat, cur Eſaias contemtibilem Meſſiæ conditionem deſcripturus voce נֵצֶר uſus ſit? Chriſtus nimirum *Nazoræus* appellandus, & in oppido *Nazareth*, cui, ut S. HIERONYMUS auctor eſt, ab Ebræa voce נֵצֶר inditum erat nomen, educandus prædicebatur. Veritatis intererat, ut ab Evangeliſta lectores admonerentur, non fortuito aut caſu Nazoræi nomen Chriſto hæſiſſe, ſed a Prophetis jam olim indicatum eſſe. Nam infirmiores hoc nomen valde offendebat, cum Chriſto non niſi per contemtum videretur tributum, & Nazareth oppidum vile abjectumque eſſet, ex quo Meſſiam nemo expectabat. Imo Nathaneel quærebat: ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; Joan I 47. Servatoris hoſtes Jeſum in opprobrium ישו הנוצרי exinde appellarunt, & hodienum ita appellant. Alibi, nempe Joan. VII. v. 52, Nicodemo ajunt: ἐρεύνησον, καὶ ἴδε. ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται, *ſcrutare & ſcito ex Galilæa non fuiſſe ſuſcitatum Prophetam*, quamvis hoc ipſum temere & falſo aſſeruerint Phariſæi. Nonne NAHUM fuit *Elkoſita*, cujus patria vicus Galilææ erat? JONAS erat ex *Gath Hepher*. 2 Reg. XIV, 25. Gath Hepher autem ſita in tribu Zabulon, Joſuæ XIX, 13. conſequenter in Galilæa fuit, quia tribus hæc quandam Galilææ partem tenebat, quæ erudita H. WITSII obſervatio eſt *Tom. I. Miſcell. S. Libr. I. cap. XX. §. 38. p. 282.* Tantum igitur abeſt, ut hoc nomen divinitati Chriſti nocuerit, ut potius indicio fuerit & argumento, Jeſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam, utpote a Prophetis olim נֵצֶר appellatum, & in *Nazareth*, quæ urbs nomen inde habebat, educatum.

§. V. Quid Judæi contra Matthæum diſputantes opponant, non ignoro. Hos autem hominis Judæi, magnæ inter ſuos auctoritatis, teſtimonio refellam. DAVID de POMIS, qui ſe

ſe Medicum Ebræum atque Philoſophum de tribu Juda, ex ingenua Pomaria familia, quam Titus ab urbe Hieroſolyma Romam in captivitatem deduxerit, gloriatur, in libro צמח דויד impreſſo Venetiis Anno 1587. ad vocem נוצרי ita commentatur: נוצרי פי שנולד בעיר נָצֶר ואומרים שהיא בארץ הגליל רחוק מירושלם דרך שלשת ימים *Nazarenus*, hoc eſt, *qui natus in urbe* נֶצֶר, *quam dicunt, quod illa ſita in terra Galilææ itinere trium dierum a Jeruſalem diſtante.* Qua obſervatione admiſſa fatetur ipſe SPANHEMIUS in *Dub. Evangel.* probabilem ſatis futuram hanc opinionem: *DEUM nempe ſingulari conſilio voluiſſe Joſephum ejusmodi urbem incolere, cui nomen* נֵצֶר *ut Chriſto ibidem agenti idem nomen hæreret, & ſic veritas prædictionibus reſponderet.* Suffragantur nobis IS. CASAUBONUS, ARETIUS, PISCATOR, LUD. DE DIEU, CONSTANT. L'EMPEREUR, TOSTATUS, SALMERO, EMAN. SAA, BARONIUS, & e noſtris WALTHERUS, GLASSIUS, SCHINDLERUS, HUNNIUS, GERHARDUS aliique.

§. VI. Quemadmodum Judæi Servatorem noſtrum הנוצרי *Nazaræum*: ita illos, qui in eum credebant, נוצרים *Nazaræos*, per contemptum appellarunt. Quod & olim factum, ex HIERONYMO conſtat, in Eſ. 5. ſic enim ait: *Judæi usque hodie perſeverant in blasphemiis: & ter per ſingulos dies, in omnibus ſynagogis, ſub nomine Nazarenorum, anathematizant vocabulum Chriſtianum.* Neque aliter Apoſtolorum temporibus, Servatoris diſcipuli dicti ſunt, quam Ναζωραῖοι Act. XXIV. 5. Nam quia Judæi Jeſum Meſſiam eſſe negabant, ipſius diſcipulos, per convitium & contumeliam, appellarunt Ναζωραίους, pro quo ipſi adoptarunt nomen *τῶν χριστιανῶν*, ut propalam teſtarentur, ſe *Jeſum* pro *Chriſto*, ſive Meſſia agnoſcere Act. XI. 26. Vid. ANT. BYNÆUS *Libr. II. de morte Jeſu Chriſti cap. III. §. XVII. p. 179.*

§. VII. Verum magis glorioſum, quam probroſum, & contumelioſum, nobis hoc nomen fuit. Nam Meſſiæ diſcipuli, ſive Chriſtiani, a JEREMIA expreſſe נֹצְרִים *Nazaræi* vocantur cap. XXXI. v. 6. verba hæc ſunt: יש יום קראו נצרים בהר אפרים קומו ונעלה ציון אל יהוה אלהינו *Eſt futurus dies, quo clamabunt* נֹצְרִים *in monte Ephraim: ſurgite & adſcendemus in Zion ad Dominum DEUM noſtrum.* In toto hoc capite elegantiſſima vaticinia

cinia de Christo exstant. Prænunciatur simul atrox Herodis infanticidium v. 10. Vaticinatur quoque Propheta de antiqui fœderis & œconomiæ abolitione, & novæ atque præstantioris substitutione, quod tempore Christi impletum est. Confer Ebr. IIX. Quid proinde obstat, quo minus *versum nostrum sextum* de Christo hunc in sensum explicemus: Venturum aliquando diem, quo נֹצְרִים *Nazaræi* in monte Ephraim homines clara voce ad DEUM Messiam, concursu undique facto, jubeant venire. Si autem Christi discipuli non נְזִירִים, sed נֹצְרִים *Nazaræi* a JEREMIA appellati fuerunt, sicut ostendimus, aliunde profecto nomen hoc non acceperunt, quam a magistro suo, qui ex Esaiæ prædictione נֵצֶר *Nazaræus*, vel *Nazarenus*, appellandus erat. Vid H WITSII *Meletemata Leidensia*, & in eo ex JAC. ALTINGIO multa notatu digna *p. 285 & 287.* RICHARDI KIDDERI *demonstration of the Messias P. II. p. 167* & CL. REINECCIUS *in Addendis ad N. T. quadrilingue f m. 931.* nec non LUDOVICUS DE DIEU *in Annotationibus ad* Act. XXIV. 5. cujus verba memoratu digna recitabo: *Porro quod* Ναζωραῖος *sive* Ναζαρηνὸς *dictus fuerit Christus, non ex errore vulgi, Nazarethæ natum eum opinantis, neque ex impiorum ludibrio, id ipsi contumeliæ esse opinantium, originem primam traxit, sed ex ipsius DEI consilio ac voluntate, ipsorumque piorum usu. Consilium DEI patet Matth. II versu ultimo. ubi Joseph cum puero Jesu ex Ægypto reversus, jubetur Nazarethæ habitationis sedem figere, ut secundum monita Prophetarum, Nazaræus diceretur. Et placuisse piis nominis istius usum, liquet. Quin & ipse Christus se ita nuncupat* Actor. XXII, 8. *Gloriosissimum scilicet hoc ipsi erat nomen, quo declarabatur esse* הנצר *surculus ille, per Prophetas promissus, qui in urbe,* נצר *surculus dicta, educatus, atque inde ad muneris functionem productus, multos* נצריים *Nazaræos, id est, e surculo oriundos protulit.*

§. VIII. Quæ sententia quamvis veri sit simillima, & multorum interpretum suffragiis munita, HERM. tamen WITSIUS in *Melet. Leid p. m. 280.* impetrare abs se non potuit, ut in ea sola hærendum esse existimaret. Nam נצר & Ναζωραῖον idem esse, vix persuaderi posse putat hominibus, qui suæ spontis sunt, minus

nus Evangelii hostibus. In ea igitur versatur opinione, Matthæum illa oracula ob oculos habuisse, ubi Servator vocatur נוצר *Notzer*, quod idem ferme sit cum Nazareno *l. c. p. 285.* Huc refert loca Jobi VII, 20. Ps. XXXI, 24. Prov. XXIV, 12. Es. XXVII, 3. Jam nihil facilius, nihil expeditius esse opinatur tali ratiocinatione: *Jesus DEO ita gubernante, multos annos Nazarethæ habitavit, ideoque vulgari nomenclatione dictus est* נוצרי *Nazarenus, ut ex intentione DEI mystice significaretur, Jesum eum ipsum esse, quem Prophetæ, Jobus, David, Salomon, Jesaias, nomine* Notzer *indigitarunt*, locis nempe citatis. WITSIUM secutus est THEODORUS UBINCK V. D. Minister Alcmariensis in libro de *Nativitate & Educatione Jesu Christi*, idiomate Belgico Delphis nuper edito, Cap. IX. Mihi autem doctissimi WITSII conjectura minus placet. Non eam ob causam, quoniam ut ipse fatetur a FAUSTO SOCINO, *Op. T. I. p. 300.* malefausto Scripturarum interprete, illam accepit; Nam inter nostrates ipse BRENTIUS in ea sententia olim fuit. Vid. *Acta Erud. Lips. 1711. p 452.* Sed propterea, quod illa loca diserte & clare non agunt de Christo. Matthæus autem affirmat, Christum a Prophetis dictum esse Ναζωραῖον. Et quamvis concederetur, Christum a Jobo, Davide, Salomone & Esaia vocari נוצר *custodem & servatorem*, nondum tamen demonstratum est, *Notzer* idem esse cum *Nazareno.* Id certe Evangelicæ veritatis hostes tam facile non admittent, uti Cel. WITSIUS quidem putavit.

XLI.
ΤΟ ΑΛΑΣ ΤΗΣ ΓΗΣ SAL TERRÆ Matth. V, 13. & Lucæ XIV, 34.

§. I.

Exemplis magnam vim inesse, & peccata eorum, qui aliis præsunt, multo esse graviora, quam aliorum hominum, Servator similitudine a Sale petita eleganter docet, suos discipulos appellans τὸ ἅλας τῆς γῆς, *Sal terræ*, quo agri fœcundantur. Ut submoneret, oportere eorum dictis & factis totum genus humanum ad virtutem concitari ac emendari. Quod si

vero contingat, ut officio desint, & hac ratione Sal, terræ fœcundandæ destinatus, infatuetur, & virtus ejus evanescat, nulla tum re fieri posse ait, ut restituatur. Ad nihilum quippe valere ultra, ὄυδὲ εἰς γῆν, ὄυδὲ εἰς κοπρίαν εὔθετον, sed in viam publicam foras ejiciendum esse, ut a prætereuntibus conculcetur.

§. II. In hac oratione difficulter intelligitur ratio comparationis petita a Sale, quippe qui non solet μωραίνεσθαι *infatuari*, aut foras projici, nec, si saporem servet, ad terram fœcundandam adhiberi. Quin potius sterilitatem inducit agris, PLINIO teste Libr. XXXI. Cap. 7. *Omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit.* Hinc VIRGILIUS *Libro secundo Georgicorum:*

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.)

Terra *sale exusta & sulphure* Mosi est infrugifera Devt. XXIX, 23. *quæ non seretur, nec germinabit*, & in qua nulla crescet *herba.* Phrasi Hebræa dicitur terra quævis salsuginosa, quæ sterilis est. *Salsugo* מלחה seu terra salsuginosa opponitur terræ fertili Pſ. CVII, 34. Satio Salis apud Orientales aliosque populos symbolum erat inducendæ sterilitatis & vastitatis. Qui enim salem spargebant, optare se significabant, ut locus ille sale conspersus eadem ratione desertus maneret, ac solum sua natura salsuginosum. Huc pertinet, quod *Judicum IX, 45.* Abimelechus urbem Sichem abs se dirutam sale legitur consevisse, in perpetuæ vastitatis signum שלא תהא ראויה לשרות *ne unquam apta esset ad arva*, interprete R. LEVI apud SAM. BOCHARTUM *in Hieroz. P. I. Libro III. Cap. XVI. f. m. 872.* Eundem ritum imitatus dicitur Fridericus Barbarossa Imp. post Mediolani expugnationem, urbis area sale conspersa indicaturus, locum in perpetua vastitate relinquendum esse. Unde Græci ἁλίσπαρτον appellabant τήν ἁλὶ κατεσπαρμένην χώραν, ut exponit Etymologicum Græcum ineditum, quod PHOTIO vulgo adscribitur, & quod inter MSSta Gudiana in Bibliotheca Augusta Wolffenbuttelensi hodie adservatur. Ritus originem & rationem ita describit: Τῶν γὰρ ἀρχαίων τινῶν βαρβάρων δυσμενῶν, διακειμένων πρὸς τὺς ἕλληνας, τὰς χώρας αὐτῶν ἁλὶ κατέσπειρον, εἰς τό μηκέτι δύναθαι φέρειν καρπούς. Addit, τὺς ἠκισμένους δεινῶς, καὶ δυσθεραπεύτως ἔχοντας τὰ σώματα valde ægrotos, de quorum salute conclamatum est, etiam vocari ἁλι-

ἁλισπάρτους sale quasi *conspersos*. Videantur *Actor. Erudit. Suppl. T. VI. Sect. VI p. 257 & 258.* Cum igitur Sal sit vastitatis symbolum & agris sterilitatem inferat, quæritur, qua ratione & sensu Servator suos discipulos appellare potuerit SAL TERRÆ, respiciens ad Salis fœcunditatem, quam agris & pratis reddat, ut fructus ferant?

§. III. Recte ad *h. l.* observavit HIERONYMUS, hanc loquendi rationem de agricultura sumtam esse. Ergo non communem, cibis condiendis adhiberi solitum, sed ejusmodi salem *h. l.* intellexit Servator, qui agris fructificandis, & pinguedinem illis inducendis inservit. JO. CLERICUS in *Notis*, quas Hammondianis adjecit *Lucæ XIV, 34. f. m. 209.* suspicatur, a colonis forte ita dictos esse *lixivos cineres*, quales sint cineres ligni, qui salsi sint. Eos certe infatuari, si abluantur, quod fiat, quando eorum ope purgantur lintea sordida. Cineres hoc modo ablutos neque posse fœcundare prata, si soli sint, neque fimo misti, quia sal ille, quo turgebant, solus utilis erat fœcundando solo. Ceteroqui si nondum abluti spargantur per prata, multum iis fœcundandis prodesse, seu soli sint, seu misti fimo. *Infatuatos*, hoc est, salinis particulis destitutos in viam potius, quam in sterquilinium, aut in pratum conjici. Hanc conjecturam timidius ab initio propositam, tanquam exemplis destitutam, majori fiducia repetiit in *Harmonia Ev. p. m. 108.* ubi locum hunc ita παραφράζει: *Vos estis, o quicunque meam doctrinam amplectimini, velut salsi cineres, quibus agri fœcundantur, & quibus si dematur ablutione quidquid habent salinum, nulla re salsugo restitui potest, ideoque nulli amplius usui esse possunt ad fœcundandos agros. sed in viam publicam calcandi omnibus abjiciuntur. Sic & vos oportet factis & dictis totum humanum genus ad virtutem concitare, nec quisquam est in terris apud Judæos, aut alias gentes, qui vos emendare possit, ac proinde si officio desitis, in æternum inutiles fietis.*

§. IV. Hæc viri eruditissimi conjectura non est spernenda. Veteres enim cinere utebantur ad fructificanda arva & prata. Transpadanis in Italia cineris usus adeo placuit, ut anteponerent fimo jumentorum, teste PLINIO *H. N. Libro XVII. Cap. IX.* Cineribus autem de combustis ramis, spinis, foliis, zizaniis, salem inesse fœcundandis agris idoneum, cum per se manifestum est, tum etiam ex illo Apostoli ad *Hebræos VI. 8.* loco probatur, ubi ager votis coloni non respondens, sed post sationem & rigationem spi-

nas

nas proferens loco fructuum, maledictioni, ut ficus sterilis, dicitur adjudicandus. Ultimum remedium esse τὴν καῦσιν. *combustionem* spinarum scilicet & tribulorum, ac zizaniorum, quæ in eo nascuntur, ut illi reddatur fertilitas a sale in istis cineribus obvio, qui forte non incommode dici posset τὸ ἅλας τῆς γῆς, *Sal terræ* fœcundandæ destinatus.

§. V. Magis tamen huc pertinere videtur MARGA, aliquod pinguedinis genus alendæ terræ valde accommodatum. *Spissior ubertas in ea* marga *intelligitur*, secundum PLINIUM *H. N. L. XVII. Cap. VI. Est quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguitudinis nucleo.* Antiquus & frequens olim fuit hujus margæ usus apud Gallos, Britannos, Græcos, ac ipsos Palæstinos, qui cineribus & marga libentius utebantur, quam fimo ob fertilitatem & virtutem. *Fruges alit* marga *tophacea alba, quæ si sit inter fontes reperta, EST AD INFINITUM FERTILIS, & si nimia injecta est, exurit solum. Inspergitur rara, SALE eam misceri putant. Utrumque hoc genus semel injectum in quinquaginta annos valet & frugum & pabuli ubertate*, teste PLINIO *l. c. Cap. VII.* Idem confirmat VARRO de *Re Rustica L. I. Cap. 7 p. m. 63*: *In Gallia Transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur, UBI AGROS STERCORARENT CANDIDA FOSSICIA CRETA.* Eam non inepte vocaveris τὸ ἅλας τῆς γῆς, *Sal terræ.* Huic enim margæ, cujus usus in Saxonia nostra non infrequens est, uti aliquoties ipse vidi, ea omnia tribui possunt, quæ Servator prædicat de Sale terræ. Infatuari quippe potest, si undis abluatur pinguitudo ejus, aut si diutius in loco saxoso & sterili exponatur ardori Solis, & injuriis aëris. Marga hoc modo infatuata, amisso sale, quo antea turgebat, non potest restaurari, nec fœcundare arva & prata. Idcirco in viam potius, quam in sterquilinium aut agrum projici solet. Conferatur AUGUSTINI CALMETI *Commentarius ad Matth. V, 13. p. m. 95.*

XLII.

XLII.

DE PUBLICANORUM ORDINE, ET CUR CUM PECCATORIBUS CONJUNGANTUR, Matth. IX. v. 10. 11.

§. I.

SErvatoris tempore duo hominum genera in Imperio Romano τελῶναι five *publicani* appellabantur, ἀπὸ τȣ̃ τέλ☉ ὠνεῖσθαι, quod vectigalia conducere f. coëmere notat. Sunt ergo τελῶναι οἱ τέλ☉ ὠνησάμενοι. Publicani appellabantur ab ære publico, quod ærario inferebant. Nam Judæi fub Romanorum poteftatem redacti vectigalia ex rebus importatis pendere cogebantur. Illa Græcis τὰ τέλη dicebantur, & a Paulo magno illo gentium Doctore diferte diftingvuntur ἀπὸ τȣ̃ φόρȣ, a tributo, quod τεταγμένον erat, & fecundum proventus terræ annuos indici folebat. Conf. Rom. XIII, 7.

§. II. Judæorum Doctoribus מוכסין dicuntur, a כסס, fupputavit, quod apud Arabes notat *tributum collegit*, & a גבאין *miniftris* feu exactoribus judicialibus differunt, fecus ac ANGELUS CANINIUS ad loca obfcura N. Teft. p. 70. exiftimavit, quem improvide fecutus eft IS. CASAUBONUS Exercit. XIII. num. XXXVII. p. 220. cum tradit, publicanos Syriaca voce appellari גבאין, cum tamen, qui in textu τελώνης eft, Syro מכסא vocetur.

§. III. Publicanorum ordine apud Romanos civitatis ornamentum, Reipublicæ firmamentum, & flos equitum continebatur, ut CICERO *in Oratione pro Planco* ait p. 565. Hi vectigalia certa argenti fumma redemerant, & pro honeftiffimis habebantur ac laudabantur. Ita Titius Flavius Sabinus, Vefpafiani Pater, nulla alia dignitate illuftris erat, nifi quod fuit ראש המוכסים publicanorum per Afiam princeps, quo munere tanto omnium applaufu functus eft, ut ftatuam ei ponerent cum hac infcriptione: ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Vid. SUETON. in Vefpaf. cap. I.

§. IV. De his in Evangelio agi; veri haudquaquam fit simile. Satis enim liquet, Matthæum, qui τελώνης dicitur, ex isto genere non fuisse. Neque Romani per se portoria exigebant, sed equites per libertos, & servos, ac sortis humilioris provinciales, qui rerum patriarum gnari erant, colligebant. Cum hi autem vectigalia vi sæpe extorquerent, ac πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον Luc. III, 13. *plus, quam jure debebatur*, postularent, factum est, ut famæ suæ notam maxime probrosam inurerent, odiumque gentis Judaicæ, libertati adsuetæ, incurrerent, ac ipsis etiam gentilibus displicerent, qui dicere solebant: πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. Ejusmodi ἁρπαγὴν, βίαν ac συκοφαντείαν sponte confitetur Zacchæus ὁ τελώνης Lucæ XIX. v. 8. inquiens: εἴ τινός τι ΕΣΥΚΟΦΑΝΤΗΣΑ, *si quid alicui per vim, fraudem & calumniam eripui*, κ. τ. λ. Inde dicebantur publicani βαρεῖς, βιαςαὶ & φορτικοὶ, & h. l. συκοφάνται. Quia nimirum mos iis erat, notante BEZA, suis latrociniis prætexere Reipublicæ commoda, & hoc obtentu ita impudenter prædari, ut si quis illorum rapacitati sese opponeret, injuriam sibi ac reipublicæ fieri clamitarent.

§. V. Ab hac hominum peste aliæ quoque provinciæ Romani imperii, præter Judæam, vexabantur & exhauriebantur. Refert DIO CASSIUS *Libr. XLII. p. 212.* Cæsarem, Pompeio victo, quæ restabant in Asia occupasse, beneficiaque in omnes contulisse, imprimis autem Asiam a publicanis, qui acerbissime eam habuerant, liberasse, & vectigalia in tributi formam redegisse. LUCIANUS *Pseud. Tom. II. p 448.* hominem injustum & sordidis artibus fraudem facientem dicit ΤΕΛΩΝΕΙΝ, *publicanorum more rapere & furari.* ARISTOPHANES *Equit. Act. I. Scen. I.* conjungit πανοῦργον *Versipellem*, καὶ ΤΕΛΩΝΗΝ, καὶ φάραγγα καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς *& Publicanum, barathrumque & rapinæ gurgitem.* Eam ob causam provinciæ in potestatem Romanorum redactæ, & a publicanis ac Præsidibus vexatæ de excutiendo jugo Romanorum leguntur serio cogitasse. Ita PLUTARCHUS in SERTORIO *T. I. p 581.* narrat, *Asiam* ἐνοχλουμένην ὑπὸ τῶν ΤΕΛΩΝΩΝ A PUBLICANIS VEXATAM, avaritiaque & contumeliis præsidiariorum militum pressam, ad spem erectam esse, & exoptasse exspectatam imperii conversionem. Videatur CORNELIUS ADAMI in *Exercit. Exeget. p. m. 469.* & in *Observat. Th. Phil. p. 142.* Easdem fraudes, rapinas, sycophantias & vexationes Judæi a publicanis tolerare cogebantur.

§. VI.

§ VI. Inde ratio reddi poteſt, cur Judæi cum publicanis noluerint converſari, edere, & bibere, & quam ob rem iſtud hominum genus pro ſceleſtiſſimis habuerint, ſicut ex variis Novi Inſtrumenti locis patet, ac trito illo & pervulgato Judæorum verbo ſatis indicatur, quum ajunt: אין לך ממשפחה שיש בה מוכס שהם כולם מוכסים: *ne contingat tibi* uxor *e familia, in qua ſit aliquis publicanus, quia omnes ſunt publicani*, id eſt. latrones ſcelerati & peccatores, ut h. l. Matth. IX, 10. nominantur. Vid. BUXTORFF. in Lex. Talm. voce מוכס. WILL. CAVE in Antiquit. Apoſtol. p. 555. IS. CASAUBONUS l. c. JO. CLERICUS in notis ad Hammond. in Matth. IX. v. 10.

XLIII.

VATICINIUM JEREMIÆ, IN JESU, TRIGINTA ARGENTEIS VENDITO, IMPLETUM,

Matth. XXVII. v. 9.

§. I.

Apud ſacros Nov. Teſt. Scriptores trita eſt hæc loquendi ratio, ut vaticinium aliquod πληρȣ̃σθαι *impleri* dicatur, ſi id, quod prædictum eſt, eveniat tandem. Hoc ab ANT. BYNÆO eleganter oſtenſum eſt in Libro de natali Jeſu Chriſti priore cap. II. §. XXVIII.

§. II. Eodem modo ſcriptum a Matthæo eſt, cap. XXVII. 9. 10. τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίȣ τȣ̃ προφήτȣ, λέγοντος· καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τȣ̃ τετιμημένȣ, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τȣ̃ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος.

§. III. Hoc vaticinum hodie apud Zachariam, cap. XI. v. 12. non autem apud Jeremiam, quem Matthæus tamen allegavit, & cujus nomen omnes Græci codices agnoſcunt, exſtat. Idem *Jeremiæ* nomen Arabs, Æthiops, Evangelium Ebraicum Matthæi, interpres vetus, & HIERONYMUS in ſua editione, CHRYSOSTOMUS quoque, & THEOPHYLACTUS, aliique plures, expreſſum habent. Et hic eſt ille ſcrupulus, qui tot eruditiſſimos interpretes omni tempore miſere vexavit, & ad

ad quem eximendum, tot opiniones excogitatæ sunt, ut illis vel recensendis impares nos agnoscamus.

§. IV. AURELIUS AUGUSTINUS, Hipponensium olim Antistes, in libro de consensu Evangelistarum tertio, cap. VII. existimavit, scriptorem sacrum memoria lapsum Jeremiæ nomen pro Zachariæ posuisse, ipsomet Spiritu S. mentem illius sic moderante, ut innueretur, omnes olim Prophetas uno eodemque Spiritu actos fuisse. Hanc AUGUSTINI sententiam amplexi sunt venerabilis BEDA, JO. GERSON, & Auctor glossæ, quæ dicitur ordinaria.. Nec GLASSIUS noster *in Phil. Sacra L. I. Tr. II. p. 221.* TH. BEZA & ERASMUS in h. l. ab hac opinione alieniores sunt. Certe NORTHONUS KNACHTBUL non dubitat, quin fuerit ἁμάρτημα μνημονικὸν admissum, propterea putat, AUGUSTINI sententiam temere explodendam haut esse.

§. V. Quidam nomen Ἱερεμίȣ ex margine in contextum irrepsisse suspicantur, idque propter compendium Scripturæ non intellectum, cum scilicet adscriptum esset ζȣ, id est, ζαχαρίȣ, lectum esse ἰȣ, id est, ἱερεμίȣ. Ipsum enim Matthæum Evangelistam, ut alibi sæpe, ita etiam hoc loco tantum scripsisse διὰ τȣ̃ προφήτȣ, quod Matthæo nostro non inusitatum esse ajunt, & hoc cumprimis loco eo facilius credi queat, quia Syrus vetustissimus interpres *Jeremiæ* nomen non habet. Ita CASPAR WASERUS *de antiquis numis Ebr* L. II. cap. XV. TH. BEZA & JO. PISCATOR conjectarunt, sed satis temere & audacter. Etsi enim hic Evangelistæ mos est, ut Scripturas laudaturus nullum expresse Prophetam nominet, id tamen non semper, sed interdum facit. Aliquoties enim Esaiæ & Jeremiæ nomina expressit. Conf. Matth. II, 17. III. 3. IV. 14. VIII. 17. XII. 17. Nec juvantur Syri pervetusti interpretis auctoritate, qui nullum hoc loco Prophetam nominat. Nam illi omnium Græcorum codicum ab antiquissimis inde temporibus consensus opponi potest. Causa omissi a Syro Jeremiæ nominis hæc forte fuit, quia constabat, in libris Jeremiæ hoc vaticinium nusquam reperiri.

§. VI. DESID. ERASMUS in h. l. FRANC. JUNIUS, & GER. JO. VOSSIUS, Viri citra controversiam eruditissimi, aliam reddunt extricandæ quæstionis rationem, creduntque Zachariam binominem fuisse, atque aliter dictum Jeremiam, *eo nempe modo, quo pater Zachariæ illius, inter altaria, sicut*

Evan-

Evangelista refert, interempti, & Barachias & Joiadas, videtur nuncupatus: priori enim nomine vocat Matthæus XXIII. 35. altero nominatur 2 Chron. XXIV, 21. Vid. I.G. Vossii Harm. Ev. L. II. cap. III. § XXIII. Elegans hæc conciliandi ratio esset, omniumque applausu digna, si certis idoneisque argumentis confirmari posset. Sed cum laudati viri id duntaxat ariolentur, non vero probent, Zachariam binominem fuisse, quis credat, Matthæum *Zachariam* nomine suo minus trito & noto citasse? Præcipue cum audito vel lecto in Scripturis Jeremiæ nomine nullus alius intelligatur, & concipiatur, quam ille Propheta, qui ante prioris templi excidium vixit, & ab Esaia, in ordine hodie recepto, secundus est.

§. VII. Sententia CASP. SANCTII, DAN. HEINSII, aliorumque, qui testimonium hoc, quod sub solo Jeremiæ nomine citatur, altera sui parte ex Jeremia, & altera ex Zacharia coaluisse putant, nobis itidem improbatur. Ex Jeremia enim nihil afferri potest, quod similitudinem cum hoc Matthæi textu habeat, & cum scopo Evangelistæ conveniat. Nam ea, quæ apud Jeremiam in capite secundo & trigesimo occurrunt, contorta, dura & valde aliena sunt ab iis, quæ Matthæus narrat, si agri emtionem, quæ longe alium habet finem, excipias. In capite autem decimo octavo Jeremiæ præter figuli nomen nihil est, quod commode huc trahi queat.

§. IIX. Nonnulli totam rem ad exscriptorum oscitantiam referunt, qua evenerit, ut Jeremiæ nomen extruderet nomen Zachariæ. Opinionem hanc P. D. HUETIUS nuperrime defendendam suscepit *in Dem. Ev. Prop. IX. cap. CXXV. p. 983. Nam cum propria nomina contrahere librarii soleant, illa Jeremiæ & Zachariæ sic videntur expressisse* Ἰρίας, Ζρίας: *in his proclive fuit primam nominis utriusque literam permutare: nam primam in* Ἱερεμίας *non pusillam & brevem pingebant, quemadmodum nunc typographi, sed productam & bene longam: primam vero in* Ζαχαρίας, *non semper ita sinuatam & contortuplicatam, uti in libris editis hodie pingitur, sed a summo ad imum satis directam, paululum inflexam, & prominentem in medio, ansulam in vertice gerentem: quæ si parum accurate notata erant, ζ in ι facile degenerabat.* Hoc fassuros esse HUETIUS credit, qui græca exemplaria versare consueverint. Ergo apicis similitudine deluso imperito & supino librario, quod uni aut alteri codici inhæserit vitium, in alios ita propagatum esse, ut universis propemodum, ac interpretationi-

 bus

bus deinde, insolesceret, contendit. Nos solutionem hanc vel violentam potius nodi scissionem ut audacissimam, injuriamque in verbi Divini integritatem & auctoritatem damnamus & detestamur. Nam si Scripturas diviniores regulis Criticis tam temere subjicere, si refingere eas, & quæ displicent, impune & pro lubitu immutare licet, quid integrum, quæso, quid intactum manebit? quid discriminis amplius erit inter divina oracula & profana veteris Græciæ Latiique monumenta, quæ Critici horum temporum majori in honore habent, & reverentius tractant, quam Sacras literas fidei morumque normas? Si in veterum auctorum descriptione peccatum est ab imperitis librariis, aut ex scribendi compendio, aut ex memoriæ lapsu, regulæ Critices requirunt, ut illud antea gravissimis ex indiciis patefiat, quam textus emendetur, scriptionisque mendum tollatur. Ast hoc in loco ne mendi quidem suspicio est. Video jam ab ORIGENIS inde tempore in hoc tollendo dubio occupatos fuisse interpretes, quo labore supersedere potuissent, si quædam exemplaria melioris notæ non habuissent Jeremiæ nomen. Nam in omnia Scripturæ sacræ exempla, quæ summa animi religione in veteri Ecclesia custodiebantur, unius exscriptoris error manare non potuit. Nec dubium est, quin, si irrepsisset forte error, animadversus paulo post, sublatusque fuisset. Taceo, conjecturam HUETII perquam levem esse, qua suspicatur, errorem ex certo scribendi compendio esse ortum. Nam incertum est, an nomina propria olim per compendia scripta fuerint, sicut numerorum notæ hodienum solent exarari.

§. IX. JOANNES LIGTFOOTUS idoneam in Ebræorum monumentis rationem invenisse sibi visus est, quo omnis difficultas tolli possit. Censet enim a MATTHÆO non tam prophetiam Prophetæ hujus nominis, quam totum omnium Prophetarum volumen intelligi, a primo Propheta JEREMIA olim denominatum, eum fere ad modum, quo *Hagiographa* a Psalmis, parte potiori, nominentur Luc. XXIV, 44. Præbuit ei occasionem sic sentiendi prisca Ebræorum consuetudo, qua JEREMIAS in volumine Prophetarum primum locum obtinuit, & ipsi ESAIÆ prælatus est. Post Talmudicos *in Bava Bathra fol. 14. 2.* hunc ordinem in suis commentariis super libros Biblicos, quos נצחון inscripsit, observat R. LIPMANN, aliique. Cum igitur certum sit, Jeremiam inter Prophetas posteriores principem locum olim obtinuisse, exinde factum esse opinatur LIGTFOOTUS, ut MATTHÆUS, textum Zachariæ sub

ſub nomine JEREMIÆ proferens, verba e volumine Prophetarum citaret tantum, ſub iſtius nomine, qui primum locum tenuit in numero Prophetarum. Idem JO. SAUBERTO viſum eſt in *Var. Lection. ad Matth. XXVII. 9.*

§. X. Ordo Prophetarum, quo LIGTFOOTUS, vir Hebræarum antiquitatum peritiſſimus, in ſolvendo nodo cumprimis nititur, non eſt antiquiſſimus, nec a magno Judæorum ſenatu introductus, ſed ſequioribus demum ſeculis ſine urgente ratione adſumtus. Idcirco ipſi hodierni Judæi traditionem hanc parvi faciunt, & vehementer impugnant, quemadmodum ex ABARBENELE & KIMCHIO erudite oſtendit JO. FRISCHMUTHUS in Diſſert. in vaticinium Zachariæ cap. XI v. 12. 13. cap. III. §. X. XI. Nam ſicut ESAIAS JEREMIA antiquior eſt, ita recte eum antecedit. Idem eſt ordo apud LXX. Seniores Græcos, & in omnibus librorum ſacrorum catalogis. Denique etſi evidenter demonſtratum eſſet, JEREMIÆ primum locum inter Prophetas deberi, & olim etiam tributum eſſe, illud tamen adhuc dubium incertumque maneret, an in citandis locis ex Propheta quodam obtinuerit hæc conſuetudo, ut is duntaxat nominaretur, qui primus foret? Contra certum eſt, ESAIAM aliquando citari ab Evangeliſtis & expreſſe nominari. Cur autem pro eo non ſemper allegatur JEREMIAS? Hæc omnia indicio ſunt, LIGTFOOTI conjecturam eruditam magis & acutam, quam veram eſſe.

§. XI. Ita vero vix apparet, ubi pedem figamus, cum dubii difficultas eruditiſſimorum virorum conatus eludat. ANT. BYNÆUS, poſtquam *Libr. II. de morte Jeſ. Chriſti*, cap. VIII. omnes fere interpretum opiniones recenſuerat, & expenderat, nihil aliud habet, quam ut cum JO. CALVINO dicat: *Quomodo Hieremiæ nomen obrepſerit, me neſcire fateor, nec anxie laboro. Certe Hieremiæ nomen errore poſitum eſſe pro Zacharia, res ipſa oſtendit: quia nihil tale apud Hieremiam legitur, vel etiam quod accedat.*

§. XII. Reſtat H. GROTII ſententia *in h. l.* quæ & commodiſſima eſt, & tutiſſima, atque ad rei ipſius veritatem quam proxime accedit, qui putat, hoc vaticinium ab Jeremia primitus prolatum, ſed non relatum ab eo in prophetiam, verum memoria hominum conſervatum & tandem per Zachariam θεόπνευστον repetitum eſſe, & in codicis Scripturæ N. T. canonem redactum a Mat-

a Matthæo. Huc certe ipse Evangelista respicere videtur, cum ait: τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίȣ τȣ̃ προφήτȣ λέγοντος, *Tunc implebatur, quod dictum est per Prophetam Jeremiam* DICENTEM. Quamvis autem τὸ ῥηθὲν interdum occurrat, cum Scriptura allegatur, tamen hic stricte adhibitum esse, dubitari nequit, cum tale vaticinium allegetur, quod in citato Propheta non extet. Vid. CALOVIUS *in Bibl. illustr. in hunc locum f. 451.* qui nostræ sententiæ accedit. Ergo vaticinium hoc respectu primæ revelationis est Jeremiæ, respectu secundariæ revelationis & scriptionis est Zachariæ. Nec desunt alia hujus generis exempla. Ita quod Jannes & Jambres fuerint magi in Ægypto, id Moses nuspiam revelavit, sed Ebræi prisci atque Chaldæus ex traditione, aut veterum scriptis habuerunt, unde Paulus II. Tim. III. 8. divino excitatus Spiritu Scripturæ Canonicæ intulit. Eadem ratione vaticinium Enochi ad sua usque tempora conservatum commemoravit Judas v. 14. 15. Puto proinde cum B. DORSCHEO, *aut dicendum esse, verba illa* διὰ Ἱερεμίȣ *abundare, & delenda esse, aut dicendum id, quod Grotius dicit* in *Commentario in IV. Evangel. nuper edito h. l. p. m. 434.* Hæc enim sententia non infert textui corruptelam, & relinquit Canonico scriptori tam Veteris, quam Novi Test. suam auctoritatem & fidem.

§. XIII. Insigni hac difficultate sublata alia restat haut minoris momenti. Verba enim apud Prophetam Zachariam a verbis Evangelistæ prorsus aliena videntur. Nam apud Zachariam l. c. Propheta divino jussu accepit siclos & conjecit illos in domum Domini ad figulum: apud Matthæum vero Judas proditor eos in templum projecit. Et quamvis inter utrumque textum quædam similitudo sit, & sensus non multum discrepet, tamen & ordo & verba diversa sunt, sicut jam olim judicavit B. HIERONYMUS *in Comment. in Matth. cap. XXVII. 9.* Multi, ut tollerent difficultatem, textum ipsum solicitarunt, pro ἔδωκαν legerunt ἔδωκα *dedi*, & ἔλαβον exposuerunt *accepi*, non *acceperunt*, quem in sensum SYRUS etiam vertit, sed contra omnium Græcorum codicum consensum. Omnis difficultas tolli potest, si observetur, Matthæum non verba & syllabas aucupatum esse, sed sententias dogmatum posuisse, & sensus magis quam verborum rationem habuisse, qui Zachariæ vaticinio optime respondet, maximumque typi & antitypi arguit consensum. Vid. FRISCHMUTHUS l. c. DORSCHEUS l. c. ANT. BYNÆUS l. c. p. 480.

XLIV.

XLIV.

PRÆMIA CHRISTI DISCIPULIS ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ CONFERENDA ad Matth. XIX. 28.

§. I.

SErvator ſodalibus ſe ſecutis perampla præmia promittit ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ conferenda Matth. XIX, 28. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. Petrus gloriabatur, ſe ac ſodales omnia ſua bona Chriſti cauſa reliquiſſe. Sibi igitur ob hanc omnium facultatum abdicationem non exigua præmia deberi opinabatur. v. 27. Servator ſanctiſſimus Petri opinionem emendaturus, monet, non bonorum derelictionem, quæ parvi ſit momenti, & qualem jacturam homines ambitioſi & Philoſophi, qualis CRATES fuit, haut illubenter ſint ſubituri, ſed ſolum ἀκολουθεῖν τῷ χριστῷ attendendum & remunerandum eſſe, & quidem ἐν τῇ ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΙ. Quibus verbis præmii conferendi tempus inſinuatur.

§. II. Non deſunt, qui hæc verba referunt ad antecedens ἀκολουθήσαντες, τὴν παλιγγενεσίαν exponentes de eo tempore, quo Chriſtum ſequuti Apoſtoli regenerati, & Spiritus S. collatione inaugurati novam vitam ingreſſi ſunt. Ita ut non *tempus* præmii diſcipulis tribuendi, ſed *modus* Chriſtum ſequendi, indicetur, nimirum *in regeneratione*, poſt quæ verba demum in multis codicibus Græcis στιγμὴ comparet. Hanc diſtinctionem nonnullæ Verſionis Vulgatæ editiones, ac illa ipſa, quæ in Polyglottis Anglicanis exſtat, exhibent. Eandem apud GAUDENTIUM Præfatione in *Exodum* reperiri, TH. GATTAKERUS obſervavit, & HILARIUS ad h. l. ſecutus eſt interpretatione ſua, quando τὴν παλιγγενεσίαν *de regeneratione baptiſmi, & fidei ſanctificatione* expoſuit. Cui diſtinctioni & opinioni inhæſerunt JO. CALVINUS ad h. l. ARETIUS h. l. LIGTFOOTUS h. l. & JO. HENR. MAIUS in *Harmon. p. 1378.* nec non Celeb. Vratislavienſium ſacrorum Antiſtes CASPAR

NEUMANNUS im Licht und Recht *p. 270 & 272.* Quam quidem interpretationem licet Cl. Theologus GOTHOFR. OLEARIUS *in Observat.* S. *ad h. l. p. 539.* pro absurda non habeat, neque pro impossibili plane, rationem tamen esse putat, cur pro minus probabili merito habeatur. Nempe manifestum esse putat, Christum hic considerare statum præsentis mundi, suorumque discipulorum in eo conditionem. At enim vero manifeste oppositionem importare vocem παλιγγενεσίας existimat, quæ statum notet, qua reformatis rebus omnibus, atque alio ordine positis, alia quoque sua, & una secum discipulorum suorum conditio futura sit.

§. III. Rectius proinde verba hæc ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ad sequentia referuntur, posito commate post voces ἀκολουθήσαντές μοι ad denotandum illud temporis discrimen, quo nova sit futura Ecclesiæ facies, & quo Apostoli sui in Christum studii, obsequii & laborum præmia sint reportaturi. Hanc præmiorum collationem his in terris post Christi resurrectionem factam esse, & in gubernatione Ecclesiæ constitisse, nonnulli opinantur, secuti, ut videtur, MACARIUM, qui *Homil. VI.* propositis textus nostri verbis, vaticinium hoc impletum esse ait ἐπὶ τῆς γῆς, ὅτε ὁ κύριος ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν, *in terra, quando Dominus assumtus est in cœlum.* Illo enim tempore, gentilibus in Ecclesiam receptis, τῷ μεσοτοίχῳ ceremoniarum & sacerdotii Judaici sublato gentilibus & Judæis in καινὴν κτίσιν conversis novum seculum constitutum, & *nova facta esse omnia* 2 Corinth. V, 17. Insignem hanc mutationem per τὴν παλιγγενεσίαν hic indicari putarunt viri præstantissimi CAMERO, *Op. p. 10.* H. GROTIUS ad h. l. HENR. HAMMONDUS h. l. SALOMON VAN TILL h. l. nec non HERM. ALEX. ROELL *sui Commentarii in Principium Epistolæ ad Ephesios p. 48.* ubi hanc παλιγγενεσίαν interpretatur de nova generatione seu innovatione post φθορὰν seu corruptionem. Hoc sensu Stoicos ea voce usos esse. Talem autem mundi innovationem accidisse post Christi glorificationem, quando non tantum reformatio facta in doctrina & moribus, inter Judæos & gentes, sed & nova plane mundi facies & σχῆμα introductum 2 Cor. V, 17. Factum illud per destructionem & conflagrationem templi & urbis Hierosolymitanæ, totiusque Reipublicæ Judaicæ, & cultus Mosaici per rejectionem Judæorum, vocationem gentium, & Evangelii Christi doctrinæ-

que

que & religionis Christianæ per totum mundum prædicationem. Unde innovatio illa *novi cœli & novæ terræ* nomine veniat in Scriptura. De illa mundi conflagratione & παλιγγενεσίᾳ Petrum loqui 2 Petr. III. putat ROELLIUS noster. Christum certe per παλιγγενεσίαν hic illam rerum innovationem intellexisse, inde evidens esse censet, quod Lucas eam explicet per βασιλείαν, *regnum Christi*. *Regnum* autem *Christi*, *regnum* DEI, *regnum cœlorum* nihil aliud significare, quam statum illum Ecclesiæ, in quo Christus jam collocatus in throno suo, & sedens ad dextram Majestatis in cœlis, solus regnat per verbum Evangelii, & Spiritum gratiæ sub N. Test. Quando ergo Christus Apostolis dicit, *sedebitis & vos in duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Israel*, clare alludi ad Phylarchas inter Judæos, eorumque dignitatem, qui Regi erant proximi, & cum iis Apostolos, qui Christo Regi erant proximi, eorumque dignitatem conferri. Posse ergo per *duodecim tribus Israel* vel ad literam intelligi *Israelem secundum carnem*, ab Apostolis nomine Christi judicatum; tum etiam Ecclesiam ex Judæis & gentibus collectam, quandoquidem, destructo pariete intergerino, ex utrisque factus est unus novus homo, omnesque constituti sanctorum cives, & domestici DEI, Ephes. 2. Hanc ROELLII opinionem paulo prolixius recensuimus, ut lectores quibus ejus commentarius ad manus non est, eo rectius de ea judicare possint.

§ IV. Mihi, ne quid dissimulem, pererudita & ingeniosa videtur expositio Roëlliana. Impetrare tamen a me non possum, ut illi subscribam, hoc impeditus potissimum ac suffultus argumento, quod Servator clare loquitur de tempore remunerationis, & de præmiis, post exantlatos labores Apostolis retribuendis. Prædicitur propterea ἡ παλιγγενεσία, hoc est tale tempus, quo nova sit futura rerum facies seu omnium rerum immutatio, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς κ. τ. λ. Quorum verborum sensus multo amplior est, quam ut de regno gratiæ in hoc mundo exponi possit, ubi non erat tempus quietis pro Apostolis, sed vexationis, non præmii & remunerationis, sed laboris & operationis, non triumphi, sed militiæ, non gloriæ, sed afflictionis. miseriæ & contemptus, ubi Christi discipuli in universum terrarum orbem emissi pro abjectissimis habiti, & θέατρον sive δρᾶμα θεατρικὸν, mundo, & Angelis atque hominibus facti, super thronis magnificis nequaquam sedisse, & incredulos Israelitas judicasse, censeri possunt. Aliud

igitur, idque multo lætius expectandum erat tempus, quo exantlatorum laborum præmia reportaturi essent. Illud τῆς παλιγγενεσίας tempus D. AUGUSTINUS *Libro XX. de C D Capite V. & ad Pelag. Epistol. L. 3. Cap. 3. novissimam resurrectionem* vocat. Qua in re secum consentientes habet ex Græcis THEOPHYLACTUM h. l. & EUTHYMIUM h. l., ex Latinis HIERONYMUM h. l. GREGORIUM M. *Libr. IV. Moral.* Cap. 23. ex recentioribus TIRINUM, h. l. JANSENIUM in *Concord. Evangel. Cap. C* SACY h. l. NATAL. ALEXANDRUM aliosque. Sane hac significatione multi veterum vocem παλιγγενεσίας olim usurparunt. Videantur EUSEBIUS *H. E L. V. Cap. 2. f. 165* & SUICERUS in *Thesauro Eccles. T. II. sub hac voce f. 551.* ATHANASIUS *Quæst. XXIV. ad Antiochum T. II. f. 339* ait ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ *omnes resurrecturos esse, ut unus homo.* Quod hic vocat παλιγγενεσίαν paulo post eodem loco vocat ἀνάστασιν.

§. V. Nobis magis probatur sententia eorum, qui παλιγγενεσίαν hanc sensu ampliori exponunt de totius universi in die novissimo renovatione, quando *cælum novum*, *nova terra*, *ac omnia erunt nova*, secundum delineationem Joannis Apocal. XXI. Hæc παλιγγενεσία Christo hic nil aliud est quam ἡ τῶν πάντων ἀποκατάστασις Petro commemorata Act. III, 21. cujus innovationis pars est restitutio mortuorum per resurrectionem. Hæc enim initium erit, & magna pars hujus παλιγγενεσίας & ἀποκαταστάσεως πάντων, qua facta, Apostoli in judicio extremo erunt σύνθρονοι, testes & assessores Christi, universum terrarum orbem, singulatim duodecim tribus Israel, judicaturi. Hac significatione παλιγγενεσίας vocem, ex doctrina Stoicorum, & imprimis ex scholis Platonicorum petitam, & in prima statim ac Apostolica Ecclesia receptam. frequenter usurparunt veteris Ecclesiæ Doctores. Ita CLEMENS ROMANUS, Vir Apostolicus, in priori ad Corinthios epistola *p. 13 Noëm* ait *per ministerium suum* παλιγγενεσίαν *mundo* prædicasse, hoc est, ἀποκατάστασιν πάντων. BASILIUS CÆSAR. *Homil. I. in Hexaemeron p. 6.* τὴν παλιγγενεσίαν αἰῶνος explicat per συντέλειαν τοῦ κόσμου. Alia veterum loca videantur in SVICERI *Thesauro l. c. p. 552.* nec non apud THOMAM GATTAKERUM *Adversar. Sacr.* Cap. XXXIII. THOMAM BURNETIUM in *Theoria Telluris L. IV. Cap. V.* & apud antea laudatum GOTTFR. OLEARIUM in *Obs S. p. 541 & 542.*

Inde

Inde manifestum erit, veterum plerosque per τὴν παλιγγενεσίαν a Christo hic commemoratam vel mortuorum resurrectionem, vel plenam omnium rerum innovationem in die novissimo intellexisse.

§. VI. Neque in eo consentientes nos habet ROELLIUS, quando ultimum Christi adventum ad judicium universale, & ad excidium totius universi a Petro prænunciatum, atque descriptum, 2 Petr. III. de judicio particulari a DEO in Judæos incredulos exercendo, destruendaque eorum Republica & politia Ecclesiastica interpretatur, & *cœlum novum ac terram novam*, in qua *justitia* dicitur *habitatura v. 13.* intelligit tantum de Oeconomiæ Mosaicæ innovatione, quam Christus appellarit τὴν παλιγγενεσίαν. Quæ opinio etsi ante ROELLIUM a viris doctissimis in Anglia, a LIGTFOOTO *Op. Parte II. in Chron. Temp. f. 116.* ab OWENO *in Theolog. L. III. Cap. I. p. 147.* & GUIL. CAVEO in *Vita Apost. Petri Cap. X.* §. *VI.* ex parte etiam ab HENR. HAMMONDO *ad h. l.* prodita & propugnata fuit: manifesta tamen est στρέβλωσις verborum Petri, quippe qui diserte docet, illusores istos, spem credentium de adventu Domini irrisuros, *non venisse*, sed venturos demum esse ἐπ' ἐσχάτε τῶν ἡμερῶν *extremo tempore* mundi, non Oeconomiæ veteris, cujus finis jam aderat perinde ac excidium Reip. Judaicæ, in qua illo tempore, quo Petrus hanc Epistolam exarabat, funestum illud bellum jam exarserat. In qua sententia suffragatores habemus viros doctrinæ temporum peritissimos PEARSONUM *in Annal. Paulinis p. 25.* PAGIUM in *Critica* ad Annales BARONII Anno LXVIII. TOYNARDUM in LACTANTIUM *de Mortibus Persecut. p. 34.* PAPEBROCHIUM, aliosque. Præterea clarum est, Petrum loqui de cœlo & terra ejusdem generis, cujus fuerunt cœli, sermone DEI producti, & terra aquis diluvii mersa. Illud cœlum, & illa terra, quæ olim fuerunt ante diluvium, hoc est, cœlestis & terrestris mundi machina opponitur a Petro *cœlo & terræ, quæ nunc sunt*, h. e. *cœlis*, quos oculis corporeis adspicimus, & *terræ* cui pedibus insistimus. Hos cœlos, hanc terram, nequaquam autem Oeconomiam Mosaicam, Apostolus, plano ac epistolari stilo usus, dicit destruendos, & quidem non repente, sed post demonstratam DEI μακροθυμίαν *v. 15.* ac *tarditatem* adventus, quam nonnulli βραδύτητα appellabant, *vers. 9.* post Evangelium in universo terrarum orbe prædicatum ac post resipiscentiam peccato-

 rum

rum diu expectatam, cum DEus eorum nullos velit perire. Quis, quæso, hic cogitaret de adventu Christi ad destruendam Remp. Judaicam? Quis καινὸς ὀρανὸς καὶ γῆν καινὴν, cœlo & terræ Christi adventu destructis, successuram interpretaretur de nova Ecclesiæ Oeconomia? Videantur JO. CLERICUS ad HAMMONDI Commentarium h. l. CAMP. VITRINGA *in Observat. S. Libr. IV. p. m. 1082.* & JO. GERHARDUS *in Commentario ad h. l. p. m. 437.*

XLV.
DE VELI SCISSIONE,
Matth. XXVII. v. 51.

§. I.

QUando Matthæus cum Marco dicit, quod τὸ καταπέτασμα τῦ ναῦ ἐσχίσθη εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω, & Lucas affirmat, quod τὸ καταπέτασμα τῦ ναῦ ἐσχίσθη μέσον, cogitandum est de velo interiori, quod Sanctum sanctorum a sancto separavit. Nam velum exterius, quod illi tabernaculi parti, quæ *sanctum* vocabatur, oppansum fuit, appellabatur a Mose מסך, a LXX. Græcis ἐπίσπαςρον: interius vero, Sancto sanctorum oppansum, פרכת, & a LXX. Interpretibus καταπέτασμα vertitur. Prius a PHILONE κάλυμμα: posterius καταπέτασμα, nomine eo tempore valde usitato, vocatur. Cum igitur Evangelistæ καταπέτασμα τῦ ναῦ commemorent, absolute positum, sine addito τοῦ δευτέρυ, quid aliud intelligi potest, quam velum illud interius atque nobilius, quod a LXX Senioribus, quos Evangelistæ atque Apostoli ubique fere secuti sunt, discriminis causa, dudum ita appellatum erat. Idem GER. JO. VOSSIO, H. GROTIO, ANT. BYNÆO, B. nostro GERHARDO, aliisque visum est. Contra sentit BERNARDUS LAMIUS in Delineatione Templi Hierosolymitani, quem confutavit GOTTFR. OLEARIUS *in Observat. ad h. l. p. m. 737 & 739.*

§. II. Ingens fuit miraculum, hoc templi velum, ex hyacintho, coccino, purpura, bysso, opere Phrygionico contextum, sponte nullaque humana vi, in duas partes a summo ad imum scissum esse, si præsertim, ut Rabbini affirmant, densitas ejus *palmus*

עביך,

עבין טפח, sive quatuor digitorum fuit. Nonnulli in ea versantur opinione, duplex velum ante Sanctum sanctorum oppansum fuisse, ita ut hæc duo vela inter se distarent spatio unius cubiti, cujus cubiti crassitiem paries habuisse putabatur, qui in Templo priori ante Sanctum sanctorum erat. Cum enim Judæi e Babylonia reversi, Templum secundum exstruerent, & dubitarent, qua proportione, quove pacto spatium ejus muri immissum in Sanctum sanctorum fuisset, eaque res decidi nequiret, vice muri oppansa fuerunt duo vela, inter quæ spatium unius cubiti, quod טרקסין τάραξις vocatur, erat. Tota traditio Judæorum fide nititur. Eam MAIMONIDES refert in *Halacha Beth Happechira cap. IV.* & ex eo LIGTFOOTUS *Hor. Hebr. & Talmud. in Matth. XXVII 51.* Etsi autem MATTHÆUS non dixit καταπετάσματα, id est, utrumque aulæum ad adytum appensum, rupta esse, tamen non est, ut opinemur, alterum tantum ex his duobus velis scissionem fuisse passum. Nam duo hæc vela unum velum vocabantur (καταπέτασμα) quia uni loco erant oppansa. Satis etiam Evangelistis fuit, significasse, ruptum fuisse intergerinum istud repagulum, a quo obsepiebatur Sanctissimum, ut a conspectu, & ab aditu tutum esset.

§. III. Ruptum est velum, cum Christus exspirasset, hora IX. sive secundum nostram computandi rationem, hora III. pomeridiana. Solebat autem juge sacrificium vespertinum mactari circa dimidium horæ nonæ, & offerri hora dimidia decima. Secundum Tr. Mischnicum פסחים de *Paschate* Cap. V. §. I. Idem docet MAIMONIDES de *Juge Sacrificio Cap. I.* §. III. Itaque eodem fere tempore moriebatur Christus, agnus DEI, quo agnus vespertinus in juge sacrificium quotidie offerendus erat: quemadmodum eodem fere tempore cruentas perpessiones auspicabatur, quo agnus, in juge sacrificium matutinum mactandus, offerebatur. Forte in *sancto* templi, eodem momento, quo aulæum scissum est, Sacerdos adfuit, lampades accensurus, & suffitum ista vespera facturus. Cum enim sanguis juge sacrificii vespertini adspergeretur, quod fiebat hora dimidia decima, tunc incendebantur lampades vespertinæ in candelabro sacro, juxta *Mischnam de Juge sacrificio Cap.* VI. §. I. Si igitur illo tempore Sacerdotes in templo fuerunt, ut veri valde sit simile, procul dubio summa cum consternatione veli rupturam intuiti sunt, egressique populo nunciarunt: ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ. Conf. LIGTFOOTUS l. c. p. m. 496.

§. IV.

§. IV. Exinde non obscure intelligitur, occultam quandam significationem veli scissioni inesse. Quemadmodum *sanctum sanctorum* ἀντίτυπον τῶν ἀληθινῶν, *exemplar veri* fuit Ebr. IX. 24. ita recte existimatur, insigne argumentum expiationis per Christum partæ, in hac veli laceratione esse. Pie pariter ac erudite observavit JACOBUS ALTINGIUS, *in Commentario ad Hebr* IX. *v. 8. Tom.* IV. *Op. f. m. 257.* velum Sancto sanctorum obtensum, figurasse, peccata ad instar intergerini parietis, aditum ad DEum intercludere peccatoribus. Sed in solenni expiationis die, fuso sanguine hirci piacularis, Sacerdoti summo in adytum intraturo, cessisse velum, introitumque patuisse, ut factam expiationem repræsentaret coram DEO. Attamen, quia sic non vere, sed in figura duntaxat, expiabatur peccatum, egrediente sacerdote, redibat velum in locum, & ad usum priorem, arcens ab accessu in adytum. At postquam Christus expiationem in cruce consummasset, iturus in sacrarium cœleste, ut sanguinem expiatorium ibidem exhiberet, non cessit ad tempus velum, sed scissum laceratumque fuit, manu non humana, sed divina, tanquam nullius usus posthac futurum, redemtione, a Christo impetrata, æternum valitura. Hæc H. WITSIO *Tom.* I. *Miscell. L.* II. *Diss.* II. §. XCIII. *p. 513.* tam pulcra, tam erudite observata videntur, tam ad illustrandam DEI in institutis & operibus suis sapientiam facientia, ut in suis non minus, quam CL. ALTINGII scriptis, legi cupiverit. Et certe Altingiana hæc observatio nobis etiam non indigna videbatur, quæ hoc in loco legeretur, mentique quam altissime infigeretur. Cogitari præterea potest, velum, quod sanctissimum adytum occludebat, & quosvis a conspectu, adituque arcebat, ideo scissum fuisse, ut indicaretur, jam morte Christi cœlum, cujus figura sanctissimum erat, patefactum, ritibusque Leviticis finem impositum esse. In hanc sententiam veli scissionem in morte Christi factam exposuit PHOTIUS *Epistola* CXXV. *p. m* 166. Idem subindicasse videtur Apostolus Eb. VI. 19. 20. Denique hunc ipsum cultus Divini locum brevi per Romanos pandendum, DEoque immania Judæorum scelera vindicante, exscindendum, delendumque esse. Eam in sententiam præter THEOPHYLACTUM, EUTHYMIUMQUE, eleganter commentatus est PAULINUS in *Panegyrico*, de obitu Celsi pueri, ad Pnevmatium & Fidelem, parentes:

Tunc

Tunc & discusso nudata altaria velo
Amisere sacri religionem adyti;
Ut monstraretur vacuandum Numine templum,
Et fore ab hostili sancta profana manu.
Quod duce Romano docuit post exitus ingens,
Eversis templo, civibus, urbe, sacris.

§. V. Viro eruditissimo GOTTOFREDO OLEARIO ad h. l. parum verisimile visum est, id, quod peccatorum typum habet, locum sanctissimum attigisse, quæ ALTINGII l. c. fuit opinio ab H. WITSIO, ANT. BYNÆO & a nobis ipsis laudata antea ac probata. Sed maluit Apostolum sequi Hebr. X. 20. docentem, velum Templi interius habuisse figuram carnis Christi, lacerandæ, & removendæ, ut per eam ipse laceratam in cœlum, cujus figuram sanctum sanctorum habuit, ingrederetur ad expiationem per oblationem suam & intercessionem consummandam. Qua interpretatione suppeditari putat elegantem plurium aliarum repræsentationum, typo illo factarum, nexum atque conjunctionem. Christo enim per velum laceratæ carnis in Sanctum Sanctorum, hoc est cœlum, ingresso, nobis per idem viam aditum patere ad thronum gratiæ: patere accessum in cœlum, quo ille præcursor pro nobis intrarit, quippe qui participes simus corporis ejus lacerati & in mortem traditi, per quod, tanquam velum ipse intrarit, Hebr. IV. 21. VI 20 Imo jam tum patere conspectui nostro cœlestia bona, quæ, dum velum corporis Christi scissum nondum esset, velut intus latebant, absconditis in ipso thesauris *sapientiæ & intelligentiæ*, bonisque, quæ oculus non vidisset, & quæ propterea *seculorum ænigmata* a Psalte dicantur, Psalmo LXXIIX.

XLVI.
CUR CHRISTUS NULLA MIRACULA NAZARETHÆ POTUERIT PATRARE? Marc. VI. 5.

§. I.

LOquendi formula, qua Marcus de Christo usus est, cum dixit: *οὐκ ἐδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, non potuit illic*, nempe Nazarethæ, *virtutem ullam edere, nisi quod cum*

paucis ægrotis imposuisset manus, sanavit eos, meretur, ut accurate expendatur, & ab adversariorum injuriis, atque execrandis Atheorum detorsionibus vindicetur. Opinantur enim veritatis cœlestis irrisores, defuisse Christo divinam illam vulgo jactatam virtutem miracula edendi, quum ipse Evangelista de eo affirmet, quod nulla prodigia inter cives suos infideles edere potuerit. Et hic est ille locus, quem impurus Atheus LUCILIUS VANINUS *Dial. p. m. 439.* textum sibi selegit in prætensa sua, sed ironica Christianæ religionis Apologia. Nam hacce Marci confessione nisus, impie suspicatur, prodigia Christi meras fuisse imposturas. Fraudem putat eo indicio & argumento prodi, quod Christus, ubi spectatores essent increduli, ac proinde curiosi & suspicaces, qui decipi haut facile poterant, illic virtutem nullam edere potuerit. Conferatur WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist. P. III. p. m. 154.*

§. II. Detestabilis asserti absurditas haud difficulter detegi & explodi potest. Ut Evangelistæ mentem recte adsequamur, observandum est, omnium in orbe linguarum usu receptum esse, ut duæ illæ voces, *volo* & *possum*, frequenter inter se permutentur. Sic Græcis maxime δύναμαι idem significat, ac *volo*, Act. IV, 20. ὀ δυνάμεθα μὴ λαλεῖν, *non possumus a loquendo desistere*, id est, nolumus. Joh. VII, 7. Οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς, *non potest mundus odisse vos*, id est, non vult, nempe ob morum similitudinem. 2 Corinth. XIII 8. Οὐ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας *non possumus aliquid contra veritatem*, id est, nolumus. Apoc. II, 2. Οὐ δύνη βαςάσαι κακὸς, *non potes ferre malos*, id est, non vis eos ferre. Ita Latini etiam usitate dicunt, *impetrare hoc a me non possum.* Vicissim θέλω *volo* sæpe usurpatur pro *possum.* Exempla vide apud BUDÆUM in Comment. Ling. Græcæ. Genuinus igitur sermonis sensus apud Marcum l. c. hic est: Christus noluit sanare infirmitates suorum civium, propter eorum ἀπιςίαν, cordisque duritiem. Hunc enim ordinem Servator tenet, ut quotquot ipsius gratia frui volunt, fide eam suscipiant. Fides enim instrumentum & manus instar est, qua bona quævis salutaria a Servatore oblata, apprehenduntur, & attrahuntur. Ast cum Christi populares nec rerum a Christo alibi gestarum fama, nec doctrinæ, quam prædicabat, divinitate, nec eximio docendi genere commoverentur, & natalium atque educationis respectu minus honorifice de eo sentirent, & in incredulitate per-

perseverarent, minus conveniens & æquum videbatur coram hominibus ingratis atque indignis prodigia edere. Vid. RICH. BENTLEIUS *in stultitia Atheismi* p. 273. nec non HUGO GROTIUS in h. l. & GUILIELMUS NICHOLLSIUS *l c p. 167*.

XLVII.

DE CONCILIATIONE MARCI EVANGELISTÆ CUM JOANNE, Marc. XV, 25. Joann. XIX, 14.

§ I.

CUm Joannes de Pilato narret, eum in tribunali sedentem circa horam sextam, hoc est, circa meridiem demum, Christum ad crucis supplicium condemnasse, Marcus vero manifesto dissentire videatur, qui hora diei tertia, hoc est, horis tribus ante meridiem jam in crucem actum fuisse affirmat, interpretes valde soliciti sunt; quomodo hanc discrepantiam tollant, & Evangelistas inter se concilient. Quæ difficultas hominum eruditissimorum ingenia tam vehementer exercuit, ut vir summus IS. CASAUBONUS scribere non erubescat: *Omnium fortasse optima solutio fuerit, exspectandum esse Eliam, qui τὰ ἄπορα, hoc est, inexplicabiles difficultates, Scripturarum solvat; atque interim verbi divini certitudinem, tam in iis, quæ non capimus, quam in iis, quæ capere videmur, humiliter esse adorandam.* Exercit. XVI. contra Baron. num. CX. p. 479.

§. II. Permulti igitur difficultatem hanc plane insuperabilem esse pronunciarunt. Alii, quos spes solutionis frustrata erat, exscriptorum oscitantiam accusarunt, numerosque corruptos esse opinati sunt. WILHELMUS LANGIUS pro E, extritis binis inferioribus lineis, Γ irrepsisse suspicatur. HIERONYMUS, sive quisquis auctor Commentariorum in Psalmos est, qui HIERONYMO vulgo adscribuntur, librarii vitium apud Marcum esse contendit. Nam cum in Marco *hora sexta* scriptum esset, multos putasse expisemum Græcum ς, quod apud Græcos senarium numerum significat, esse Γ numeri ternarii notam. Hanc conjecturam confirmat Æthiopicæ versionis auctor, qui apud Marcum, pro *hora tertia*, diserte *sextam* habet.

Suffragatur GER. JO. VOSSIUS in *Harm. Evang. L. II. cap. VII. §. 6. 7. 8.* Cum vero in ambiguo relinquatur, utrum Marcus e Joanne, an Joannes e Marco, corrigendus sit, subjungit tandem, sibi verisimilius esse, emendari Marcum oportere, id quod ego in tanto viro vehementer miror. Nam apud Marcum ne mendi quidem suspicio est. Omnes enim codices, tam MSS. quam impressi, summo consensu ὥρα τρίτη habent. Eadem lectio olim etiam recepta fuit, quemadmodum ex AUGUSTINO & HIERONYMO apparet. Imo, quod ego maximi momenti esse puto, ad VOSSII opinionem refellendam, *sextæ horæ* sequente versu 33. Marcus demum mentionem facit, eandemque *ab hora tertia*, qua Jesum crucifixum esse scripsit v. 25. expressis verbis distinguit. Nec ullo denique argumento constat, per notas olim scriptos fuisse numeros in textu originali. Vid. H. GROTIUS in h l.

§. III. Alii in JOANNE mendum agnoscunt, eumque, ut tollatur dissensus, ad Marci sententiam refingunt, dum pro ἕκτη legunt τρίτη. Tuentur hanc emendationem auctoritate codicis Cantabrigiensis, qui THEOD. BEZÆ fuit, in quo legitur, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη. Ita etiam scriptum fuisse in αὐτογράφῳ Joannis, quod in Ecclesia magna Ephesina servabatur, suo adhuc tempore, PETRUS Alexandriæ Episcopus, & auctor ALEXANDRINI CHRONICI testantur. V. HADR. RELANDI *Antiquit. Hebr. P. IV. Cap. I. §. XVII.* Qui codex, etsi falso pro ipso Joannis αὐτογράφῳ venditatus est, similem fere in modum, quo Veneti hodienum vanissime jactitant, se ipsum αὐτόγραφον Marci habere, tamen pervetustus fuit, & inde constat, τρίτη scriptum eo in codice fuisse. His, aliisque rationibus motus ANT. BYNÆUS *L. III. de morte Jesu Christi cap. IV. §. XLIII. p. 187.* existimat, pro ὡσεὶ ἕκτη in Joanne, scribendum esse ὡσεὶ τρίτη. Ego vero nondum video causam mutandæ lectionis, quam vetustissimæ versiones, optimique novi Instrumenti codices confirmant. Vetat præterea religio, Scripturæque integritas vulgarem lectionem loco movere, aliamque audacter substituere, cum profanos auctores in varias formas temere licenterque refingere, a Criticis severissime prohibeamur. Ipsi JOANNI CLERICO, peraudaci ceteroquin Critico emendatio in Joannis tentata verbis, non placet satis. Neque tamen aliud, quod satisfaciat, re diligentius expensa, invenit. Proposuit

fuit quidem in Additamentis ad Adnotationes HENR. HAMMONDI in Novum Test. aliam hujus loci explicandi rationem, quæ nonnullis placuit Sed ut accurata esset, oporteret a Joanne scriptum non ἕκτη, sed ἐνάτη, *nona*, ut ipse fatetur in *Dissertatione secunda* ad Harmoniam Evangelicam *Can. XIII. p. m. 41.* ubi rem in medio relinquit.

§. IV. Quod AUGUSTINUS *hora tertia crucifixum esse Dominum linguis Judæorum, hora sexta manibus militum*, finxit, ineptum est & indignum, quod prolixe confutetur. Nec illis adstipulari possum, qui Marci locum de crucifixionis initio accipiunt, & a clamore populi crucifixionem inchoant: dictum autem Joanneum de ipsa suffixione, & in crucem actione, interpretantur. Quemadmodum nec illi idoneas causas mihi habere videntur, qui ad divisionem diei in quatuor quadrantes confugiunt, eosque horarum nomine appellatos esse, urgent. Nam quidquid in hanc sententiam adfertur, jam dudum, ut dubium atque incertum, ab IS. CASAUBONO, TH. BEZA ac STEPH. MORINO, rejectum explosumque fuit. Multi in ea sunt opinione, non posse difficultatem expeditius tolli, quam si dicatur, Marcum Judæorum, qui a Solis ortu horas diurnas numerabant: Joannnem vero Romanorum, qui a media nocte horas computabant, calculum secutos esse, eandemque ac unam fuisse horam, quæ Marco, secundum Judaicum stilum, tertia, Johanni secundum Romanorum morem, sexta appelletur. His LUD. DE DIEU accessit. Sed tota res incerta est; ac fundamento caret. H. GROTIUS in h. l. ὥραν τρίτην exponit *de audita tuba horæ tertiæ, quod dici solebat, donec caneret tuba horæ sextæ.* Sed quia hæc etiam explicatio fundamento caret, & nimis laxa ratione tempus definitum relinquit, recte eam rejecit B. CALOVIUS *in Bibl. illustr.* in h. l. f. 514.

§. V. Postquam tot eruditissimi viri frustra desudarunt, ut Joannem cum Marco conciliarent, fieri vix posse videtur, ut quæ sententia veri sit similior, definiamus. Interim, cum dicendum statuendumque aliquid sit, præ ceteris DAN. HEINSII opinioni subscriberem, & verba Marci, ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, non de tempore, quo Servator cruentas in cruce perpessiones auspicatus est, sed de perpessionis continuatione exponerem, ita ut Marcus notet tertiam τοῦ σωτηρίου πάθους horam, ut si dicas τρίτη δὲ μετὰ τὸ σταυρωθῆναι αὐτὸν, sive τρίτη τῆς σταυρώσεως αὐτοῦ ἦν *tertia post crucifixionem ejus hora erat.* In hunc sensum ἐσταύρωσαν

per *Plusquamperfectum* verti debet, hoc modo*: erat autem hora tertia, postquam crucifixerant eum,* non quum crucifigerent, vel quando crucifixerunt eum. Hunc in sensum exposuit Marci verba ARABS*: illud in tertia hora, cum crucifixus esset*, conjungens cum antecedente versu, ubi de divisione vestium Christi actum hoc modo*: Id factum tertia hora a crucifixione.* Non intelligit ergo interpres ARABS tertiam diei horam, cum Christus crucifigeretur, sed ita ait: cum milites partirentur ipsius vestes, tum tertiam fuisse horam, postquam crucifixus esset. Huc etiam interpretatio PERSICA: *ex quo eum in cruce suspenderant*, nec non SYRIACA: *quum crucifixissent eum* abire videtur. Vid LUD. DE DIEU in Marc. l. c. B. CALOVIUS in *Bibl. illustr. Marc. l. c. f. 515.* Hac ratione Christus hora diei sexta a Joanne memorata, circa meridiem revera in crucem actus est. Dum autem ab hoc tempore per trihorium, quod Marcus commemorat, in cruce pependit, divisæ interim sunt vestes, aliaque peracta. Nostra igitur opinione copula hoc loco Ebræorum more non dividit, sed jungit, quo nihil usitatius, frequentiusque. Exempla vide apud HEINSIUM *in Exercit. in h. l. f. 116.* Ad tollendam omnem difficultatem horam Marci tertiam non ad horam diurnam, sed ad tertiam, a crucifixione numeratam, referimus, & verba καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, idem quod ἐξ ὃ ἐσταύρωσαν, *ex quo*, sive *postquam crucifixissent eum*, significare arbitramur. Dissentit a nobis STEPHANUS MORINUS *de horis salvificæ passionis J. Ch. Dom. N. p. 17 & seq.* & DAN. HEINSII sententiam explosit. Hunc maxime secutus est ANT. BYNÆUS *L. III. de morte Jes. Chr. cap. VI. §. XI. p. 302.* qui ideo negat, tertiam τῦ σωτηρίου πάθους horam a Marco notari, *quia necesse sit eam concurrere debere cum sexta. At ex serie historiæ, quam exhibet Marcus, luce meridiana clarius esse, sextam horam multo post venisse.* Hæc ego non intelligo satis. Nam hora τῦ σωτηρίου πάθους tertia, a Marco notata, *non cum sexta*, ut putat BYNÆUS, sed cum nona diei coincidit. Nobis suffragatur JO. LOMEIERUS in quadam Dissertatione Philologica, quæ in *Decade I. Dissert. Phil. quinta est*, nec non HADR. RELANDUS *Antiqv. Hebr. P. IV. Cap. I. §. XVII.*

§. VI. Verum ne quid dissimulem, ipsa hæc opinio difficultate non caret. Nam si Marcus horas non diei sed crucifixionis numeravit, sequeretur, Solem non hora sexta diei, sed hora post cruci-

crucifixionem sexta fuisse obscuratum, & Christum hora nona post crucifixionem exclamasse ELI, ELI. Quis enim facile credat, Marcum in uno eodemque capite eademque orationis serie vocem *horæ* duplici sensu usurpasse, & modo horas ab ortu diei, modo horas a crucifixione Christi in animo habuisse? Quapropter Celeb. Saxoniæ Theologus D. D. V. E. LOESCHERUS P. II. *Decimarum Evangel. p. 217.* quem doctissimus sacrorum Ileburgensium Antistes D. CH. HENR. ZEIBICHIUS in Tractatu *de Horis Passionis J. Ch. p. 194.* sequutus est, in longe aliam abiit conjecturam, ratus, Joannem horas numerasse diei parasceuastici ad festum Paschale, qui ab hora tertia post mediam noctem inchoandus, & hora tertia post meridiem finiendus sit secundum nostram computandi rationem. Hac quidem ratione *hora* Marci *tertia* pulcre conciliari potest cum *sexta* hora Joannis, qui horas τῆς παρασκευῆς & diei præparatorii ad festum numerasse censetur. At vero jam alibi ostendimus, hanc conjecturam nullum in antiquitate præsidium habere, sed duntaxat ad difficultatem tollendam ingeniose excogitatam esse. Adversatur ei divina historia Joannis *XIX, commate* 31, ubi diserte dicitur, Christi corpus vespera diei παρασκευῆς sepulcro illatum esse. Idem confirmat Marcus Cap. XV. 42. docens, ὀψίας γενομένης, quando Christi corpus sepulcro inferebatur, adhuc durasse parasceven Sabbathicam, seu προσάββατον. Ergo dici nequit, diem παρασκευαστικὸν ad festum Paschale hora pomeridiana tertia, seu hora nona secundum Judæos, finitum fuisse. Repugnat huic sententiæ Augusti Cæsaris edictum apud JOSEPHUM *Libro XVI. Antiquit. Cap X. f. 561*, ex quo apparet, horam *nonam, decimam*, & sequentes præcipuam τῆς παρασκευῆς partem confecisse. Vidit has difficultates Dn. D. FR. ER. KETTNERUS, doctissimus sacrorum Quedlimburgensium Antistes, qui labascenti opinioni fulcra suppositurus, in eam abiit opinionem, diem parasceves non *duodecim*, sed *quindecim* horas implevisse. Consentaneum quippe esse, diem parasceves præcessisse vulgarem diem tribus horis, datoque publico signo ab aliis diebus distinctum fuisse. Joannem quippe claris verbis scripsisse: *Erat parasceve, hora quasi sexta.* Præterea nocte diem præparationis antecedente, adeoque tribus minimum horis ante ortum Solis accensa candela, panem fermentatum in tota domo perquirendum, ejiciendumque fuisse. Nec dubitat, quin Levitæ tribus vel quatuor horis ante diem vulgarem

inflata

inflata buccina significarint, tempus ejiciendi fermenti advenisse. Hac itaque ratione si a tempore ejiciendi fermenti diem Parasceves exordiamur, horam sextam Joannis cum tertia hora diei vulgaris facile conciliari posse. Dolendum est, huic conjecturæ ex antiquitate nullam verisimilitudinis speciem conciliari potuisse. Peridonea sane esset, ad tollendam omnem difficultatem, & ad Evangelistas in concordiam redigendos. Verendum sane est, ne Servator illam funditus evertat non nisi duodecim diei horas agnoscens in Judæa Joh. XI, 9. Ipse eruditissimus Auctor conjecturæ suæ parum tribuere videtur. Idcirco aliis indulget inventis ac opinionibus, quæ legi possunt in *Miscellaneis Lipsiensibus* T. IV. p. 43. 47 & 48. Nullam quoque inter Marcum & Joannem discordiam apparere dicit p. 51. si dicamus, Marcum plenas & Joannem dimidias horas numerasse. Sex enim sesquihoras Joannis constituere tres plenas Marci. Quod sane verum est. Sed num Joannes horarum dimidia intellexerit, id nemo credet Auctori. Tandem missa hac etiam conjectura addit: *Licet nullam conciliationem inter Evangelistas ex antiquitate Judaica & Romana demonstrare possemus, non tamen ideo S. Scriptura erravit. Sed nostra potius ignorantia artis gnomonicæ Judæorum erit accusanda, vel potius vitio temporum & incendiis est adscribendum, quod antiqua scripta gnomonica perierint.* Cui asserto nos haud inviti suffragamur, malumusque profiteri nostram ignorantiam & ἀδυναμίαν, quam levibus conjecturis lectores defatigare. Nisi cum BERNARDO LAMYO in Commentario ad *Harmoniam Evangelicam L. V. Cap. XXXIV. p. m. 590.* dicere velimus, morem istum loquendi de horis diei, ut alia *prima*, hæc *tertia*, *sexta*, *nona* appelletur, natum esse ex Templi consuetudine, ubi sacrificia & preces fieri solebant his quatuor horis, *prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*, quæ festis maxime diebus sono tubæ significabantur, ut docemur Numer. X, 10. Quo factum ut hæ horæ tanquam notiores vulgo celebrarentur. *Neque alia nomina horarum reperias*, secundum LAMYUM nostrum, *ubi statarum precationum sit mentio. Factum autem tertia & sexta hora dicitur, quidquid contigerat fieri intra stata precandi tempora illa; ita ut quæ in medio essent posita nunc ad hunc, nunc ad illum terminum referrentur. Sic Marcus ad horam tertiam retulit, quæ Joannes tribuit horæ sextæ.*

XLVIII.

XLVIII.
DE CENSU AUGUSTI UNIVERSE INDICTO, Luc. II. v. I.

§. I.

LUCÆ verba admodum perplexa multisque difficultatibus involuta esse, non solum CÆSAR BARONIUS in suo ad Annales Ecclesiasticos apparatu, multis argumentis contendit, sed idem alii eruditissimi viri opinati sunt. Primo enim EUSEBII auctoritate decepti, JOSEPHUM, diligentissimum rerum Judaicarum inquisitorem, & cui Romana quoque Archiva patuerunt, LUCÆ, divino afflatu excitato, contradicere putant, quando mentionem facit Quirinii, viri consularis & Senatoris Romani, illumque post Archelai relegationem ab Augusto in Syriam missum, tradit, ut censum per Syriam, Judæamque, in provinciam redactam, ageret, civium facultates censeret, ipsiusque Archelai bona venderet. Libr. XIIX. Antiqv. Jud. cap. I. & Libr. XVII. cap. 15.

§. II. Deinde non intelligunt, quare LUCAS illum censum, circa Servatoris nativitatem indictum, ἀπογραφὴν πρώτην appellat, cum tamen prima descriptio non fuerit, nec in Judæa, nec in provinciis potestati Romanæ subjectis, nec in ipso populo Romano. Nam si SERVIUS TULLIUS, sextus Romanorum Rex, censuum auctor fuit, eosdemque, ut conjectura est, instituit circiter annum U. C. CLXXVII, vel CLXXX, (quo de conferendus HEN. LEON. SCHURZFLEISCHIUS *in Anno Juliano p. 243.)* nemo facile negabit, crebras inde ad Augusti ætatem usque descriptiones civium Romanorum factas esse. Præterea CICERO in Oratione pro Flacco, & JOSEPHUS L. XIV. cap. VIII. affirmant, Pompeium M. sexaginta annis ante mortem Herodis Hierosolymas occupasse, & Judæos, Romanorum potestati subjectos, vectigales fecisse.

§. III. Illi tandem, qui historiæ periti, & in doctrina temporum exercitati sunt, vehementer mirari & quærere solent, qui Præside Syriæ Quirinio ille generalis census indici, & peragi potuerit, atque Herode adhuc vivente? Si enim a sacris discesseris

ris monimentis, nullum in profana historia deprehendes vestigium, ex quo appareat, illum tempore nati Servatoris Syriæ præfuisse. TACITUS etiam, magnæ auctoritatis scriptor, quando Quirini funus eleganter descripsit, illiusque dignitates & res gestas commemoravit, de munere Præsidis, in Syria hoc tempore administrato, plane silet. Qui ipsos Præsidum Syriæ fastos in causæ subsidium advocant, cognoscunt, quod paulo ante Herodis mortem *Sentius Saturninus*, non autem Quirinius Syriæ Præses fuerit. Videatur HENRICUS NORISIUS in *Cenotaphiis Pisanis Diss. II. Cap XVI*, ubi Præsides Syriæ ab V. C. anno 707. usque ad annum 8[illegible]2. accurate recenset, variosque BARONII, CASAUBONI, MONTACUTII, aliorumque errores in hac Præsidum historia admissos emendat. Idem testatur JOSEPHUS Ant. L. XVI. cap. XIII. & XVII. Hæc etiam confirmat TERTULLIANUS, pervetustus Latinorum Doctor, *L. IV. cap. XIX. contra Marcionem p. 250.* qui non solum narrat, Sentium Saturninum illo tempore ordinarium Syriæ Præsidem fuisse, sed etiam ad tabulas censorias, quæ in tabulariis Romæ asservabantur, magna animi confidentia provocat, & ex publicis documentis fidem narrationi facit, & causæ Christianæ præsidium petit.

§. IV. Hæc dubia multis tam difficilia visa sunt, ut propterea Lucæ auctoritatem, ipsiusque divinioris Scripturæ veritatem in dubium vocare, vel certe elevare, non dubitarint. Nostrum est, ut scrupulos hos pio lectori eximamus, atque argumenta explicandis & tollendis difficultatibus accommodata in medium proferamus.

§. V. Quamvis historia profana a Sacra hoc in loco vere dissideret, tamen cum ABRAHAMO SCULTETO *Exercit. Ev. L. I. Cap. 48.* putaverim, huic magis, quam illi credendum esse. Nam LUCAS fuit scriptor θεόπνευστος, atque ab omni erroris periculo immunis. Præterea TACITUS, JOSEPHUS & SUETONIUS, LUCA nostro fuerunt posteriores, & sæpe tum inter se, tum a seipsis dissentiunt, LUCA temporum momenta ἀκριβῶς observante. Sed LUCAS & JOSEPHUS scriptor domesticus inter se non pugnant. Nam illa ἀπογραφὴ, cujus c. l. JOSEPHUS meminit, diversa est ab illa, cujus mentionem LUCAS fecit, quemadmodum summi viri, depromptis ex

ex doctrina temporum rationibus non fallentibus, luculenter demonstrarunt. Uterque census differt

I. *tempore*. Ille apud Josephum completo novennio ab Herodis morte institutus fuit, postquam Archelaus ab Augusto Viennam Allobrogum relegatus erat: Hic vero, quem Lucas commemoravit, Herode adhuc superstite, qui Servatoris occidendi consilia iniit, peractus fuit.

II. *causis*. Priorem hanc descriptionem Augustus imperavit non eum in finem, ut ærario, diuturnis belli motibus exhausto, ingentem argenti vim inferret, quemadmodum CORNEL. a LAPIDE aliique suspicati sunt, sed ut universi imperii vires, ac facultates cognosceret. Idcirco censebantur populi ævitates, soboles, familiæ, pecuniæque, & omnia patrimonii, dignitatis, officiorumque discrimina in tabulas referebantur, & Romæ deinceps publice suspendebantur. Posterior vero a JOSEPHO descripta censitio, cum tributorum indictione conjuncta fuit. Hæc forte causa est, quod JOSEPHUS suum censum vocat ἀποτίμησιν *tributi exactionem*, non vero ut LUCAS, ἀπογραφήν. Nam τὸ ἀπογράφεσθαι solutionem tributi necessario non infert, sæpe nudam descriptionem & dinumerationem populi, Græcis ἀπαρίθμησιν dictam, notat. Hæc prima ac genuina significatio est verbi ἀπογράφειν & ἀπογράφεσθαι, & notat apud Græcos auctores aliquid in suas rationes referre, & in libellum sui census. Ita THRASYLLUS, memorante ÆLIANO *Var. H. Libro IV. Cap XXV. p. m 357.* omnes naves in Pyreum appulsas suas esse putabat, καὶ ΑΠΕΓΡΑΦΕΤΟ αὐτὰ *& illas in suas rationes referebat.* Τὸ ἀπογράφεσθαι apud ARISTOTELEM ejusmodi notat ἀπογραφὴν & descriptionem, qua cives in tabulas publicas, seu in aliquam tribum referuntur, notante JACOBO PERIZONIO ad illum ÆLIANI locum. Servius Tullius apud DIONYSIUM HALICARNASS. *Libr. IV. p. 215.* obæratos jussit ἀπογράφεσθαι *in tabulas referri*, scilicet ut iis succurreret. Apud eundem DIONYSIUM L. X. cives in militiam nomen dantes, dicuntur ἀπογραφόμενοι τὰ ὀνόματα, quia eorum nomina in tabulas referri solebant. Hinc Vir Cl. JAC. PERIZONIUS in *Notis* ad ÆLIANI l. c. p. 358.

nec non in peculiari Dissertatione, quam de ista Augustea orbis descriptione 1682. Franeckeræ edidit, solam hominum numerationem a Luca Cap. II intelligi contendit, quum ne Judæa quidem ipsa, nedum singuli cives ex suis bonis sub Herode, aut illo tempore tributum tulerint Romanis. Huc etiam non incommode refertur elegans metaphora, qua Apostolus usus est Ebr. XII. v. 23. ubi Electi dicuntur *ἀπογεγραμμένοι ἐν τοῖς ἐρανοῖς* i. e. *in tabulas DEI censuales relati*, peridonea tralatione a breviario Romanorum facta. Vid. B. DORSCHEUS *in Comment. Luc. II. v. 1. p. 667.*

III. *eventu.* Prior sub Herode absque tumultu pacate confecta fuit, optimumque habuit successum, quia Judæi nulla tributa pendere cogebantur. Posterior vero, quam Josephus commemorat, & cum tributorum impositione conjuncta, & valde turbulenta fuit. Nam Judæi ad seditionem commovebantur, auctore tumultus Juda Galilæo, de quo legitur in Actis V. v. 37. Negabant enim Romanis, tanquam hominibus profanis & externis, salva religione stipendia solvi posse.

IV. *amplitudine.* Illa descriptio, quæ apud Lucam exstat, *universalis* fuit, atque ad omnes & singulas Orbis Romani provincias pertinuit. Equidem P. KEUCHENIUS ad *h. l.* & ANT. BYNÆUS *Libro I. de Natali J. Ch. Cap. III. p. 304.* dubitarunt, an adeo universalis Romani Imperii descriptio sub Augusto uno eodemque tempore facta fuerit, & ea collegerunt loca, quibus sola terra Israelis כל הארץ *πᾶσα οἰκεμένη* appellatur. Sed oppugnavit hanc interpretationem BASNAGIUS *Exercit. Crit. p. 184.* eandemque protrivit. Nos communem sequimur sententiam, & *πᾶσαν οἰκεμένην* interpretamur de universis Romani Imperii provinciis, quas Lucas, ex Romanorum more *πᾶσαν τὴν οἰκεμένην* appellat. Nam Romani rebus secundis, & victrici armorum successu, elati, superbos assumebant titulos, cum præsertim regnis, quæ nondum sub jugum miserant, formidolosi essent. Ita CICERO de Cæsare dicit L. IV. Ep. VII. *Ejus potestas, quam veremur, terrarum orbem complexa est.* Eodem fere sensu Chaldæorum terram *orbem terrarum* appellat CYRILLUS ALEXANDRINUS *Comment. in Esaiam cap.* VIII. *v. 5. Tom.* II. *Libr.* II. *f. 219.* διὰ τὸ

πλείςην

πλείστην εἶναι, καὶ εὐρεῖαν ἀμέτρως, *utpote maximam & supra modum spatiosam.* Altera descriptio, cujus meminit, *particularis* fuit, non nisi ad Syriam, & ad Judæam, paulo ante in provinciæ formam redactam, spectans.

§. VI. Sublata hac difficultate, ulterius investigandum est, quo sensu hicce Augusti census dicatur primus? Diserte enim Lucas affirmat: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο: v. 2. Missis aliorum sententiis, breviter respondemus, hanc descriptionem a Luca πρώτην dici, ad differentiam τῆς δευτέρας, quæ ab eodem Quirinio in Judæa peracta fuit, cujus meminit Lucas in Actis cap. V. v. 37. & sub qua orta est seditio Judæ Gaulonitæ. Non aliter ac idem Evangelista, Actor. I. v. 1. πρῶτον λόγον, *primum sermonem* dixit, id est, *Evangelium suum scripsit*, & a *secundo*, nempe Apostolorum Actis manifesto distinxit. Sciendum enim, quod Quirinius bis censum egerit in Judæa. Hoc discrimen acurate observavit Syrus, quando hanc ἀπογραφὴν *in præfectura* Quirinii primam fuisse, explicationis causa, submonuit. Suffragantur nobis SCALIGER, CASAUBONUS, RICH. MONTACUTIUS, B. CALOVIUS, aliique.

§. VII. Restat alius adhuc scrupulus pio lectori eximendus, qui non parum difficultatis habet. Quæritur videlicet, quo sensu & modo Quirinio, Syriæ Præsidi, hic census a Luca attribuatur. Plurimi ac præstantissimi viri πρώτην accipiunt pro προτέρα & vocem ἡγεμονεύοντος regi putant a particula πρὸ, quæ κατ᾽ ἔλλειψιν, Græcis non insuetam, subintelligi & suppleri debeat in hunc sensum: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη (vel προτέρα) ἐγένετο (πρὸ) ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *Hæc descriptio prior, vel ante facta est, quam præesset Syriæ Cyrenius.* Videantur LAMBERTUS BOS in *Specimine Mysterii Ellipsios Græcæ expositi p. 252.* ubi particulæ πρὸ post πρῶτος ἔλλειψιν erudite explanavit, & KEUCHENIUS ad h. l. qui hæc Lucæ verba exemplis ex versione LXX virali V. T. petitis illustravit. Hanc explicationem primus omnium, quantum mihi innotuit, prodidit JO. GEORG. HERWARTUS in *Chronol. Cap. 241. seq.* eamque ita ornavit ac commendavit, ut sectatores nancisceretur viros eruditissimos JO. KEPLERUM, T. REINESIUM, JO. COCCEIUM, SCHELSTRATENUM, IMBONATUM, HENSCHENIUM & PAPEBROCHIUM, ANT. BYNÆUM, JO. MARCKIUM, NIC. TOINARDUM, ER. SCHMIDIUM

JO. CLERICUM, PETRUM KEUCHENIUM aliosque, imprimis autem JAC. PERIZONIUM qui in doctissima illa Dissertatione *de Augustea orbis terrarum descriptione* hanc sententiam, adhibitis ἑρμηνείας subsidiis, tam egregie asseruisse ac vindicasse censetur, ut ejus rationibus expensis ultro libenterque subscripserit Vir S. Rev. Dn. D. BOERNERUS Theologus Lipsiensis clarissimus in Dissertatione de *Claris Quirinis* §. *VII. p. 35.* Idem visum est JO. CLERICO *in Notis ad Hammondum h. l. f. 172.* ubi tantopere laudat PERIZONII Dissertationem, ut arbitretur, illum HAMMONDI aliorumque sententiam copiose & vere confutasse. Propterea idem CLERICUS non solum *l. c.* sed etiam in *Harmonia Evangelica f. m. 16 & 17.* putat, Lucam significare voluisse, primam hanc descriptionem Judæorum a Romanis factam esse ANTE CENSUM a P. Sulpicio Quirino, Syriæ Præside, institutum, postquam relegato Archelao redacta est in formam provinciæ Judæa. Conferatur ejus Dissertatio *secunda* Harmoniæ adjecta, sub initium statim, ubi hanc interpretationem defendit, ratus, neminem ex iis, qui historiæ Judaicæ paulo curiosiores erant, ignorasse, quænam esset prima illa descriptio. Eo enim ævo omnibus notum fuisse, quod P. Sulpicius Quirinus post mortem demum Archelai, ac diu post Christum natum Syriæ præfuerit. Quod si postea hæc Lucæ locutio ambigua judicata sit, tribuendum id interpretum inscitiæ, qui ambiguitatem loquutionis facile discutere potuissent ex re ipsa & JOSEPHO. ERASMUS SCHMIDIUS hanc sententiam adstructurus, & historiam cum Grammatica conciliaturus, ingenti exemplorum farragine efficere laboravit, adjectam vocem πρώτην hoc loco idem esse ac πρότερον, nec ordinem ἀπογραφῶν, sed tempus duntaxat hujus descriptionis ante Quirinium factæ denotare, & prius hunc censum actum esse, quam Cyrenius Syriæ præesset. Ego haut difficulter fatebor, illam constructionem, quam viri eruditi verbis Lucæ inesse putant, nec a linguæ Græcæ indole, nec a sacro stilo alienam esse. Nec dubium mihi est, quin Superlativus interdum Comparativi significationem induat, præsertim quando regit Genitivum Singularem uti Joh. I, 15. ὅτι πρῶτός με ἦν, hoc est πρό με l. πρότερος, *ante me erat.* Lucæ XI, 38. πρῶτον exponitur per πρὸ τοῦ ἀρίστου. Posset igitur iste sensus & illa constructio verbis Evangelistæ citra incommodum tribui, cum præsertim illam locutionem illustret Joannes

Cap.

Cap XIV. 22. Λέγει αὐτῷ Ἰούδας, οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης, Κύριε, τί γέγονεν κ. τ. λ. Verum an illam sententiam, & verborum constructionem Evangelista revera in animo habuerit, id sane dubium est & perincertum. Desideratur enim ἀκρίβεια illa historica, quam Lucas sub initium narrationis promisit. Prior illa descriptio, de qua sermo, nota ei propria distinctaque insignienda erat, non vaga, quæ lectores in errorem poterat inducere, & quæ aliena esse debet ab officio accurati historici, qui rei gestæ auctorem necessario nominare debet, non illum, ad quem negotium haud pertinebat. Sane ex omni antiquitate nulli Ecclesiæ Doctori per tot secula ante HERWARTUM, novæ interpretationis auctorem explicatio illa & constructio in mentem venit, manifesto indicio, eam a Lucæ verbis alienam, & tollendæ difficultatis causa excogitatam esse.

§. IIX. Aliam conjecturam, quæ majorem veritatis speciem habet, proponit P. D. HUETIUS in *Dem. Ev. Prop. IX. cap. X. p. 781.* Cum enim SUETONIUS testificetur, censum Romani Imperii ab Augusto ter actum fuisse, idemque doceant Ancyranæ tabulæ, quas in *Pandectis suis Turcicis* LEUNCLAVIUS, & in *Inscriptionibus suis* GRUTERUS, ac non ita pridem HENRICUS NORISIUS in *Cenotaphiis Pisanis, Differt. secund. p. 82. & 83.* repræsentant, in eam perillustris Præsul ductus est opinionem, censum marmoris Ancyrani medium, qui Marcio Censorino, & Asinio Gallo Coss. anno Juliano XXXVIII. habitus est, fuisse eum, qui cum ageretur, natum Christum LUCAS referat. *Sciendum est*, ait, *rem fuisse censum diuturnioris operæ, quæque in plurium annorum spatium excurreret. Facile ergo crediderim, ab anno Juliano XXXVIII. cœptum hunc censum, ad Christi usque ortum perseverasse. Atqui Q. Sentius Saturninus, vir consularis, præses in Syriam missus est, circa hunc ipsum annum Julianum. XXXVIII. Syriamque per quinquennium circiter rexit. Extremis itaque præfecturæ suæ temporibus, eum, puto, mandatum accepisse de censu habendo per Syriam. Nam prius per Italiam, finitimasque provincias institui censum oportuit, quam in extremis imperii finibus. Etsi enim res eodem tempore per universas provincias administrari potuit, quoniam tamen tabulæ censuales ad Augustum, postquam perfectæ erant, mittebantur, ut imperii facultates perspectas haberet, vix credibile est, tot rebus simul cognoscendis, & ad examen revocandis, animum adhibere potuisse; quod perfacile erat,*

erat, si res ordine gesta esset. Igitur si meditullio imperii percensendo tribuamus quadriennium, censum agi cœptum in Syria, dicemus, eo anno, qui postremus fuit Saturnini. Cum autem res abiret in diem, videtur excessisse magistratu, ante absolutum censum, ejusque peragendi curam successori sui, P. Quintilio Varo, reliquisse. Qui cum instaret operi, tum natus est Jesus Dominus. Ergo veri mihi videtur quam proximum, Syriam regente Quintilio Varo, Jesum Christum natum esse, atque in censum venisse, a Saturnino inchoatum, cum eum Quintilius Varus absolveret. Omnes igitur omnino extricaverimus difficultates, si apud Lucam pro Κυρηνίου, *legamus* Κυϊντιλίου, *quod facile patitur similitudo nominum, & characterum affinitas. Ut sic recudatur totus ille versiculus Lucæ:* αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυϊντιλίου.

§. IX. Fallitur vehementer doctissimus sacrorum Abrincensium in Gallia Antistes, & omnes quotquot ipsius sententia addixere fidem. Frustra ad indicem Ancyranum rerum ab Augusto gestarum provocat. Nam Augustus in illa inscriptione, quæ Ancyræ Galatiæ oppido, in quo ritu publico solennique ad aram Augusti genio olim sacrificabatur, marmoreis parietibus incisa, & ab AUGER. BUSBEQUIO ex Oriente allata fuit, de iis semper loquitur, quorum descriptio Romæ, aut forte in Italia facta. Ille vero census, quem Lucas refert, generalis fuit. Nam quis credat, hoc numero, qui in marmore legitur, omnia in toto Orbe Romano capita comprehendi? *Censa* enim leguntur *civium Romanorum quadragies centum millia, & ducenta triginta tria.* Hunc civium numerum sola Judæa superavit. Huc accedit auctoritas SUETONII, quem HUETIUS temere in sui favorem adduxit, qui in vita Augusti c. XXVII. testatur, Augustum *censum populi* duntaxat, non, ut mala fide affirmavit Abrincensis Præsul, Romani Imperii, ter egisse. Conferantur IS. CASAUBONUS *Exercit. I. contra Baron. num.* XXXIII. p. 109. ANT. BYNÆUS *de Natali J. Ch. L.* I. *cap* III. §. 5. HENR. LEON. SCHURZFLEISCHIUS in *Anno Rom. Juliano p.* 258. Recte igitur temeritatis & audaciæ arcessitur HUETIUS, quod tam infirmo fundamento nisus, receptam in Evangelio LUCÆ lectionem solicitavit, & divinum oraculum ad libitum refinxit. Quamvis etiam ab EPIPHANIO proditum sit memoriæ, maximas MARCIONISTARUM priscorumque hæreticorum corruptelas, in nonnulla hujus Evangelii exempla incubuisse: nihilo

nihilo tamen minus vetustissimorum Patrum consensus, qui constanter *Quirinium* legerunt, & optimi Novi Instrumenti codices, receptam lectionem tuentur.

§ X. Nos non negamus, tunc temporis cum Servator nasceretur, Sentium Saturninum ordinarium Syriæ Præsidem fuisse. Res ex TERTULLIANO certa est, qui ea in re falli non potuit, cum solerent census in tabulas referri, illæque tabulæ censoriæ, consueto Romanorum more, primum publice proponi, & deinde in tabulariis adservari, ubi inspectandi erat copia. Vid. H. GROTIUS *in h. l.* Hoc tamen non impedit, quo minus Quirinius ἡγεμονῆσαι τῆς Συρίας dici queat, qui ad censum in Syria agendum extra ordinem ab Augusto missus erat, eo tempore, cum ordinarius ejus provinciæ Rector Sentius Saturninus esset. Nam voces ἡγεμόνος & ἡγεμονεύοντος, magistratus quosvis, etiam extra ordinem mandatos, significant. In *Evangeliis* & *Actibus Apostolorum* ἡγεμόνος nomine & Imperator Romanus, & Cæsaris in Judæa procurator, venit, uti vel ex solo Lucæ loco cap. III. 1. constat. JUSTINUS MARTYR in *secunda ad Imperat. Apologia*, Quirinium tantum vocat ἐπίτροπον, ea de causa, quod Augustus eum ad quædam negotia perficienda extra ordinem in Syriam miserat. De ordinario enim procuratore Judææ antiquus Ecclesiæ Pater loqui non potuit, cum nullus procurator Romanus in Judæa fuerit, aut esse potuerit, regnante Herode. Hanc sententiam, de extraordinario Quirinii imperio, SUIDAS confirmat, quando ex veteri quodam auctore refert, Augustum viginti viros in maximis Reipublicæ gravissimisque causis cognitos atque probatos, elegisse, qui universum orbem, qua Romanæ ditionis erat, mandatis extra ordinem acceptis, describerent. Veri fit simile, Quirinium in his fuisse, quod rebus in Cilicia, Syriæ vicina, feliciter gestis, res Orientis exacte didicisset. Conjecturam confirmant mores Romanorum, apud quos duo Magistratuum genera fuisse constat. Alii erant ORDINARII, uti in Provinciis Cæsaris *Proprætores*, *Legati pro Prætore*, *Legati Augustales*, aut in Provinciis populi togatis, *Proconsules* & *Prætores*. Alii vero erant plane EXTRAORDINARII, agendo censui, exigendis tributis, aliisque rebus expediendis nomine Proconsulum missi. Diversos hos sæpe fuisse a Legatis Cæsaris, aut Præsidibus Provinciarum, docuerunt Viri eruditi, qui Antiquitates Romanas, Magistratus aut Rem

Nummariam illustrarunt. FR. SPANHEMIUS, vir summus, sub initium *Historiæ Christianæ T. I. Op. f. 518.* id clarum esse opinatur vel ex TACITI *Annalium* Libro I. Cap. XXXI. qui tradit, GERMANICUM non certe ordinarium Legatum Cæsaris, in Galliis summo cum imperio *egisse Galliarum censum.* Nec mirum esse, Provinciam hanc fuisse demandatam Sulp. Quirinio, jam ante Consuli sub Augusto, deinde victori in Oriente, ac triumphalibus ornamentis donato, post confectum per Giliciam bellum contra *Homonadenses*, de quibus TACITUS *L. III* & STRABO L. XII. Conferantur JOS. SCALIGER de *Emendatione Temporum L. IV. f. m. 417.* HENRICUS NORISIUS in *Cenotaphiis Pisanis p. 321.* JACOBUS USSERIUS in *Annalibus p. 531.* CHRISTOPHORUS CELLARIUS *Tom. I. Dissertat. p. m. 53.*

XLIX.

UNDE FILIUS DEI A JOANNE Ο ΛΟΓΟϹ DENOMINATUS SIT, Joann. I v. 1.

§. I.

DE vocis λόγȣ origine, ejusdemque significatione, unde nempe accepta, & qua occasione in Theologiam invecta sit, anxie hactenus disputatum fuit. Hodierni in Anglia Unitarii, DANIELIS ZWICKERI, Borussi, ductu, multis persvadere conati sunt, JUSTINUM MARTYREM, percelebrem seculi secundi Doctorem, Simonis Magi deliriis, ac Orphei atque Sibyllarum versibus deceptum, Platonicorumque hypothesibus inductum, λόγȣ ante mundum conditum præexistentiam ac divinitatem, primum docuisse. Hos erudite copioseque confutavit GEORG. BULLUS, Theologiæ Professor & Presbyter Anglicanus *in prima classe* Operum, a JO. FR. GRABIO nuperrime cum Præfatione & Annotatis Londini editorum.

§. II. Nemo facile ignorat, Joannem λόγȣ voce de DEI filio, ὑποστατικῶς persæpe usum esse. Sociniani negant, aliterque ac nos Joannem interpretantur, contenduntque Joannem & multas

multas Platonis formulas imitatum esse, & hanc maxime vocem ex Platonicorum schola mutuo acceptam, in Evangelium induxisse. Huic opinioni JO. CLERICUS non obscure subscripsit in *Animadverf. ad cap. I. Joannis*. Eum enim si audis, Judæi in Ægypto & Syria viventes, Christi ac Apostolorum tempore, Philosophiæ Platonicæ opinionibus imbuti erant: quas eo admiserint facilius, quod crederent, hoc modo religionem suam & melius defendi, & gentilibus acceptiorem reddi posse. Exinde fortassis esse concludit, quod multæ phrases Platonicæ in Novo Testamento, & præcipue in Evangelio Joannis inveniantur. Sigillatim de voce τῦ λόγυ animadvertit, quod Apostoli Jesu Christo ea Vet. Test. dicta applicent, quæ Philo applicuit τῷ λόγῳ: & quod Philosophus iste Judæus τὸν λόγον iis plerumque exornet titulis, quos Apostoli attribuunt Jesu Christo. Vid. *Biblioth. Universel. Tom. X. p. 400.* In ea igitur opinione JO. CLERICUS est, vocem λόγυ ex PLATONIS schola per PHILONEM in religionem translatam, ac deinceps a Joanne, quo sensu usurpari posset, explicatam fuisse.

§. III. Negari nequit, PLATONEM omnium, qui philosophati sunt, primum *verbum subsistens* commemorasse. Nam quando de λόγῳ tradit, quod τὸν κόσμον ἔταξε, eundemque alibi τὸν τῦ ἀγαθῦ ἔκγονον *boni filium* appellat, designat procul dubio λόγον ὑποςάντα, ut patet. Quem PLATO λόγον, eum ORPHEUS Αὐδὴν, requirente poëmatis lege, appellavit. Mercurii Trismegisti Poemander cap. I. habet ὁ ἐκ νοὸς φωτεινὸς λόγος, ὑιὸς Θεῦ. Ubi tamen observandum est, quod hic scriptor Mose multo sit recentior. Licet hoc colligere non solum indicio sententiarum ex Mose depromtarum, sed ex quibusdam etiam verbis, quæ post Joannem Christi prænuncium cognita demum tritaque fuerunt. C. S. SCHURZFLEISCHIO, Doctori meo sanctissime colendo, veri videtur simile, seculo secundo conditum esse hoc Poemandri volumen, quod primo Ferrariæ, deinde Coloniæ Agrippinæ plene integreque emissum est. Vid. Tom. II. Differt. XXCI. Multiplex λόγυ mentio fit apud PHILONEM etiam, PROCLUM, PLOTINUM aliosque recentiores PLATONIS sectatores. Vid. P. D. HUETIUS *in Quæst. Alnatan. L. II. cap. III. p. 118.* H. WITSIUS *Tom. poster. Miscell. Exercit.* III. §. VII. VIII. p. 92.

§. IV. Multi his rationibus inducti asserunt, Joannem ex antiquioribus Platonicis caput Evangelii sui primum exscripsisse, quemadmodum Paulus ex Poëtis quædam in suas epistolas transtulit. Conf. P. POIRETUS *Cog. Ration. L.* III. *cap.* VIII. *p.* 244. An forte hæc etiam sermonis similitudo ansam dederit paganis, ut totam doctrinam Christianam ex suis Poetis haustam esse, calumniarentur, non liquet. Hoc certum est, inter recentiores Platonicos reperiri, qui Joannis Evangelium eo nomine vehementer laudant, quod cum placitis Platonicis exacte consentire videatur. Ex Mediolanensi Episcopo SIMPLICIANO sæpe se audivisse narrat AUGUSTINUS *de Civit. DEi* L. X. cap. XXIX. quendam ex Platonicis dixisse, aureis literis describendum esse Evangelii Joannis initium, & in conspicuis Ecclesiarum omnium locis ponendum. AMELIUS, Philosophus PLATONIS placitis imbutus, Evangelii Joannei exordium admiratus est *Acta Er. Lips.* 1715. *p.* 7. Adeundus est H. WITSIUS, qui *l. c. pag.* 95. recte observat, λόγον PLATONIS, & λόγον JOANNIS plurimum a se invicem distare, & sub antiqua verborum similitudine dissimillimum latere sensum. Idem esto de Trinitate Platonica judicium. Nam hi Philosophi sua semet subtilitate involvunt, nec ipsi satis, quid loquantur, intelligunt & ubi ὅμοια λαλοῦσιν, ἀνόμοια φρονοῦσι.

§. V. Quapropter omnium piorum odium ac reprehensionem jure meritoque incurrit JO. CLERICUS, quod λόγον a Joanne in Evangelio commemoratum, ex PHILONE desumtum esse, opinatur. Credi vix potest, PHILONIS Judæi Alexandrini, Platonicorum opinionibus imbuti, scripta cognita JOANNI, aut lecta ab eo fuisse, nedum ut ejus verba enarrarit, & Scholiastarum more explicarit. Joannes enim, sicut peropportune de eo annotavit H. GROTIUS, Bethsaidensis piscatoris filius, & ipse piscator ac illiteratus fuit. Etsi legem didicit puer, ut mos erat Ebræis, tamen nulla tinctus fuit aut Ebraica aut Græca literatura, nisi si quid utriusque hausit jam major natu in Asia, ubi maximam vitæ partem ad senectutem summam produxit. Inde est summa ejus in dicendo simplicitas, & stilus nullis verborum ampullis, ac Platonicorum flosculis tumens. Deinde quidquid locuti sunt Apostoli, aut in perpetuam rei memoriam literis mandarunt, illud neque ex Philosophorum placitis petierunt, neque pe. suasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spirituali

tuali & potente 1 Cor. II. v. 4. 5. divino afflatu excitati, proposuerunt. Altissimum præterea ea de re silentium est apud veteres, qui aut philosophiam Platonicam nimiis extulerunt laudibus, aut Christianos potiora doctrinæ suæ capita ex suorum Philosophorum scitis suffuratos esse, contenderunt. Cum tamen nec illi in Platonis laudem, nec hi in Christianorum vituperationem istud fuissent omissuri, si Joannes vocem λόγε a PLATONE per PHILONEM accepisset. Nec tam multi ex veteris Ecclesiæ Doctoribus PLATONEM tam acriter vituperassent, si voces ejus vir θεόπνευςος tanto in pretio habuisset, & narrationi sacræ inseruisset. Tandem a muneris Apostolici gravitate videtur alienum, glossatorem & Scholiasten agere PHILONIS, hominis a Christiana doctrina alieni. JO. CLERICUM prolixe refutarunt JO. VAN DER WAEYEN, H. WITSIUS, aliique.

§. VI. Patet proinde, vocem λόγε a JOANNE usurpatam, non esse ex PLATONICORUM lacunis haustam. Ubi vero originem ejus quæremus? Unde accepit eam Evangelista? Non aliunde, quam ab ipsomet Spiritu S. quemadmodum reliquas voces & doctrinas omnes, quas scriptis consignatas nobis reliquit. Permulti equidem ex eruditissimis viris hanc vocem de Filio DEI usurpatam, in Paraphrasibus Chaldaicis sibi observasse visi sunt, quando Targumistæ pro DEO vel Jehova מימרא דיי *verbum Jehovæ* frequentissime substituerunt. Non coacervabo exempla, quia infinitus fere eorum est numerus, nec prolixus ero in re trita, & pervulgata. Jam olim RAYMUNDUS MARTINUS, PAULUS FAGIUS aliique Viri Hebræarum literarum periti, id notarunt. Nec valde dubitatum fuit de illius assertionis veritate, donec GEORGIUS VECHNERUS, edita 1629. concione super initium capitis *primi* Joannei, illud domesticum Judæorum testimonium contra hostes divinitatis Christi paulo diligentius urgeret, & collectis locis Targumicis probaret, vocibus מימרא דיי' designari Messiam secundam Deitatis personam. Tum illi se opposuit JONAS SCHLICHTINGIUS, & magno conatu demonstratum ivit, istis Targumistarum vocibus nil aliud denotari, quam attributa & proprietates vel operationes divinas. Ejus vestigiis insistens Anonymus edidit Disceptationem de *Verbo vel Sermone DEI, cujus mentio apud Paraphrastas Chaldæos*, in quam JOSEPHI VOISIN

animadversiones exstant. Eidem JO. STEPH. RITTANGELIUS *Libram Veritatis* opposuit, cura JO. VAN DER WAEYEN, Theologi Belgæ, sub finem superioris seculi recusam, sed jam olim CONRADO VORSTIO in *Bilibra* oppugnatam. Novissime PETRUS ALLIXIUS in Libro de *Judicio Ecclesiæ Judaicæ contra Unitarios* מימרא יי' in Chaldaica Paraphrasi Messiam notare pugnavit. Sed STEPHANUS NYE, Rector Hormedensis, per SCHLICHTINGII vestigia incedens, contradixit in Tr. de *Trinitate*. Tandem auctor *Platonismi Delarvati*, Mr. SOUVERAIN, Pictabionensis quondam inter Reformatos minister *p. m. 54 & 155*. Paraphrastas Chaldæos per istam VERBI vocem nihil aliud intellexisse contendit, *quam Angelum seu internuncium, qui nomen DEI gestabat, & qui ipsius nomine loquebatur*. Quo sensu si quis מימרא יי' accipiat, negat SUPREMUS se reluctaturum, quo minus ipse Messias a Chaldæis Paraphrastis dicatur designatus *p. m. 156*. Conferantur GOTTFRIDI OLEARII Viri Celeb. *Observationes* ad *Matth. VIII, 8. p. 249 & 247*. ubi SUPREMUM illum docte confutavit, nec non Viri Cl. SEBASTIANI EDZARDI Dissertatio peculiaris *de Verbo Substantiali* Hamburgi 1701. edita, & paulo post Londini recusa, cujus honorificam mentionem fecit RICHARDUS KIDDERUS, Episcopus olim Bathoniensis & Wellensis in Præfatione ad Partem III *Demonstrationis Messiæ* Anglice editæ. Mea sententia certis argumentis definiri & ostendi nequit, JOANNEM λόγου vocabulum, ejusque hypostaticam significationem ex Paraphrasibus Chaldaicis didicisse. Diu est, quod ipse FAGIUS HACKSPANIUS, & uterque BUXTORFFIUS observarunt, vocem מימר Chaldæis interpretibus sæpissime notare rem ipsam, cujus dicitur esse verbum, idemque valere, quod נפש Ebræorum & עצם Rabbinorum, sensu reciproco. Et quamvis insignia quædam loca in Targum extare videantur, ubi מימר & ipsum DEum significat, & a DEO, cujus est מימר, distinguatur, nec ego inficier, a Mose atque Prophetis, divinis Ebræorum magistris, Trinitatis S. S. mysterium sufficienter doceri: permoveri tamen non possum, ut credam, Targumistas iis in locis, quæ a Viris doctissimis laudantur, per מימר Messiam DEI filium, seu secundam in Deitate personam, intellexisse, tametsi nos Christiani eorum verba non incommode ita interpretamur, & contra Judæos modernos urgemus. Nam Christi

sti ætate, circa quod tempus adornatas esse has Paraphrases, communis fert traditio, corrupta erat purior doctrina de DEO triuno, & vera sententia de Messia DEI filio, & spirituali ejus regno dudum explosa, contra incredibilis mentis cœcitas, spississimaque caligo, quam DEus per Esaiam aliosque Prophetas olim minatus erat, toti ferme Ebræorum genti incumbebat.

§. VII. Rectius sentiunt, qui missis ZOROASTRIS, PYTHAGORÆ, PLATONISQUE lacunis, & spretis Cabbalisticis Judæorum nugis, ac ipsis paraphrasibus Chaldaicis ad immediatam Θεοπνευστίαν recurrunt, & ad Scripturas Vet. Test. sigillatim ad locum Psalm. XXXIII. v. 6. ubi David cecinit: VERBO JEHOVÆ *cœli facti sunt, & Spiritu oris ipsius omnis exercitus eorum.* Non apparet, quid per *verbum* melius intelligi, quid menti Spiritus S. convenientius statui possit, quam si affirmetur, Davidem hoc loco eundem DEI filium indicare, quem Joannes in Evangelio λόγον vocat, & per quem omnia condita esse testatur. Conf. Coloss. I. v. 16. Ebr. I. v. 2.

§. IIX. Insignis restat locus 2 Sam. VII, 21. ubi David, DEO gratias agens ob factas promissiones, ait: *Propter* VERBUM TUUM *& secundum animum tuum, præstas has omnes res maximas notas faciendo servo tuo.* Idem vero enunciatur 1 Chron. XVII, 19. PROPTER SERVUM TUUM &c. Hæc duo loca παράλληλα ita confert WITSIUS *Tom. II. Miscell. Exercit. III. §. XVIII. p. 102.* ut, qui in Chronicorum Libris *servus DEI* appellatur, idem in iis, qui Samuelis dicuntur, *verbum DEI* nominetur. Servus autem DEI κατ' ἐξοχὴν Messias est Esa. XLII. v. 1. XLIX. v. 5. LII. v. 13. Ergo recte concluditur, VERBUM DEI in priori Samuelis loco esse Messiam ex Davidis stirpe proditurum.

L.

DE SCRIPTURÆ SACRÆ SCRUTINIO, Joh. V. v. 39.

§. I.

Scripturas diviniores diligentissime debere legi & attento animo expendi, ipse Servator monuit, quando eas ἐρευνᾶν *scrutari* jussit l. c. Sic ἐρευνᾶν sumitur Joh. VII, 52. & 1 Petr. I, 11. convenit cum

cum Ebræorum חקר vel דרש & idem est, quod ἀνακρίνειν τὰς γραφὰς Act XVII, 11. Quamvis non pauci vocis emphasin *a scrutinio in venis metallicis* vel *investigatione ferarum* deducant, qualis indagatio prius requiritur, vel certe conjuncta esse debet cum ἀνακρίσει. Vid. B. CALOVIUS *in Bibl. illustr. in h. l. f. 740.* & STEPHANUS LE MOINE in *Notis ad V. S. p. 345.*

§. II. In explicatam vocis significationem consentiunt interpretes fere omnes, sed in hoc ingens est dissensus, an verba Christi ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, imperandi vim, an vero indicativum duntaxat sensum habeant? Utroque enim modo exponi possunt. Pontificii, ut elevent Scripturæ auctoritatem, pro indicativo pugnant, quibus Quackeri & multi ex hodiernis Novatoribus adstipulantur, qui verba hæc non imperative, sed per modum exprobrationis exponenda esse censent. Videatur GOTTFRIDI ARNOLDI Evangelische Bothschafft der Herrlichkeit GOttes in Christo JEsu p. m. 38.

§. III. Ut sententiam tueantur, his maxime nituntur argumentis. Primo objiciunt, quod Christus Doctores Judæorum alloquatur, qui Scripturas diligentissime scrutati erant, hoc sensu: *Vos scrutamini equidem Scripturas, quia putatis vitam* æternam in ea contineri, sed tam perversi estis, ut ad me accedere mihique credere nolitis. Verum observari oportet, quod Servator h. l. ad assiduum Scripturarum scrutinium non solos legis Doctores & Pharisæos, sed omnes cujusvis ordinis homines adhortetur. Omnes enim alloquitur, & sacerdotes & laicos v. X. XV. XVI. ubi Judæi in genere vocantur, qui objurgarunt paralyticum, & qui in medio templi congregati erant v. XIII. Præterea de Pharisæis constat, quod eo tempore diligentes Scripturæ lectores non fuerint. Nam Matth. XXII. 29. dicuntur μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. Ad hanc igitur negligentiam excutiendam Imperativo quam maxime opus erat. Secundo loco urgent, ante vocem ἐρευνᾶτε præcedere alium Indicativum πιστεύετε v. 38. Verum hoc nihil probat, quia Indicativus πιστεύετε præcedentem versum claudit, & ad subsequens comma trahi nequit. Eodem modo, quo versus 44 hujus capitis cum Indicativo οὐ ζητεῖτε clauditur, & subsequentis versus 45. verba μὴ δοκεῖτε omnium interpretum suffragiis Imperativi modi manent.

§. IV. Recte proinde verba Christi ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς pro mandato accipimus, & de Imperativo interpretamur. Nam secunda

cunda pluralis Indicativi, qualem esse putant vocem ἐρευνᾶτε dissentientes, in toto Nov. Test. inprimis a Joanne, nunquam ab initio periodi ponitur, nisi forte interrogatio sit, sed particula quædam, (e. c. ὑμεῖς, οὐ) semper eam præcedit. Conf. Joh. IIX, 15. 41. 45. XIII. 13. Quando autem ta'e verbum versum exorditur, semper Imperativus est, Jo. XIV, 11. XV, 20.

§. V. Huc pertinet regula illa hermenevtica: *Quando in una voce sensus Scripturæ sibi subordinantur, tunc ille præferendus est, qui analogiæ fidei congruit, & plurimum facit ad Ecclesiæ ædificationem.* Sic Matth XXVII. v. 65 ἔχετε κουστωδίαν *habetis* & *habete* custodiam, exponi potest. Sed posterior sensus recte præfertur, quia solertiam indicat, & cum circumstantiis magis convenit. Ita in hoc exemplo Imperativus merito antefertur Indicativo, quia hic sensus analogiæ fidei non tantum conformis, sed ad Ecclesiæ ædificationem plus confert, quam alter.

§. VI. Nostram interpretationem antiquissimæ versionis Syriacæ consensus atque auctoritas juvat. Syrus enim interpres ἐρευνᾶτε per Imperativum ܒܨܘ *investigate*, *quærite*, exposuit, sublataque æquivocatione, litem composuit. Christi denique scopus pro Imperativo stare videtur, qui Judæos ablegat ad verbum Propheticum, & vocem in Jordane auditam. Consentiunt multi ex veteris Ecclesiæ Doctoribus, nec pauci ex ipso Romanensium cœtu, quos enumerat B. DORSCHEUS in Comment. in h. l. p. 1040. qui simul utiliter monet, *hunc canonem ut universalem, non adstringendum tantum esse ad Scripturas tum existentes, sed ad omnem Θεόπνευστον Scripturam.*

§. VII. Apparet exinde, quam male Romanenses laicos a Scripturæ lectione arceant contra expressum Christi mandatum, qui omnes illam legere & perscrutari jubet. Quam absurde infirmiorum simplicitati & fidei metuant, ne scilicet ex ejus lectione, cum intellectu difficillima sit, turbentur, alibi ostendam. Nam si Christus, ejusdemque discipuli homines laicos, cujusvis etiam conditionis, fœminas, juvenes, operarios, ad conciones suas admiserunt, imo ad verbum DEI audiendum graviter compulerunt; præterea si idem illud verbum populo oretenus explicatum literis consignarunt, ut nemo negare potest, cur, quæso Te, laicis hodie non liceret legere, quod olim licuit audire? Nam ex attenta lectione difficultates, si quæ in Scripturis sunt, multo facilius tol-

luntur, & confusiones evitantur, quam ex nuda auscultatione. Ita Apostolus ad universam Corinthiorum Ecclesiam Epistolam suam exaravit, eandemque non ab uno duntaxat hominum ordine sed ab omnibus *ἡγιασμένοις ἐν χριστῷ* & *κλητοῖς ἁγίοις* legi voluit 1 Cor. I, 2. Tanta est hujus veritatis vis, ut multos in Gallia Viros, Romanis ritibus ceteroquin addictissimos, in assensum pertraxerit. Ita Archi-Episcopus Rhotomagensis COLBERTUS *in Epistola Pastorali p 13. 14.* omnes Patresfamilias adhortatur, ut & ipsi Scripturas diviniores evolvant, & liberos in ejus lectione diligenter exerceant, cum tam difficiles non sint, quin Spiritus S. auxilio intelligi queant. Conferantur *Difficultés proposées a Mr. Steyaert*, Difficult. 37. & 38. in quibus diserte asseritur, Biblia S. a fœminis perinde ac viris promiscue legi debere. Ne tamen tot Pontificum interdicta, & Concilii Tridentini auctoritatem sperni putes, fingunt, Scripturæ lectionem olim tantum propter depravatas versiones, adjectasque malæ fidei notas prohibitam fuisse. Vid. *Journal des sçavants 1702. Tom. I. p m 235.* Sed fraudem ac malam caussam prodidit hodiernus Pontifex CLEMENS XI. in famosa Bulla contra QUENELLIUM edita, qua hæc ipsa sententia damnatur, S. Scripturæ lectionem omni personarum generi concedendam, utilem ac necessariam esse. Olim non erat sic. Rectius sentiebant veteris Ecclesiæ Doctores. SALVIANUS *Libro V de Gubern. DEI §. 142. p. m. 86* deplorat Gothorum & Vandalorum conditionem, quod nihil omnino scirent, nisi quod a doctoribus suis audiebant, existimans, necesse esse, ut unusquisque Christianus apprime imbutus sit arcanis fidei suæ, neque in sacerdotis sui fide conquiescat, ut recte ad eum locum commentatur STEPH. BALUZIUS, observans, antiquos etiam fœminas excitasse ad studium sacrarum literarum. Testem laudat HIERONYMUM, qui in epistola ad Gaudentium vult puellam scire memoriter psalmos, libros Salomonis, Evangelia, Apostolos & Prophetas. Idem Marcellam laudat in ejus epitaphio, quod divinarum scripturarum ardor in ea esset incredibilis. Et ad Demetriadem scribens, eam hortatur, ut statuat, quot horis sanctam Scripturam ediscere debeat, quanto tempore legere non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. VICTOR VITENSIS in initio libri quinti de *Persecutione Vandalica* Dionysiam quandam commemorat, quæ scripturarum divinarum scientia plena erat. LEODEGARIUS Augusto-

gustodunensium Episcopus ad matrem suam Sigradam, quæ in monasterium se abdiderat, scribens, eo inter alia argumento eam solatur, quod pro amissione rerum haberet Scripturam sanctam divinam. Hæc ex BALUZIO V. Cl. & rerum Ecclesiasticarum peritissimo repetere placuit, ut ab omnibus intelligatur, quam procul desciverit hodiernus Pontifex a priscorum temporum simplicitate.

LI.

DE ACETO CHRISTO CRUCIFIXO ET SITIENTI PORRECTO, Joannis XIX, 29.

§. I.

TOtam rem Joannes citato loco ita enarrat: *σκεῦος ἔκειτο ὄξους μεστόν· οἱ δὲ πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι.* Ubi ante omnia observamus, quod Servatori in cruce affixo & sitienti, simplex acetum, non felle mixtum præbitum fuerit. Paulo ante, quam ex cruce pependit, cum nempe ad supplicium educeretur, vinum myrrhatum atque acetum cum felle permixtum ei oblatum esse, Evangelistæ testantur. E quorum narratione & temporis & rei gestæ diversitas intelligi potest. A simplici enim aceto, quod Christo e cruce pendenti a milite præbebatur, manifeste distinguitur *ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον acetum felle mixtum*, apud MATTHÆUM cap. XXVII. v. 34. & 48. atque *οἶνος ἐσμυρνισμένος*, *vinum myrrha conditum* apud MARCUM cap. XV. v. 23. & 36.

§. II. Hac occasione breviter strictimque exquiramus, utrum myrrhatum, quod MARCUS commemorat, felle mixtum, quod habet MATTHÆUS, an vero ab hoc diversum fuerit? AUGUSTINUS, Hipponis Præsul, vir limato alioquin judicio, & quinto post natum Servatorem seculo inter Patres Afros optime promeritus, & tota mente animoque res sacras contemplatus *in libr. III. de consensu Evangelist.* rem recensere magis, quam definire voluit. Nos rerum argumentis confirmati non dubitamus, quin ex sententia Evangelistarum vinum myrrhatum, atque acetum cum felle permixtum, unum idemque

 sint.

ſint. Monuimus jam antea, *οἶνον ἐσμυρνισμένον* nil aliud eſſe, quam vinum myrrha mixtum. Ita SYRUS interpres circumſcripſit, cum quo ARABS, ÆTHIOPSque ſentiunt. Hoc Chriſto cruci ſuffigendo ex more conſueto exhibitum fuiſſe videtur. Nam apud Judæos olim ad ſupplicia ituri, hauſtu vini reficiebantur, quo animo præſenti magis exciperent fatum. Illius conſuetudinis originem ex Regum ſapientiſſimi præcepto derivant Ebræorum magiſtri Prov. XXXI. 6. Huic vino ſequiorum temporum Judæi ſoporiferi quid admiſcuerunt, ut plectendus doloris ſenſu careret, ſubeundumque ſupplicium minus horreret. Conf. SAM. BOCHARTUS *P. I. L. II. Hieroz. cap. XXVI. f. m. 201.*

§. III. A MARCI narratione longe abiiſſe videtur MATTHÆUS, qui *ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον* CHRISTO datum fuiſſe affirmat. Dubium movet diverſa appellatio. Nam *ὄξος* & *οἶνος* *acetum* & *vinum*, *χολὴ καὶ σμύρνα* *fel* & *myrrha* magno diſcrimine a ſe invicem diſtant. Codex Cantabrigienſis, qui TH. BEZÆ fuit, pro *ὄξος* habet *οἶνον* *vinum*. Sic vertit Interpres vetus, neque aliud verſio Coptica expreſſit. Si hæc admitti poſſet lectio, non multum in ſolvendo nodo deſudaremus. Sed vetuſtiſſima exempla *ὄξος* habent. Idem SYRUS, ARABS, PERSA, aliique expreſſerunt. Nec aliter legit ORIGENES, diligentiſſimus exemplarium inquiſitor, CHRYSOSTOMUS etiam & THEOPHYLACTUS, teſte ANT. BYNÆO Libr. III. de morte Jeſu Chriſti cap. V. p. 270. IS. CASAUBONUS vini myrrhati poculo fel a militibus ſcelerate infuſum fuiſſe ſuſpicatur. Alias, quas præſertim P. GALATINUS, TH. BEZA, H. GROTIUS, LUD. DE DIEU & LIGTFOOTUS, excogitarunt conciliandi rationes, brevitatis ſtudio prætermittimus.

§. IV. Noſtra opinione Evangeliſtarum uterque de uno eodemque potu loquuntur, nec alter alteri contradicit. Nam *ὄξος* non acetum proprie dictum notat, ſed vinum acetoſum, ſive acetum, quod interdum vini loco & æſtimatione Romanorum propter tenuis fortunæ homines, habebatur. GALENUS ſcribit, *οἶνον τεθνεῶτα καὶ νεκρὸν εἶναι τὸ ὄξος.* *L. I. cap. XVII. de ſimpl. med. facult.* Præterea *χολὴ* apud MATTHÆUM non verum fel, hepatis illud excrementum, ſed *amarorem* ſignificat, quemadmodum alibi etiam inprimis apud ſcriptores profanos de quavis amaritudine, ſive fellis, ſive abſinthii, ſeu myrrhæ uſurpatur.

tur. Sic Græci Seniores vocem לענה, quæ *abſinthium* notat, χολὴν aliquoties verterunt. Huc reſpexit Syrus, voce ܡܪܪܬܐ uſus, quæ *amaritudinem* ſignificat. Nec latinæ aures eam loquendi conſuetudinem refugiunt. Sic Plinius *Libr. XXV. cap* VI. *H. N. fel terræ* dixit herbam omnium in terra creſcentium amariſſimam, qualis eſt Centaurion, ſpeciatim minus. Corda in felle ſita, dixit Plautus, *Trucul. Act. II ſc. 2. v. 77.* Hæc ſi obſervantur, omnis difficultas tolli, & Evangeliſtæ conciliari poſſunt. Nam MATTHÆUS vinum illud ignobilius & acetoſum, ὄξος abs ſemet dictum, *μετὰ χολῆς cum amaritudine* quadam mixtum fuiſſe ait: MARCUS vero in ſpecie deſignat, qua re amara mixtum fuerit, videlicet cum myrrha.

§. V. Hac difficultate ſublata ad explicandum JOANNIS locum, unde delapſi ſumus, revertimur. Quærunt interpretes, unde illud *vas aceto plenum*, cujus mentionem facit JOANNES? Cum enim non legamus, ullam in monte Calvariæ habitationem fuiſſe, & cum locus hic modico tantum intervallo ab urbe abfuerit, variæ ab eruditiſſimis viris excogitatæ ſunt conjecturæ, unde & quem in finem vas illud aceto impletum allatum ſit? IS. CASAUBONUS *acetum reficiendis miſeris, quos exanimaret pavor ſupplicii, neceſſarium fuiſſe tradit,* Exercit. XVI. n. LXXXVIII. p. 462. NONNUS *παρὰ γείτονι χώρῳ* propinquis in ædibus, alios forte in uſus, paratum fuiſſe exiſtimavit. H. GROTIUS in h. l. putavit, eſſe vinum illud factitium, quod apponi ſolebat ad crucem. GER. JO. VOSSIUS vas illud appoſitum fuiſſe credidit, quia more Romano in cruce morituris acetum dabatur, *Harm. Evangel. L. II. cap. VIII. §. 23.* Veri valde ſit ſimile, vas iſtud a militibus allatum, poſitumque fuiſſe ad bibendum: non ut Chriſto potum ex eo darent, ſed ut ſibi potum ex eo ſumerent.

§. VI. Nam acetum Romanis ad egeſtatem redactis, tenuis fortunæ hominibus, & gregariis præſertim militibus potus familiaris erat, & pro vino bibi ſolebat. Quorſum ſpectat ULPIANUS *in lege IX. §. 1. π. de tritico, vino vel ol. legat.* Idem docet luculenta conſtitutio, quæ extat in Codice & inſcribitur *de erogatione annonæ militaris Leg. 1.* Milites igitur Romani aceto ad bibendum pro vino utebantur, ut tenuiter viverent ſtipendioque contenti parſimoniæ ſtuderent. Idcirco PESCENNIUS

 NI-

NIGER, virtute imperium adeptus, milites universos aceto contentos esse jussit, ut legitur apud SPARTIANUM, in eo, cap. X. VEGETIUS demonstraturus, quibus modis providendum sit, ne famem patiantur obsessi, *vini*, inquit, *aceti, ceterarumque frugum, vel pomorum congerendæ sunt copiæ*, de Re Militari L. IV. cap. VII. Conf. Ruth. II. v. 14. Plura veterum ea de re testimonia leges apud EDMUND. MERYLLIUM *Not. Philolog. in Pass. Christi ad Joannis XIX. num 36.* LIGTFOOTUM *Horis Ebr. in Lucam cap. XXIII. 36.* ANT. BYNÆUM *Libr.* III. *de morte Jesu Chr. cap.* VIII. *p. 422.*

§. VII. Cum igitur certum sit & indubitatum, tale acetum vini numero olim habitum, & ab egentibus, atque infima conditione hominibus, maxime vero a militibus bibendi causa usurpatum esse, ecquid cogitari, statuique potest convenientius, & veri similius, quam milites, qui Jesum & latrones, e cruce pendentes, custodiebant, præter cibum, vas aceto plenum habuisse, ut potu hoc militari sitim explerent? quemadmodum miles ille apud PETRONIUM *in Satyra*, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, cœnulam suam habuit, quam ad matronam Ephesinam attulit in monumentum.

§. IIX. Ex eodem hoc Romanorum militum vase, aceto impleto, Christo sitienti potus præbebatur a milite, qui spongiam, alias abstergendo sanguini destinatam, aceto repletam, & hyssopo circumpositam, ori ejus admovit. Vid. STEPHANUS LE MOINE *Not. & Observat. ad varia Sacra p. 740.* Hôc acetum ab impio milite Servatori porrectum fuit, non ad sistendum sanguinem, e vulneribus defluentem, quod BARONIUS longa oratione probare conatus est, in *Annal. Eccles. ad A. Ch. XXXIV. num. CXXIV.* quem ideo graviter reprehendit IS. CASAUBONUS *Exercit.* XVI. *n.* LXXXVII. *p. 461.* Nec minus nugari videntur, qui, accelerandæ mortis ergo, oblatum, vel corroborandi spiritus causa, & ad vires reficiendas, datum fuisse suspicantur, ut pœnas diutius sustineret, aut spatium daretur Eliæ veniendi, & eum de cruce deponendi. Hæc omnia ex ingenio fingi, Lucæ narratio docet, qui Servatori, de siti querenti, acetum a milite ludibundo, qui nihil ad summum ludibrium reliqui faciebat, porrectum esse ait, cap. XXIII. v. 36. Jesus enim, se Regem esse, dixerat, & ideo crucis supplicio affectus erat. Miles ergo, ut cruciato illuderet, tanquam vano Regi, acetum, potum vilissimum, præbebat, ut vilem, infimam-

que

que hominis conditionem, cui vini loco bibenda foret posca, indicaret, eumque sarcastice derideret.

§. IX. Sed cum Servator nec manibus, quæ cruci infixæ erant, uti, nec poculum quoddam ori ipsius commode admoveri posset, miles spongiam implevit aceto, quod suctu vel odoratu percipiendum erat, & *περιθεὶς καλάμῳ*, *circumponens calamo*, ut MATTHÆUS, & cum eo MARCUS habent, vel, ut apud JOANNEM legitur, *περιθεὶς ὑσσώπῳ*, Christo ad bibendum obtulit. Ex dissentiente hac Evangelistarum narratione nova emergit difficultas. Interpretes enim non intelligunt, qua ratione Joannes ὕσσωπον appellare possit, quod a MATTHÆO & MARCO *κάλαμος* vocatur. Hæc duo enim valde inter se differunt. Nam ὕσσωπος est nomen herbæ, & inter plantas numeratur, quæ vix terra se attollunt. Id quod ipsa Scriptura declarare videtur, quæ narrat, Salomonem plantarum historiam scripsisse ab hyssopo ad cedrum, id est, a minima ad maximam. Κάλαμος autem *arundinem*, *cannam*, aut *baculum* semper fere notat, quo sensu hoc etiam in loco accipi debet.

X. Dici satis non potest, quantopere eruditi se torserint & defatigarint in nodo hoc solvendo. JOACHIMUS CAMERARIUS, singulare olim nominis Germanici decus, ingeniosissime conjiciebat, ab initio scriptum fuisse apud JOANNEM *ὑσσῷ περιπεριθέντες*, *extremo pilo circumdantes*. Nam pilum, vel potius *hastam*, peculiare telum Romanæ militiæ, Græci ὑσσὸν appellarunt. Quæ conjectura, etsi erudita est & TH. BEZÆ, FR. SYLBURGIO, ac CLAUDIO SARRAVIO, aliisque vehementer placuit, tamen a nobis improbatur. Nam lectionem vulgarem omnes agnoscunt interpretes, SYRUS ipse, qui omnium vetustissimus est. Ubi igitur de vulgatæ lectionis vetustate, & codicum consensu, certi sumus, nefas esse arbitramur, vel minimum apicem in S. literis immutare. Nec aliam ob causam peraudaces DAN. HEINSII conjecturas rejicimus, qui aliquando existimavit, non ὕσσωπον, sed οἴσοπον, quod *lanam succidam* notat, cujus in emolliendis, sanandisque vulneribus usus fuit, debere assumi, & apud JOANNEM legi. Postea, mutata mente, aliam emendationem excogitavit, & pro ὑσσώπῳ legi voluit, ὑσσωτῷ. Quemadmodum enim λογχωτὸν a λόγχη ita ὑσσωτὸν, *pilum*, aut *hastile acuminatum* recte ab ὑσσὸς, *quod in hastili eminet, aut summum est*, dici posse censet, *in Aristarch. Sacro*

P 951.

p.951.953. SAM. BOCHARTUS in *Hieroz. P. I. Libr.* II *cap. L.* omnia conciliari posse putat, si mutato solum casu, pro ὑσσώπῳ scribas ὕσσωπον. Sic enim spongia hyssopum non circumdederit, sed hyssopus spongiam, ut aceti acore cum hyssopi amaritudine mixto, fieret potus ingratior.

§. XI. A nobis absit, ut in JOANNIS textu aliquid mutemus, meras suspiciones pro sententiis & verbis scriptorum divinorum venditemus, quemadmodum CAMERARIUS, HEINSIUS, & BOCHARTUS, nulla idonea ratione suffulti, fecerunt. Tota enim vetustas, & codices MSS. omnes, quotquot hactenus inspecti fuerunt, in communi recepta lectione consentiunt. Ceterum nos nullam hic difficultatem, nullum inter Evangelistas dissidium, sed plana ac expedita omnia invenimus. Quid enim impedit, quo minus ὕσσωπον apud Joannem & κάλαμον apud MATTHÆUM & MARCUM, unum idemque esse dicamus? Simplicissime statui potest, MATTHÆUM & MARCUM ponere *genus*, quod *arundini* sive baculo spongia fuerit alligata, JOANNEM vero exprimere *speciem*, quod nempe baculus ille fuerit ex hyssopo paratus. Conf. B. GERHARDI *Harmon h. l.* Nimirum Joannes ὕσσωπον pro *calamo*, *virga*, vel *thyrso hyssopi* posuit, cui alligata erat spongia Christo porrigenda: reliqui Evangelistæ κάλαμον de *hyssopi caule* dixerunt. Neque tamen est, ut arborescentem hyssopi speciem in Judæa requiras, & longam arundinem tibi imagineris, cui affixa fuerit spongia, & ori Servatoris e cruce pendentis admota; Nam κάλαμος Græce variarum fruticum caulem sive quamlibet virgam, & modicum bacillum designat. Hesychius κάλαμον τοῦ σίτου, *caulem frumenti*, quem & *calamum* Latini dixere, unde *calamitas* damnum est, & labes vi tempestatis segeti illata. Virgæ aucupatoriæ Græcis ἰξευτικοὶ κάλαμοι dicuntur, Latinis, *virgæ viscatæ*. Juncorum etiam cauliculos καλάμους Græci nuncupant, quod CL. SALMASIUS erudite docet in *Exercit. de Homonymis Hyles Iatricæ cap. XIX.* & *de Cruce p. 286. 288. 311. 321.* De longitudine nihil laboremus. Hyssopus enim montana, quam Arabes in montibus Hierosolymitanis frequentem esse scribunt, caulem habuit sustinendæ spongiæ satis firmum. Minima hyssopus inter arbores recensetur 1 Reg. IV, 33. Nam Salomon locutus fuit מן העצים de *arboribus*, quarum duæ extremæ species commemorantur, nempe *cedrus*, quæ est in Libano, & *hyssopus*, quæ ex pariete nascitur. Si igitur hysso-

hyſſopus eſt certa arboris ſpecies, quidni rami illius bacillorum uſui inſervire potuerunt? Nec crux Domini tam excelſa fuit, quin extenſa hominis manus, & modico bacillo adjuta, ad os cruciarii pervenire potuerit. Hæc conciliandi ratio omnium eſt optima, & ab eruditiſſimis viris probata, ſigillatim a SALMASIO l. c. & STEPHANO LE MOINE in *Notis & Oſerv. ad Varia ſacra p. 728. usque ad pag. 742*, ubi hunc Joannneum locum erudite explanavit ad noſtram mentem, & ab HEINSII conjecturis vindicavit. Conferantur præterea HUGO GROTIUS *ad Matth. XXVII, 48.* JO. GERHARDUS l. c. & ANT. BYNÆUS *L. III. de Morte JEſu Ch. cap.* VIII. *p.* 442. nec non VARENII Epiſtola de hac hyſſopo in *Relat. Vet. & Novis anni 1711. p. m. 411.*

LII.

DE DIE JESU CHRISTI EMORTUALI ad Matth. XXVI. Marc. XIV. Joannis XIIX. & XIX.

§. I.

Redit tempus contemplando SERVATORIS SUPPLICIO deſtinatum, quod apud veteres in magna venератione fuit. Hebdomadam, qua Chriſtus cruentas crudeliſſimasque perpeſſiones, ac ipſam denique mortem, pro genere humano ſuſtinuit, Græcæ Eccleſiæ Doctores vocabant τῶν ἁγίων παθῶν ἑβδομάδα, σωτηρίε πάθας ἑβδομάδα, ἡμέρας παθημάτων, ἑβδομάδα, voce κατ' ἐξοχὴν & abſolute poſita, nec non μεγάλην ἑβδομάδα *Septimanam magnam*, ἐπειδὰν μεγάλα ἡμῖν γέγονεν ἐν αὐτῇ παρὰ τῦ Δεσπότυ κατορθώματα, *quoniam res magnæ a Domino in illa geſtæ ſunt*, CHRYSOSTOMO interprete, *Homil. LXXVIII. Tomo V.* quæ eſt εἰς τὴν μεγάλην ἑβδομάδα p. 541. *Editionis Savilianæ.* Apud eundem ac alios cœtus divinioris Antiſtites, multi exſtant ſermones diebus hujus magnæ hebdomadis recitati. Varios pietatis ritus, ad celebrationem hujus hebdomadis pertinentes, commemorant EUSEBIUS, SOCRATES, EPIPHANIUS, SOZOMENUS, BALSAMON ad Epiſtolam DIONYSII ALEXANDRINI, aliique. Præ ceteris vero diebus *feria quinta* obſervabatur, ſeu DIES VENERIS,

 veteri-

veteribus appellatus ἡ ἁγία καὶ μεγάλη πεντάς *feria quinta sancta & magna.* Hoc titulo inscribitur sermo die Servatoris emortuali a CHRYSOSTOMO habitus *l. c. p. 547.* Κυρία etiam vocabatur idem dies, καὶ πρώτη τῶν ἡμερῶν.

§. II A divo Joanne, diligenti Evangelicæ historiæ conditore, dies Dominicæ mortis vocatur παρασκευη τοῦ πάσχα h. e. dies προεόρτιος & præparatorius ad festum Paschale Joh. XIX, 14. Nam aliud est ipsum Pascha, aliud autem παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Fallitur Vir Cl. ANT. BYNÆUS *L.* III *de Morte Jesu Chr. p. 177.* arbitratus, παρασκευὴν consueto usu suo non nisi ad Sabbathum referri, eumque duntaxat diem notare, qui Sabbathum præcedat. Eundem errorem in CÆS BARONIO jam olim castigavit IS. CASAUBONUS *Exercit* XVI. *Num.* XVII. *p. m. 342.* Nam festa non minus, quam Sabbatha apud Judæos suas παρασκευὰς habebant. Utræque παρασκευαὶ in monumentis vetustis occurrunt. Parasceve Sabbathi vel integrum diem Sabbathum antecedentem, vel extremam & vespertinam illius diei partem ab hora nona computandam usque ad solis occasum μερικῶς notabat. Hoc sensu parasceve Sabbathi incepisse legitur ab hora nona diei Veneris. Sic Augustus apud JOSEPHUM *Libr. XVI. Antiqu Cap. X. Placet mihi de communi jurati Senatus sententia, Judæos uti propriis ritibus ac legibus - - - - neque cogi ad præstanda vadimonia Sabbathis, aut pridie* SABBATHORUM POST HORAM NONAM IN PARASCEVE. Inde hæc Judæorum παρασκευὴ dicebatur ערב *vespera*, quia præparatio ad Sabbathum sub vesperam præcipue instituebatur. Sæpe tamen integrum Veneris diem notabat cujus pars erat illa ὀψία. In BERESCIT RABBA apud BUXTORFFIUM in *Lexico Talmud f. 1660* ubi dies hebdomadis enumerantur, feria quinta vocatur ערובתא. Hoc nomen adeo vulgatum olim fuit, ut ipsi Arabes, qui Sabbathum non observant Veneris diem ita vocarint, appellatione a Judæis accepta. Eodem sensu apud Marcum Cap. XV, 42 occurrit παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον, nec non apud Lucam Cap. XXIII, 54. ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.

§. III. Simili ratione festa Judaica suas habebant παρασκευάς. Nam ערב יום טוב *vespera* seu parasceve diei festi frequenter memoratur ab Hebræorum Magistris, qui unicuique festo vesperam seu diem προεόρτιον tribuunt. In Pandectis Talmudicis, aliisque

que

que Rabbinorum libris ערב ראש השנה *vesperæ Kalendarum novarum* ערב עצרה *parasceve Pentecostes*, & ערב פסח *parasceve Paschatis* passim occurrunt. Nec ullum discrimen fuisse videtur inter parasceven Sabbathi & festorum ratione temporis, inchoationis aut durationis. Utraque enim παρασκευὴ ערב *vespera*, diem festum præcedens, vocatur. Voce autem ὁλικῶς & laxe sumta, notabat universum diem προεόρτιον, qui cum Solis ortu incipiebat. Hoc sensu apud Joannem C. XIX. 14. parasceve Paschatis jam hora sexta fuisse dicitur.

§. IV. Inde facile intelligitur, quid sentiendum sit de conciliatione Joannei hujus loci cum Marco Cap. XV. 25. ex diversa Sabbathi & Paschatis parasceve tentata. Hora Joannis *sexta*, Marco *tertia* dicitur. Tanta profecto hujus dissensionis difficultas est, ut maximorum virorum conatus eluserit, fefelleritque. Ego aliquando ceteris opinionibus prætuli Heinsianam, non quia ex asse mihi satisfaciebat, sed quia minoribus incommodis obnoxia videbatur. Sed aliquo abhinc tempore nova inventa est conciliandi ratio, cujus summa eo redit, Marcum numerasse horas diei communis, Joannem autem horas παρασκευῆς τῦ πάσχα seu diei præparatorii ad festum, cui XII. horæ tribuuntur, ita ut hora tertia post mediam noctem inchoasse & hora nona post meridiem finiisse existimetur. Hac ratione sexta Joannis in parasceve Paschali perpulcre respondet horæ tertiæ Marci. Verum lectores antiquitatis consensum desiderabunt, & eruditissimum Auctorem submonebunt, veteris historiæ fidem prorsus adversari huic suppositioni, quod parasceve Sabbathi trium tantum horarum vesperam notet, Paschalis autem festi parasceve integrum diem naturalem conficiat, ab hora tertia post mediam noctem inchoandum, & in hora pomeridiana nona finiendum. Quibus tabulis aut testibus huic opinioni fides conciliabitur? Veteres discrimen illud inter parasceven Sabbathi & festi, quod fundamenti loco substernitur, ignorarunt. Nam παρασκευὴ laxe sumta integrum προσάββατον, perinde ac diem προεόρτιον notabat. Vicissim Parasceve μερικῶς sumta, eadem erat & Sabbathi & Festorum, ערב nempe, *vespera*, Sabbathum vel festum præcedens. Nota est Rabbinorum regula, cujus meminit JOS. SCALIGER de *Emendat. Temporum Libr. VI. p. m. 533.* העשה מלאכה ערבי שבתות וימים טובים מן המנחה ולמעלה אינו ראה סימן ברכה לעולם *Quicunque facit opus in vesperis Sabbathorum, & dierum festorum ab oblatione,*

ne, vespertina sc. *& ultra, non videbit unquam bonum signum benedictionis*. Ergo inter vesperas Sabbathorum & festorum non obtinet illud discrimen, quod viri eruditissimi supponunt.

§. V Praeterea quia dies Christi emortualis, seu dies Veneris divo Joanne teste, fuit παρασκευὴ τȣ̃ πάσχα, & quidem ἐξόχως, prompte recteque inde colligitur, illum diem non fuisse primam feriam paschatis, ut multi opinantur. Hoc argumentum evidens, firmum & tantum non decretorium mihi videtur. Suffragatorem habeo Virum Cl. JO. HENR. HEIDEGGERUM, qui miratur, huic sententiae, quam peculiari Dissertatione tuetur, palmam non deferri ab omnibus eruditis Recte proinde faciunt, qui verbis divini praeconis inhaerent, nec pulverem oculis offundi patiuntur a CÆS. BARONIO aliisque, qui contra sentiunt atque contendunt, non fuisse parasceven illam festi paschalis, sed sequentis Sabbathi, ut sic idem dies fuerit & paschatis dies & parasceve Sabbathi. At vero Joannes diserte appellat παρασκευὴν non Sabbathi, sed τȣ̃ πάσχα nocte proxima inchoandi. Quid clarius? Aut quod validius telum conficiendae adversae opinioni poterat adferri?

§. VI. Alia praeterea argumenta idem Evangelista suppeditat, quae nos in hac sententia confirmant. Quando Servator ducitur in praetorium, Judaei in domum hominis Ethnici intrare nolunt, ut ne contaminarentur, *sed*, *ut Pascha*, h. e. agnum paschalem, *comederent*, Joh XIIX, 28. Cave hic intelligas sacrificia paschalia, festivo illo tempore mactanda. Illa quippe constabant ex holocaustis, nec comedi, sed tota comburi debebant, Numer. XXVIII, 19. 23. Victimae autem pacificae & salutares, Devt. XVI, 2. 2 Chron. XXX, 22 non secunda tantum paschatis feria, & ante immolationem agni, sed reliquis etiam istius festi diebus mactari comedique poterant. Nulla igitur apparet ratio, cur Judaei ob epulum ex sacrificiis ejusmodi, quocunque vellent festi die instituendum, perbrevem unius diei pollutionem tantopere aversati fu rint. Ne quid dicam de usu formulae φαγεῖν τὸ πάσχα, quae vix aliud quid notat, quam comestionem agni paschalis.

§ VII. Porro primum festi paschalis diem illo anno in Sabbathum incidisse, idem docet Joannes Cap. XIX, 31 Judaeorum solicitudinem describens, ne manerent in cruce corpora cruciariorum *die Sabbathi*, qui MAGNUS erat, quia in eum incidebat prima feria paschatis, quae sola cum feria ultima ἡ μεγάλη ἡμέρα diceba-

dicebatur, propter מקרא קדש *congregationem sanctam*, quæ duobus hisce diebus instituebatur, Exodi XII, 16. Levit. XXIII, 7. Quum autem ultimus festi dies, Joanni etiam ἡ μεγάλη appellata Cap. VII, 37. huic loco non conveniat, relinquitur, primum festi diem, in Sabbathum incidentem, divinum scriptorem hoc loco intellexisse. Nam reliqui festi dies, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, quoties in Sabbathum incidebant, non reddebant illum diem magnum.

§. IIX. Idem suadet indoles festi Judaici, quod sanctum & ἄεργον erat, præsertim feria ejus prima. In festis enim abstinendum erat ab omni opere quotidiano, perinde ut in die Sabbathi. Hoc docetur in Codice Mischnico ביצה *de Diebus Festis Cap. V. §. 2. f. 297. Edit. Surenhusianæ.* Diebus festis apud Judæos non solebat supplicium sumi de facinorosis, nec magnus Judæorum Senatus congregari ad condemnandos reos. Hanc ob causam ne in parasceve quidem Sabbathi aut festi judices conveniebant ad reum damnandum, & sequente die occidendum MAIMONIDE teste, Libro ultimo *Iad Chasaka*, Sectione prima, quæ inscribitur *Sanhedrin, Capite undecimo*, ubi, judicia civilia & capitalia enarrans, confitetur, quod judices rerum capitalium non judicent in parasceve Sabbathi, aut in parasceve diei festi, hanc videlicet ob causam *quia reus postridie*, in festo aut Sabbatho, OCCIDI NON POSSIT. Alia longe res erat, si facinorosus ante festum adhuc poterat ad supplicium duci ipso die παρασκευῆς & periculum erat in mora & supplicii dilatione. Hoc casu in parasceve Sabbathi, aut festi, Synedrium congregari, capitisque sententiam, eodem illo die exequendam, pronunciare potuisse, MAIMONIDES haud obscure videtur subindicasse. Hoc gravissimi scriptoris testimonium nostram sententiam egregie confirmat, omnesque dissentientium conjecturas, IS. CASAUBONO judice, uno ictu confodit. Hinc enim recte infertur, diem Veneris, quo Christus occisus est, festum non fuisse. Ejus quippe religio Judæos, ne prætorium quidem ingressuros, a ferenda capitis sententia, sumendoque supplicio fuisset retractura, quum præsertim ipsi de communi sententia statuant, edicantque, non oportere die festo manus in Jesum injici, ne consilium ob tumultum populi, copiose confluentis, destituatur successu. Certiores autem facti de Judæ proditoris voluntate, videntesque Jesum ante festum & capi & trucidari posse, occasioni imminent, ante dilucu-

luculum τῆς παρασκευῆς τοῦ πάσχα concilium Senatus cogunt, Jesum captum vinctumque in jus pertrahunt, testes producunt, reum pronunciatum importuno clamore capitis damnant, & Rom. Procuratori eo ipso die plectendum, ac cruci suffigendum tradunt, tanquam perduellem, & pacis publicæ turbatorem. Hæc sane primo festi die, valde solenni & plane ἀέργῳ, ex lege divina & Judæorum confessione, fieri nequaquam potuerunt Ne quid de Servatoris sepultura dicam, a viris pientissimis & festi religionem non violaturis, certe offendiculum non daturis populo, curata, non exiguo labore, quando corpus e cruce sublatum, & aromatibus conditum, linteisque involutum, in monimentum deposuere, magnæ molis saxum advolventes. His aliisque rationibus ego inducor, ut credam, *diem Servatoris emortualem nequaquam fuisse primam paschalis festi feriam.* Sub tribus festis apud Judæos de facinorosis supplicium sumi consuevisse, exempli statuendi causa, non admodum refragabor, sed in ipso festo, ac primo quidem festi die, qui maximæ sanctitatis erat, reum occidere, a moribus Judæorum abhorrebat. JOSEPHO SCALIGERO, viro summo, nostræ rationes tanti momenti ponderisque visæ sunt, ut cum antea statuisset, Christum eadem hora cum Judæis Pascha celebrasse, postea *Libro VI. de Emend. Temp. p.567. editionis posterioris*, illam sententiam retractarit, dixeritque, se cum multis millibus hominum errasse. His argumentis illud addo, quod palmarium & tantum non decretorium est, e doctrina temporum petitum, quo conficitur, & clare demonstratur, diem XIV. mensis Nisan, agni mactationi a DEO destinatum, non in diem Jovis, sed in diem Veneris, qui Christi emortualis est, illo anno incidisse, ut calculus Astronomicus nos docet.

§. IX. Inde facile responderi potest ad quæstionem, quæ perdifficilis ac impedita videtur, cur Judæi præcedente nocte pascha non comederint, quo tempore Christus cum discipulis illud comedisse creditur? Ut huic quæsito satisfacerent eruditi, multa vane excogitarunt & precario supposuerunt. Nonnulli ad Kalendarii Judaici leges provocarunt, alii ad vitatum Christi ætate concursum Sabbathorum. Nonnulli etsi satis viderunt, nec dissimulare potuerunt, Judæorum canones, quibus certæ feriæ rejiciuntur in celebratione festorum, ac scrupulosum illum dierum delectum recentioris ævi inventum esse, postquam Neome-

niæ

niæ nulla Senatus Judaici auctoritate amplius calarentur, ac minutiis & tricis universa Synagoga implicaretur: tamen in ea sententia perseverarunt, celebrasse Christum verum, legale, ac ultimum suum pascha tempore ex lege præscripto, adeoque XIV. Neomenia Nisan sub vesperam exeunte die Jovis & ineunte die Veneris, sive XV. Nisan, quo die in crucem sublatus est. Neque tamen minus certum esse ajunt, Judæos haud celebrasse solenne suum pascha eadem die, qua Christus, ἧ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, sed ex Senatus consulto in diem sequentem transtulisse. Videatur FRID. SPANHEMII *Chronologiæ Sacræ Pars I. Cap. XV. f. m. 81. Op. T. I.*

§ X. Gravissimæ vero rationes obstant, quo minus ego in hanc sententiam, quæ pervulgata, & communis fere est, concedam. Nam ex doctrina temporum evidentissime ostendi potest, Judæos ineunte die Veneris, seu vespera diei Jovis, qua Servator salutare epulum instruxit, festum paschale ne quidem auspicari, nec die proximo, qui Servatoris σταυρώσιμος fuit, si vel maxime voluissent, feriari potuisse, impeditos lege divina, quæ diem XV. Nisan huic festo & auspicando & celebrando dixit, Exodi XII. Jam vero Christi emortualis, seu dies Veneris eo anno, ut rationes temporum nos erudiunt, non erat XV. Nisan, sed XIV. demum, sive *secundus* Aprilis, quo die בין הערבים *inter duas vesperas* agnus paschalis immolandus erat. Dies XV. Nisan, *tertio* Aprilis respondens eo anno Æræ Vulg. XXXIII. incidebat in diem Sabbathi, post Christi mortem & sepulturam inchoandi. Dies Veneris autem, morte Servatoris memorabilis, erat XIV. Nisan, sub cujus finem agnus paschalis secundum legem divinam mactandus erat. Provoco ad calculos Astronomicos, a viris præstantissimis & in doctrina temporum, ac siderali scientia versatissimis subductos, qui nostræ opinioni exactissime respondent. Inspiciantur & examinentur illarum rationum Tabulæ quæ publice prostant, typis impressæ apud TOINARDUM *in Harm. Evang. Not p.m. 148* & in Bibliis S. DE VITRE *p.m. 51* quas LANCELOTUS & TOYNARDUS accurata maximaque industria confici curarunt.

§ XI. Facile prævideo plerisque hoc dubium suboriturum, an ille annus Æræ Vulg. XXXIII revera fuerit annus emortualis Christi? Ego non ignoro, permagnam inter eruditos hac de re esse dissensionem, præcipue si veteris Ecclesiæ Doctores consulamus, quorum

rum alter alterum in errorem induxit. Recentiorum tamen plerique abdicata veterum sententia, annum Æræ Vulg. XXXIII. morti Servatoris adsignarunt. Ita præter DAVIDEM BLONDELLUM, & JAC. CAPELLUM sentiunt CALVISIUS *in Isagoge f. 177.* JAC. USSERIUS *in Annalibus f. m. 641.* JO. PEARSONUS *Lect. 1. in Acta Apost.* §. *VI. p. 30.* TILLEMONTIUS *H. E. T. I. P. I. Not. XXVI. p. 223.* HENR. DODWELLUS ad *Irenæum p. 84.* BERNARDUS LAMYUS, FRID. SPANHEMIUS, & novissime AUGUST. CALMETUS in *Dissertatione de ultimo Christi paschate*, aliique viri eruditi, & in definiendis temporum rationibus exercitati. Idem ex veteribus visum est APOLLINARI LAODICENO, VICTORINO LEMOVICENSI, & Venerabili BEDÆ. Veram esse sententiam prompte & expedite hi ostendunt. Joannes quippe munus suum auspicatus est anno Tiberii Imp. XV. qui cum anno Æræ Vulg. XXIX. coincidit. Paulo post Servator a Joanne baptizatus & inauguratus sui muneris initium fecit, illudque per aliquot annos administravit. Ergo ante annum XXIX. non est trucidatus, sed elapsis aliquot annis mortem subiit sub P. Pilato, Procuratore Judææ, ante Tiberii interitum, qui anno Æræ Vulg. XXXVII. contigit, exauctorato & evocato ex Judæa. Necessario igitur Christi mors collocanda est inter annum Æræ Vulg. XXIX & XXXVII. Solus autem in hoc tractu temporis sub præfectura Pilati annus XXXIII. Æræ Vulgaris est, quo Pascha Judaicum in diem Jovis aut diem Veneris incidere potuit. Ergo Christi crucifixio huic anno debet adscribi.

§. XII. Constituto fixoque anno Servatoris emortuali, haud difficulter definiri potest ἡ ἡμέρα σταυρώσιμος, *in diem Veneris* incidens, qui hoc anno XIV. Nisan erat, quo exeunte agnus paschalis a Judæis immolabatur ex legis divinæ præscripto. In Sabbathum incidebat XV. luna festo paschali divinitus destinata. Provoco ad calculum Astronomicum a viris harum rerum gnaris examinandum. Ostendatur vitium in ponendo calculo admissum. Nisi enim error monstretur, nulla apparet ratio, cur calculi fidem deferamus, quam confirmat festum Pentecostes, die Dominica eo ipso anno, a cœtu Judaico, & ab Apostolis, post Christi adscensionem in cœlos, celebrata. Sed dies Pentecostes fuit quinquagesimus a festo paschali. Ergo feria Paschatis prima non potuit non fuisse illo anno Sabbathum. Inde enim si numeres dies quinqua-

quaginta, ultimus incidit in Dominicam. Contra si affirmes, diem Jovis, cujus vespera Servator agnum Paschalem comedisse dicitur, fuisse XIV. Nisan, & sequentem diem Veneris fuisse XV Nisan, seu primum festi paschalis diem, tunc sane ἡ ἡμέρα πεντηκοςή non in diem solis, sed in Sabbathum coincidisset, eodemque Sabbatho celebranda fuisset, quod antiquæ & communi totius Ecclesiæ consuetudini repugnat, quæ festum Pentecostale, inde ab ultimis suis initiis, semper die Dominica celebravit. Hoc argumentum dilucide exposuerunt & muniverunt BERN. LAMYUS *in Lettre sur la Pasque p. 66.* necnon TOYNARDUS *in Harmon. Ev. Not. p. 151.*

§. XIII. Inde intelligitur, Judæos illo anno, legitimo & ab ipsomet DEO definito die, nempe XV Nisan festum paschale auspicatos, agnum paschalem præcedente vespera immolasse, qua Christus jam in crucem sublatus erat. Falsum proinde est, quod nonnulli affirmant, Judæos festorum compendium facturos, ex Synedrii decreto illo anno paschale festum, in diem Veneris coincidens, in Sabbathum proximum transtulisse. Nam transferre & alio die celebrare, si vel maxime voluissent, hoc anno tamen non potuissent, lege divina impediti. Falsissima quoque deprehenditur sententia JO. HARDUINI, statuentis, in ea hebdomade, qua Christus passus est, diem XIV. mensis Nisan secundum Galilæos in diem Jovis incidisse, eaque die sacerdotes in Templo pro Galilæis pascha immolasse, eademque die Apostolos, quibus id a Christo mandatum fuerat, pascha parasse. Precario supponit more suo & fingit HARDUINUS, dies mensis Nisan aliter a Judæis, aliter a Galilæis, diverso Neomenias indicio posito, numeratos fuisse. Quod autem in illa hebdomade Christi emortuali prius pro Galilæis, quam pro Judæis, agni paschales mactati fuerint, ex regula Badu arcessit, secundum quam Israelitas primo loco pascha percepisse scribit, quotiescunque dies paschatis seu dies XV. mensis Nisan in feriam 2. 4. vel 6. hebdomadis incideret. Et hanc regulam ab ipso DEO institutam, & Christi tempore usitatam fuisse probare conatur. Sed vanus & infelix fuit viri doctissimi conatus, invita Minerva & veteri historia susceptus. Nam regula בדו *Badu* & festorum translatio, recentioris ætatis inventa sunt, ignorata Christi ævo. Libri Talmudici, *quinto* demum post natum Christum seculo absoluti, passim

 memi-

meminere festorum, quæ Sabbatho continua sunt. Ita in SUCCA Capite *quinto* memoratur, festum סמוך לשבת *Sabbatho conjunctum*, sive præcedat, aut subsequatur. In CHAGIGA *Cap. secundo* § *IV. f. m. 418.* עצרה שחל להיות בערב שבת *festum quod in Sabbathi parasceven incidit*, describitur. Verissime igitur ABEN ESRA, Judæorum sapientissimus, in Levit, XXIII, 4. affirmavit, tam ex Mischna, quam ex Talmude ostendi posse שהיה פסח בבד״ו *quod pascha in secundam, quartam & sextam feriam quandoque inciderit.* Nam in codice Mischnico פסחים *Cap V.* §. *1* diserte dotur *f. m. 150.* Edit. Surenh. Parasceven Paschatis, in vesperam Sabbathi incidentem, celebrari debuisse. Ergo canon ille לעולם לא בד״ו פסח *nunquam in badu pascha*, nuper est confictus, post conditum Talmud, neque in usu fuit tempore Christi illa festorum translatio. Neque si vel maxime in usu eo tempore fuisset, licuisset Jesu Nazareno & discipulis, hominibus privatis, ab universæ gentis consuetudine atque die, Synedrii auctoritate constituto, discedere. Huc pertinet canon Judaicus apud MAIMONIDEM *in Kiddusch Hackodesch Cap. II.* §. *ultim.* chartæ redimendæ causa latine duntaxat recitandus: *Domus judicii cum consecrasset Neomeniam, sive id ex errore, aut ignorantia, aut etiam vi fecisset, tamen erat consecrata, ac tenebantur omnes figere festa secundum illam diem, etiamsi quis nosceret errorem. Tenetur enim niti eorum judicio, quoniam hoc negotium nemini traditum est, quam illis.* Eodem ictu quoque prosternitur opinio a JO. COCCEJO proposita, & a LUD. CAPELLO confirmata, qua pascha geminatum, observatumque censetur duobus continuis diebus, ob diversum dierum mensis computum, vel a *συνόδῳ* luminarium, vel a *φάσει* lunæ, arcessendum. Hunc enim jam Christi ætate usitatum fuisse, viri docti male supponunt. Nam Judæi quamdiu stetit eorum Respublica, Neomenias & Festa sua non aliter constituerunt, quam secundum Lunæ *φάσεις*, computumque Astronomicum post Urbis excidium demum sequuti sunt, cum, sublato Synedrio, ex Lunæ *φάσει* Neomenia amplius constitui non posset. Hoc viri illustres DIONYSIUS PETAVIUS, JO. SELDENUS, WILHELMUS LANGIUS, SAM. BOCHARTUS, ANT BYNÆUS, aliique, idoneis argumentis, & Magistrorum testimoniis, perample probarunt.

§. XIV.

§. XIV. Quodsi vero Judæi sub vesperam diei Veneris agnum paschalem legitime immolarunt, & dies ille XIV. Nisan, ac παρασκευὴ τοῦ πάσχα fuit, ut hactenus demonstravimus, ita quidem, ut agnus paschalis secundum legem divinam, & consuetudinem Judæorum, in rebus ejusmodi externis ad superstitionem usque tenacium, alio die & hora non potuerit mactari, quid quæso fiet de ultimo Servatoris paschate, pridie illius diei cum discipulis celebrato? Servator igitur sanctissimus exeunte Luna XIII, hoc est, die Jovis, aut prorsus non celebravit pascha legale, sed cœnam tantum vulgarem instruxit, absque agno paschali: aut, si fecit θύσιμον & Mosaicum Pascha, duplici ratione reus fuit, juste puniendus secundum legem, quia pascha fecit tempore illegitimo, & quia cum pane fermentato, quod dictu cogitatuque nefas est. Ita enim non pro nostris, sed pro suis peccatis mortuus esset, tanquam transgressor legis, cui obnoxius factus erat, Matth. V. 17. Gal. IV, 4. & quam ceteroquin toto vitæ suæ cursu exacte servabat, quia decebat eum πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην Matth. III, 15. Agnus autem paschalis non alio, quam במערו *suo tempore* divinitus constituto, immolari poterat, Num. IX, 13. Nec sine ratione quæritur, quomodo fieri potuerit, ut ille paterfamilias, daud quem parabatur agnus, aut Judas certe, hoc siluerit apud Sacerdotes, justam habituros Jesu occidendi causam. Nam privato non licebat alio tempore celebrare pascha, quam quo celebrabat tota gens.

§. XV. Videns has difficultates vir illustris H. GROTIUS, post Præsulem Spalatrensem M. ANTON. DE DOMINIS, ultro fassus est, Servatorem non celebrasse pascha θύσιμον, *cum sacrificare extra tempus concessum non liceret, & sacerdotum interveniret opera, qui nunquam eam navassent, nisi stato tempore.* Exiguam autem gratiam iniit apud eruditos, quando in locum paschatis θυσίμου a Christo surrogatum putavit pascha μνημονευτικὸν, voluntarium magis, quam lege præceptum. Veri enim nequaquam fit simile, apud Judæos ea tempestate, rebus adhuc integris, jam in usu fuisse pascha μνημονευτικὸν, quod postea demum, exciso templo & sacerdotio, fuit surrogandum, eademque XIV. mensis Nisan vespera extra Hierosolymam instruendum, ut Ægyptiacæ liberationis memoria quotannis renovaretur, nec maximum beneficium traderetur oblivioni. Conf. ANT. BYNÆUS *de Morte Jesu Christi Libro I, Cap. I. p. m. 41.*

§. XVI. Rectius proinde nonnulli Græcæ Ecclesiæ Antistites statuisse videntur, Jesum anno ultimo & emortuali, morte præveniendum, pascha legale omnino prætermisisse, & illud solum celebrasse, quod ipse instituit, *novum* scilicet pro vetere. In hac sententia præter CEDRENUM fuit PETRUS, Alexandrinus Episcopus & Martyr, in fragmento egregio, quod IS. CASAUBONUS a Græco mercatore nactus est, & eruditissimis suis exercitationibus inseruit *p. m. 333. Ex. XVI num. XII.* Suffragatur METRODORUS *de festo paschatis*, in *Excerptis Photianis.* Uterque expresse negat, Servatorem, ipsam veritatem paschatis Judaici exhibiturum, & pro nobis in locum agni paschalis mactandum, τὸ νομικὸν πάσχα comedisse. Μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρὸν, ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ, *neque enim fuisse tunc legitimum tempus, sed sequente* demum die. Hanc Græcorum opinionem a CÆSARE BARONIO, aliisque Latinis, explosam, nuper diligenter examinarunt, emendarunt, adoptarunt, multisque argumentis, ex siderali scientia, & doctrina temporum, veterisque Ecclesiæ ritibus, depromtis, confirmarunt viri in Gallia & universo literato orbe celeberrimi, TOYNARDUS, in *Harmonia Evangelica*, post ejus mortem in lucem edita, nec non BERNARDUS LAMYUS, qui variis scriptis, contra NANUM TILLEMONTIUM hanc sententiam impugnaturum *H. E. Tomo I. P. I Not XXVI. p m. 224.* nec non *Tom.* II. *P* III. in Epistola ad LAMYUM *p. m. 153.* erudite solideque defendit. Videatur LAMYI *Tr. de l' ancienne Pasque des Juifs p. 48. & p. 61.* Ejusdem sententiæ patronum superiori anno publice declaravit se AUGUSTINUS CALMETUS, pereruditus familiæ Benedictinæ monachus, in Commentario ad Evangelistas, præcipue autem, in Dissertatione *de la Derniere Pasque de Jesus Christ.*

§. XVII. Ab amplectenda hac opinione me non adeo alienum esse profiteor. Nam postquam ad calculum vocavi reliquas opiniones omnes, deprehendi. nullam minoribus difficultatibus obnoxiam, nullam moribus Judæorum & rationibus temporum, ac ipsi Evangelicæ historiæ melius respondere. Hanc ob causam Christus a Joanne Cap. XIII. v. 1. diserte dicitur ultimam suam cœnam instruxisse πρὸ τῆς ἑορτῆς *ante festum Paschatis*, h. e ante XV. Nisan, quo tempore necessaria ad festum adhuc emenda erant v. 29. Si ultima Christi cœna Pascha θύσιμον & legale

legale fuit, agnus paſchalis a Servatore tanquam Patrefamilias debuit immolari in Templo. Comedi quippe non poterat, niſi in Templo rite mactatus, poſt adipem igne abſumtum, & poſt ſanguinem ad altare ſparſum, & eo quidem tempore, quo idem fiebat ab univerſa gente. Nulli enim hominum, quantacunque eſſet auctoritate, licebat paſchalem agnum alio loco, aut die mactare, quam qui lege, aut Synedrii auctoritate, definitus eſſet, & qui ab univerſa gente obſervabatur. Chriſtum vero nequaquam ſacrificaſſe agnum, vel hinc abunde patet, quod veſpera demum diei Jovis in urbem venit, & continuo, ut domum & conclave intravit, accubuit. Ergo ab ultima Chriſti cœna abſuit agnus paſchalis, qui azymum panem requirebat. Ἔνζυμον vero & fermentatum panem ea cœna adhibitum fuiſſe, probat perantiquus perpetuusque panis fermentati uſus in S. Euchariſtia apud Græcos, quem morem a Chriſti inſtitutione ſemper repetivere. Vid. NATALIS ALEXANDER in *H. E. Diſſert. XI. ad Sec. XI & XII. p. m. 118.* Nec abhorruit olim Latina Eccleſia ab uſu panis fermentati, quem in adminiſtratione S. Euchariſtiæ inde ab antiquiſſimo tempore adhibuit, usque ad ſeculum X, quo demum tempore, erumpente ſub Leone IX, & Michaele Conſtantinopolitano, diſſenſione, azyma in Eccleſiam Latinam cœperunt introduci. Suffragatores auctoresque hujus opinionis habemus viros Romanæ Eccleſiæ addictiſſimos doctiſſimosque JACOBUM SIRMONDUM in Diſquiſitione *de Azymis*, & Cardinalem BONAM L. I. *Liturgicorum Cap. 23.* fruſtra obnitente JO. MABILLONIO in Præfatione *Partis I. Sec. III. Benedictini Sect. 6. f. 45* nec non in Diſſertatione peculiari *de Azymo & Fermentato*, contra quem videatur Viri Cl. AUGUSTINI CALMETI Diſſertatio antea laudata *p. 159.* Ne commemorem HIERONYMUM VECCHIETTUM, qui in Libro Chronologico Chriſtum pane azymo uſum eſſe negavit. Ob quam cauſam ipſius liber Auguſtæ Vindelicûm excuſus ad ignem, ipſe vero ad carcerem damnatus eſt, referente DU PINIO *Tomo XVII p 8. Bibliothecæ Scriptorum Eccleſiaſticorum.* Auctor Libri *de Sacramentis*, qui extat inter opera AMBROSII, & qui ab AUBERTINO ſeculo *ſeptimo* & a JO. DALLÆO; ſeculo *octavo* floruiſſe exiſtimatur. non admodum diſſentientibus ipſis Patribus Benedictinis in Gallia. qui AMBROSII Opera caſtigatius foras dederunt, diſerte fatetur, in S. Euchariſtia *panem uſitatum* adhi-

adhiberi. Hoc ſenſu veteris Eccleſiæ Doctores panem Evchariſticum frequenter appellaſſe crediderim *fermentum.* Conſtans hicce antiquiſſimusque panis fermentati uſus in S. Evchariſtia indicio & argumento eſt, Servatorem ultimam cœnam pane communi & uſitato celebraſſe, nec comediſſe agnum paſchalem, ad cujus comeſtionem pane non fermentato opus erat. Accedit, quod in Evangelica hiſtoria nusquam dicatur, Chriſtum cum diſcipulis agnum paſchalem comediſſe. Tandem non leve pondus noſtræ ſententiæ addit pervetus, & ab ipſis Chriſtianæ religionis incunabulis repetenda traditio, qua Judæorum proceres die Mercurii, ſeu quarta feria hebdomadis σαυρωσίμε de Jeſu e medio tollendo deliberaſſe, conſiliumque certum cepiſſe dicuntur, eodem die ſolenni veterum jejunio celebrato, quod a ſcelere Judæ, & crudeli hoſtium decreto arceſſiverunt. QUARTA, veteres ajunt, in *Conſtitut. Apoſtolicis*, *Libr. V. Cap. XIV.* FERIA, & SEXTA, *juſſit Servator nobis jejunare*, ILLA quidem PROPTER PRODITIONEM, HAC *vero* PROPTER PASSIONEM. Idem AUGUSTINUS & THEOPHYLACTUS memoriæ prodiderunt. Hæ inſidiæ Chriſto ſtructæ die Mercurii, hoc eſt, δύο ἡμέρας, *biduum*, ante Paſcha Matth. XXVI, 2. 3. & Marci XIV, 1. 2. me inducunt, ut credam, tempus paſchale incidiſſe demum finito integro biduo, a fine ſeu veſpera diei Mercurii computando, in ultimum illius hebdomadis diem, ſeu Sabbathum, & agnum paſchalem inter duas veſperas præcedentis diei, qui Chriſto emortualis fuit, legitime immolatum fuiſſe. Quæ agnorum mactatio eadem propemodum fiebat hora, qua Chriſtus ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ portans totius mundi peccata, in cruce immolabatur. Ideo Chriſtus ſacrificare noluit agnum paſchalem, ipſe vero paſchatis die ſacrificandus, ut typo antitypus accurate reſponderet. Nam ἔχρην κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν καὶ ὥραν, τότε τυπικὸν πάσχα, καὶ τὸ ἀληθὲς ἐπιτελεσθῆναι, ut recte obſervavit VICTOR ANTIOCHENUS, *Catena in Marcum Cap. XIV, 13.* apud TOYNARDUM *Harmon. Not. p. 151.*

§. XVIII. In hanc ſententiam Matthæus, Marcus & Lucas, qui nobis adverſari videntur, commode exponi poſſunt, facto tranſitu a rebus notis & certis ad res minus notas & obſcuriores. Nos claram & manifeſtam narrationem Joannis fundamenti loco ſupponentes, reliquos Evangeliſtas facile interpretabimur, ne minimam quidem vim verbis divinis illaturi. Memoriæ prodidit

dit divus Lucas Cap. XXII, 7. illo tempore, quo Jesus ablegavit Petrum, & Joannem ad parandum pascha, jam fuisse τὴν ἡμέραν τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Ubi observari velim, sermonem esse de die XIV Nisan, quo agnus paschalis lege divina ac universæ gentis consuetudine immolandus erat. Hic dicitur dies azymorum non a comestione, sed a præparatione. De azymis quippe ante noctem, quæ decimam & quintam lucem Nisan antecedit, nihil degustare licebat, ne quidem in vigilia paschatis, MAIMONIDE teste *Capite sexto de Solennitate Paschatis* §. *XII*, ut usus azymi panis discerneretur Paschatis nocte prima. Hic azymorum parandorum dies, seu XIV Nisan, quo agnum paschalem mactare oportebat Exod. XII, hoc anno erat dies Veneris, diciturque jam advenisse. Ergo illo tempore, quo Servator discipulos ad Pascha præparandum dimittebat, jam finitus erat dies Jovis, seu XIII Nisan, & inchoatus cum Solis occasu dies Veneris, certe inchoandus, sole jam occubituro. Hoc enim diserte affirmat Lucas: ἦλθε *advenerat dies azymorum*. Consentiunt Matthæus & Marcus, qui idem tempus appellant πρώτην ἡμέραν ἀζύμων h. e. *parasceven Paschatis*, cum solis occubitu inchoatam Ergo vespera demum, exacta luce diei Jovis, ineunte die Veneris, hoc est, eo tempore abierunt discipuli ad parandum pascha legale, quo jam paratus, in Templo mactatus esse debebat agnus, si eadem illa nocte fuisset comedendus. Præparatio multo antea instituenda erat, quippe quæ tam repente non poterat absolvi. Expurgandum erat conclave, ponendæ mensæ parandi panes fermento carentes, emendus agnus, mactandusque in Templi atrio, ordinandi lecti accubitorii pro numero convivarum. Perquirendum erat fermentum in locis reconditis atque foraminibus, & investigatum e camera efferendum. Sanciverant Judæorum sapientes, MAIMONIDE teste, Libro paulo antea citato Cap. II. §. III. *ut inde ab ineunte nocte, quam consequitur dies quartus decimus Nisan, lucerna conquireretur ad destruendum panis fermentatus, cum quia noctu suæ quisque domi est, tum quia ad perquisitionem lucerna maxime est idonea. Itaque ad extremum diei decimi tertii Nisan nullæ habentur scholæ; nec doctorum ullus legere quicquam cœpit, ne forte legendo protrahatur, atque adeo a matura & tempestiva panis fermentati perquisitione deterreatur.* Ita MAIMONIDIS Hebraica verba interpretatus est LUDOVICUS DE COMPIEGNE DE VEIL, Judæus Christianorum

norum ſacris initiatus. Ergo illa veſpera, qua diſcipuli de inſtruendo paſchate ſoliciti erant, agnus בין הערבים nondum erat mactatus. Neque in templo fuiſſe leguntur diſcipuli, ubi agnus mactandus erat. Sed iſta nocte expurganda erat camera, ſub matutinum tempus parandi panes azymi, aliæque res, quibus integra παρασκευὴ, ſeu dies προεόρτιος deſtinatus erat. Quin & ille ipſe hoſpitii Dominus diſcipulis, ſecundum Servatoris prædictionem, obviam factus, & aquam ad panes azymos depſendos, ut TOYNARDI fert conjectura in *Notis ad Harm. Ev. p. 151.* portans indicare videtur, proximo demum die inſtruendum fuiſſe paſcha legale.

§. XIX. Opinari igitur par eſt, diſcipulos agnum paſchalem proximo die comedendum præparaſſe, ſed Chriſtum, hoſtium crudelitate impeditum, illum non comediſſe. Nimirum diſcipuli videntes tantum Judæorum confluxum ad feſtum, Servatorem de parando paſchate, ut videbatur, parum ſolicitum adierunt & quæſiverunt ex eo, *ποῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν, ἵνα φάγῃς τὸ πάσχα;* Dominus non intercedit, quo minus præparatio fierèt ad paſcha typicum, proximo die pro gentis conſuetudine comedendum, diſcipuloſque dimittit, qui appararunt conclave, aliaque. Poſt veſperam illius diei, *ὀψίας γενομένης*, Marci XIV, 17. aut ut Lucas habet Cap. XXII, 14. *ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα*, *quum veniſſet hora*, non paſchatis veteris, legalis & Judaici, ſed cœnæ, & paſchatis novi, Evangelici & Chriſtiani, a Servatore inſtituendi in iſtius locum, diſcumbit cum diſcipulis, iiſque aſſeverat, ſe vehementi quidem deſiderio flagraſſe, ultimum hoc paſcha craſtino die more gentis cum diſcipulis comedere, ante ſuam perpeſſionem & mortem, ſed obſtare crudelitatem Judæorum, quo minus id fieri poſſit. Quapropter cum per temporis rationem ſibi non liceat nunc edere paſcha legale, & typicum, nec impoſterum unquam manducaturus ſit, velle ſe inſtituere, ac celebrare paſcha Evangelicum, novum & *ἀντίτυπον*, quod in regno DEI, ſua morte auſpicando & conſtituendo, in locum veteris ſubſtituatur. His dictis accepit calicem, Luc. XXII, 17. Inde nonnulli veteris Eccleſiæ Doctores S. Evchariſtiam appellarunt *Paſcha*, apud IS. CASAUBONUM *Exercit. XVI. n. LIII. p. m. 416.*

§. XX. De reliquo, unicum adhuc addo pro tuenda hac opinione argumentum, a ſerie dierum majoris hebdomadis petitum

tum. Die Solis, seu die sexto ante pascha, quod illo anno in III. Aprilis incidebat, Christus venit Bethaniam Joh. XII, 1. ubi prandio exceptus est a Simone leproso Matth. XXVI, 6. unctusque a Maria, sorore Lazari. Inde sequente die Lunæ, X Nisan, Hierosolymam se confert, quam ingreditur asino vectus acclamante & gratulante populo, Joh. XII, 12. Matth. XXI, 1. Vesperi redit Bethaniam, ibique pernoctat Marci XI, 11. Matth. XXI. 17. Postridie, XI Nisan, die Martis Jesus summo mane repetens Hierosolymam Marc. XI, 12. Matth. XXI, 18. male precatur sterili ficui, quæ exsiccatur. Post Solis occasum egressus est urbe, ut Bethaniam iret. Marc. XI, 19. Unde postridie, die Mercurii, seu XII. Nisan rediit v. 20. in urbem, quo in itinere discipuli viderunt ficum exsiccatam. Sub vesperam Templo egressus Matth. XXIV, 1. discipulis magnificam Templi structuram monstrantibus, respondit, totum illud ædificium ita eversum iri, ut ex eo ne lapis quidem lapidi impositus superfuturus esset. Deinde cum eundo in montem olivarum venisset, & e regione Templi sederet v. 3. interrogabant eum discipuli, quando Templum delendum, ejusque adventus futurus esset ad judicium? Servator edito responso de Hierosolymorum ac Templi excidio, suoque adventu ad judicandum terrarum orbem Matth. XXIV & XXV, addit Matth. XXVI, 2. Marci XIV, 1. quod probe observandum est, *pascha* celebrandum esse μετὰ δύο ἡμέρας, non crastino die, sed *post duos dies*, a fine istius diei, qui Mercurii erat, numerandos, hoc est, elapsis diebus Jovis & Veneris, XIII & XIV Nisan, qui ad conficiendum biduum illud, a Christo indicatum, necessario requiruntur, ostenduntque pascha legale post vesperam diei Jovis a Christo nequaquam celebrari potuisse.

LIII.

DE STATUA SIMONI MAGO ROMÆ ERECTA, ad Actor. cap. VIII. v. 10.

§. I.

IMpias, detestabilesque doctrinas Simonem Magum disseminasse, stupendæque hæreticorum turbæ ortum dedisse, IRENÆUS, EPIPHANIUS, PHILASTRIUS, AU-

AUGUSTINUS, THEODORETUS, aliique veteris Ecclesiæ Patres, locupletes & fide digni testes sunt. Nam pro summo Numine, quod Samaritani יהוה, Græci Δία, Latini *Jovem* appellabant, haberi, colique volebat. Rem ut perficeret, votique fieret compos, Satanæ præstigiis usus est, quibus ita occœcavit populum, ut publice exclamarent: ὗτός ἐςιν ἡ δύναμις τῦ Θεῦ ἡ μεγάλη, sive ut in Manuscripto est, cujus sæpe meminit H. GROTIUS, ἡ καλȣμένη μεγάλη, quomodo legit Latinus. Multa hanc in sententiam apud veteres exstant, quæ nos doceant, Simonem præstigiatorem, *summum Deum* & *sublimissimam virtutem* non tantum dici voluisse, sed ita etiam a suis sectatoribus appellatum fuisse. Multa sigillatim narrant, de statua ipsi, ut Deo, Romæ erecta. Auctor hujus traditionis omnium primus est JUSTINUS MARTYR, qui non procul ab Apostolorum temporibus vixit, in ea, quæ vere prior est, secundum tamen in editis locum tenet, Apologia, quam pro doctrina Christiana ad Imperatorem Antoninum conscripsit, his verbis: *Cum Simon quidam Samaritanus, principatu Claudii Augusti, per operationem Dæmonum multa magicæ artis miracula in Urbe vestra, quæ Imperii caput est, edidisset, Deus a vobis est habitus* (καὶ ἀνδριάν τι παρ' ὑμῖν, ὡς Θεὸς, τετίμηται) *statuamque illi, perinde ac* DEO, *posuistis, in insula Tiberina, inter duos pontes, cum hac inscriptione Latina:* SIMONI DEO SANCTO, vel, si mavis ipsa verba Græca, ΣΕΜΟΝΙ ΔΕΩ ΣΑΓΚΤΩ. Idem post JUSTINUM testati sunt IRENÆUS, TERTULLIANUS, EUSEBIUS, CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, THEODORETUS, AUGUSTINUS aliique.

§. II. Sed permulta sunt, quæ Viros eruditissimos movent, ut de JUSTINI fide, & totius historiæ veritate, dubitent. Nam cum ethnici ne Apollonio Tyaneo quidem, tantæ auctoritatis viro, ut JEsu Christo Servatori nostro eum æquipararint, templum, aras, ullamve statuam erexerint, quis eo adducetur, ut credat, Romanos homini Samaritano, externum cultum introducturo, statuam posuisse, & in Deorum suorum numerum adscivisse. Judæi enim, & longe magis Samaritani, ob frequentiores tumultus atque turbas, quas dabant, Romanis valde exosi erant, pessimeque audiebant. Et cum scriptores ethnici de magi sui Apollonii Tyanei præstigiis multa commemorent, ejus-

ejusdemque laudes magnifice decantent, altum est in eorum monumentis de Simone Mago, & ejus artibus, silentium. Præterea virtutes artesque magicæ, propter quas Simoni statuam fuisse positam ajunt, a Romanis jam a primis inde nascentis Reipublicæ initiis damnatæ erant, quemadmodum ex legibus XII. tabularum, & variis exemplis, quæ apud SUETONIUM & TACITUM leguntur, disci potest. Cum igitur Romani magos non solum, sed eorum etiam consultores, gravissime punirent, qua, quæso, ratione factum est, ut Simoni, nulla alia re, quam artibus magicis celebri, statua Romæ poneretur, honoresque Divini deferrentur? Si TERTULLIANUM audimus *Apolog. cap. V.* vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus, & publica auctoritate receptus. Quis vero de Simone mago in Deorum numerum recipiendo, & statua ei erigenda, detulit ad Senatum, aut ad Cæsarem? Populusne postulavit, & Senatus permisit? an vero petente Senatu, id Cæsar indulsit? Quis autem credat, Senatum Romanum hominem, ex vilissima Samaritanorum gente ortum, & præstigiatorem, publico solennique ritu consecrasse? Quinam testes idonei præter JUSTINUM, qui sublestæ fidei est, afferuntur? Ex DIONE constat, Claudium Cæsarem neminem Deorum numero adscripsisse, neque passum esse, ut sibi vivo divini honores tribuerentur. Quis vero cogitabit, hos honores *vivo* Simoni mago, jussu & autoritate Imperatoris, vel ejus saltim consensu, tributos fuisse? Si dicatur, *post mortem* demum statuam ei posuisse Romanos, non apparet, quomodo Icarius ejus volatus atque interitus, cum Divino honore consentiat. Nam ex misera ista morte, si vera sunt, quæ de ea leguntur, nil nisi dedecus, & ignominiam consequutus esset.

§. III. Eruditi his aliisque rationibus moti non immerito suspicati sunt, JUSTINUM forte imperitia linguæ Latinæ lapsum, & caligantibus oculis, vicinitate nominum deceptum esse, ita ut statuam SEMONI SANCO (non SANGO, ut perperam legunt BARONIUS & H. VALESIUS) positam, *Simoni mago* sacratam fuisse putaverit. Certe nimia fuit JUSTINI nostri credulitas, quod ostendit fabula de LXX. cellulis Alexandriæ ipsi a Judæis impostoribus narrata. Veri igitur valde fit simile, Samaritanos quosdam JUSTINUM fefellisse, eidemque, ut homini externo, & Romanæ linguæ imperito,

to, persvasisse, statuam illam Simoni Samaritano positam fuisse. Fabulæ detegendæ primi viam aperuerunt non sine applausu JULIUS JACOBONIUS & MURETUS. Mutuæ eorum epistolæ hac de re exstant apud MURETUM L. III. n. 81. 82. *Vid. Acta Erud. Lips. 1713. p. 268.* Confirmati sunt in hac opinione non fallentibus rerum testimoniis. Nam statua, de qua disputatur, & quam JUSTINUS olim in insula Tiberina viderat, superiori tempore A. Ch. 1574. Romæ effossa, atque a multis descripta, hæc est:

SEMONI
SANCO
DEO. FIDIO
SACRVM
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM. DEDIT

Fuisse etiam in Quirinali ejusdem idoli cultum, hæc inscriptio demonstrat:

SANCTO SANCO
SEMONI. DEO. FIDIO
SACRVM. PECVNIA
SACERDOTVM
BIDENTALIVM
RECIPERATIS
VECTIGALIBVS

SANCUS Deus erat apud Sabinos, qui pactis, & fœderibus præerat, a sanciendo dictus & sanciendorum fœderum Præses. Unde etiam Deus Fidius vocabatur, a fide. Quin etiam per eum jurare soliti erant Romani. Conferatur H. VALESIUS *in notis ad Euseb. Hist. Eccles. Lib. II. cap XIII. f. 32.* qui tamen in eo fallitur quod negat, *Romanos Deum adjecto epitheto sanctum vocasse*, nec non RICH. SIMON *T. I. Bibliothecæ Crit. Cap. 34. p. 525.*

§ IV. Etsi autem existimaverim, intelligentibus & æquis Lectoribus, de gravi JUSTINI MARTYRIS errore nullum dubium superesse posse, dissimulandum tamen haud est, erudi- tissi-

tissimos fuisse viros, qui Justinum defendere, & ab omni lapsus suspicione liberare conati sunt. Pro historiæ veritate omnibus modis pugnarunt, ut alios sileam, CÆS. BARONIUS, celebris ille Annalium Ecclesiasticorum conditor ad Annum Ch. XLIV. a num. 55. usque ad num. 59. reprehensus a DESID. HERALDO in Commentario ad Caput XIII. *Apologetici* TERTULLIANI. GUIL. SPENCERUS in *Commentario ad ORIGENEM contra CELSUM*, & HENRICUS HAMMONDUS *Dissert. I. de Episcoporum jure contra BLONDELLUM*, necnon in *Notis* ad Rom. I, 23. castigatus a JO. CLERICO ad h. l. Putant enim, JUSTINUM, Philosophum & Theologum insignem, non potuisse decipi, cum præsertim, diu multumque Romæ versatus, explorata habuerit, quæ non in angulo, vel coram ejus rei ignaris locutus est, sed quæ ad ipsum Romanorum Imperatorem, nec non Rom. Senatum conscripsit, qui, si res aliter se habuisset, compertissimi mendacii eum illico arguissent. His fere argumentis ad persuadendum accommodatis fabulæ fidem conciliare & JUSTINI auctoritatem, aliorumque Patrum vindicare conatus est BOILAVIUS Doctor Sorbonicus in *Colloquiis Criticis* Gallice editis teste *RICHARDO SIMONIO T. I. Bibliothecæ Criticæ Cap. XXXIV. p. 525. L'on ne peut pas s'imaginer, que les Payens, qui avoient éte ataqué par ce St. Martyr ne l'eussent fait passer pour un calomniateur. Tertullien, St. Cyrille de Jerusalem, & d' autres sçavans Peres, qui ont vecus apres S. Justin, ont reproché la méme chose aux Romains. Il n' est pas croyable, que de si grands hommes, qui étoient si appliqués a la defense de la religion eussent voulu employer une fausseté si visible contre les gentils.* Sed recte respondit RICHARDUS SIMONIUS l. c. *ces sortes d' argumens, qv' on nomme dans les ecoles* ex absurdo, *ne prouvent rien, quand on a des preuves évidentes du contraire*, uti hac in re. Novissime hanc traditionem propugnarunt Duumviri in Gallia celeberrimi, & doctrina judicioque florentissimi, nimirum NANUS TILLEMONTIUS in *Commentariis Historiæ Ecclesiasticæ inservientibus Tomo II. P. I. in Notis ad vitam Simonis Magi p. m. 340. usque ad p. 346*, & RENATUS MASSUETUS Dissertatione *prima* in IRENÆI *Libros* §. 97. *f* 54. qui TILLEMONTII vestigiis insistens illius argumenta Gallico idiomate consignata his verbis recitat: *Probat*, TILLEMONTIUS videlicet l. c. *vix ac ne vix*

 qui-

quidem fieri potuisse, ut tot antiqui Patres ea in re lapsi fuerint, quæ oculis omnium pateret, quamque Justinus, dum Romæ ageret, & Apologiam conscriberet, non semel aut bis, sed quotiescunque Tiberinos pontes trajecerat, propriis oculis explorare poterat. Ecquis enim sobrius sibi persuadeat, sanctissimum Martyrem tam incogitantem atque imprudentem fuisse, ut in ipsa urbe Roma scribens ad Imperatores ea confidenter, nondum satis explorata veritate bis in eadem Apologia asseverare ausus fuerit, quorum falsitatem vel ipsi pueri, scriptorem temerarium arguentes, deprehendere potuissent? Tam immanem hallucinationem vix ferat quisque in Scriptore longa terrarum intercapedine ab ipsa statua disjito: quanto minus in eo, qui in ipsa urbe Roma, & ut ita dicam, ad ipsius statuæ pedes scripserit? In hac sententia acquiescit MASSUETUS. Nec fidem veteris illius narrationis solicitare ausus est HUGO GROTIUS *T. III. Opp. p. 488.* nec non Abbas RICHARDUS in *Critica* sive Examine Præjudiciorum, quæ PETRUS JURIÆUS Romanæ Ecclesiæ obiecit *Cap. 50.*

§. V. Verum multa sunt in promtu, quæ ad has rationes responderi possunt. Primo incertum est, JUSTINUM diu multumque Romæ versatum fuisse, quia nemo ex veteribus id tradit. Facile autem falli potuisse, exinde intelligitur, quia extraneus fuit, advena, & sermonis Latini imperitus. Nonne deceperunt Justinum Judæi Alexandrini, narrata ei fabula de LXX cellulis, quarum reliquias se in Pharo Alexandriæ vidisse *in Cohortatione ad Græcos* affirmat? Quotquot Romæ inter Deos recepti sunt, iis singulis statuæ non solum, sed & Templum, Ara & Sacerdotes dedicatos fuisse novimus. Ubi vero Simonis Magi Templum? HAMMONDUS equidem ædiculam in Tiberi, inter duos pontes, constructam fuisse ait, sed nihil de ea commemorat Justinus. Qui accuratam urbis Romæ descriptionem dedere, enumerant quidem *ædem* Jovis, Fauni, & Æsculapii, sed de Simonis magi *templo*, vel *ædicula* altissime silent. Conf. MABILLONIUS *T. I. Musei italici p. 87.* & autor Dissertationis Latinæ, quæ exstat in *Novellis Reipubl. Literariæ* A. 1685. mense Augusto *p. 844.* JOANNES CLERICUS *Bibliothecæ Selectæ Tomo III. p. 121.* FRID. SPANHEMIUS *T. II. Op. f. m. 381.* ANT. van DALE in *Dissertatiuncula de statua Simoni Mago, ut prætenditur, erecta*, quæ continetur in Libro de *Oraculis Veterum Ethnicorum* sub finem p. 579. ubi omnia, quæ

ad

ad argumentum hoc pertinet, docte enarravit, nec non B. ITTIGIUS *H. E. Sec. I. p. m. 270.* & ANT. PAGIUS in *Epicrisi Baroniana* ad A. Ch. XLII. Num. 6.

LIV.

AN ΛΕΙΤΟΥΡΓΕΙΝ Act. XIII. v. 2. per *sacrificare* exponi, & missaticum Ecclesiæ Romanæ sacrificium hoc testimonio defendi possit?

§. I.

POntificii fere omnes pro stabiliendo Missæ sacrificio argumentum quærunt in his Lucæ verbis: λειτεργέντων αὐτῶν καὶ νηςευόντων, quæ vertunt: *sacrificantibus illis Domino & jejunantibus*, contra vulgatæ suæ fidem, cujus auctor pervetus recte interpretatus est: *ministrantibus illis Domino & jejunantibus.* Etsi autem BENEDICTUS JUSTINIANUS Erasmum, Baronium, Bellarminum aliosque fidei suæ socios, qui illam expositionem mordicus defenderunt, erroris admonuerit, tantum tamen abest, ut recentiores tam elegans pro confirmando sacrificio Missæ argumentum abjecerint, ut hodienum in eo omnium maxime confidant, illudque in prima acie collocent. Intelligi hoc potest ex versione Gallica Nov. Testamenti DIONYSII AMELOTI, quam jussu Cleri Gallicani nuper sub finem superioris seculi adornavit, in qua hæc verba ita convertit: *Pendant qu' ils offroient le sacrifice au Seigneur, & qu' ils jeunoient.* Non alia erroris caussa est, quam immoderatum malæ caussæ studium, & quod opinantur λειτεργεῖν a Patribus Græcis vix aliter accipi, quam pro ministerio sacrificii Eucharistiæ offerendi, & quod hoc verbum in Scriptura S. quoties absolute ponitur, ubique pro ministerio sacrificii sumatur. Quæ observatio quam falsa sit & temeraria, breviter strictimque ostensuri sumus. Conf. BARONIUS *ad A. Ch. XLIV. num 83.* & BELLARMINUS *L. I. cap. XIII. de missa.* Vid. EDM. MACLOT *in Historia N. Test. p. 524.* nec non FR. FEUARDENTIUS in *Adnotationibus* ad B. IRENÆI Libr. IV. Cap. XXXII. p. m. 161. Edit. MASSUETI.

§. II. Si Græcos scriptores, PLATONEM, ARISTOTE-

TELEM, DEMOSTHENEM, aliosque consulas, λειτεργεῖν est *publico præstare vel operam vel pecuniam.* Hoc sensu λειτεργεῖν ταῖς ἐσίαις apud ARISTOTELEM *L. IV. Polit.* notat *opibus suis Reipublicæ inservire.* Sic PHILOSTRATUS LEMNIUS in *Vitis Sophistarum L. II Cap. XXX.* λειτεργιῶν ἀτέλειαν *immunitatis beneficium* pro declamatione ab ANTONINO CARACALLA accepisse dicitur in *Vita* PHILISCI. Ille etiam dicitur λειτεργεῖν, qui artem aliquam exercet, aut negotium curat, ex quo ad publicum aliqua redit utilitas. Huc ARISTOTELES refert τεκνογονίαν, liberorum procreationem & educationem. Interdum quævis ἐργασία, & præstatio operæ, etiam inhonestæ, dicitur λειτεργία, quemadmodum IS. CASAUBONUS Exercit. XVI. num. XLI p. 383. ex Novella Justin. 14. ostendit, in qua meretrices dicuntur τὴν ἄνοσίαν λειτεργίαν πληροῦν, *turpem operam præstare.* LXX. Seniores vocem עבדה quæ DEI cultum significat, λειτεργίαν passim interpretantur. Plura hanc in rem veterum Græcorum testimonia exhibet APOLOGIA Aug. Confess. p. m. 270.

§. III. Nec ullibi in Scripturis λειτεργεῖν *sacrificare* notat. Sic Paulo Rom. XV. v. 27. λειτεργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς *ministrare in rebus carnalibus* idem illud est, quod Aristoteles, loco paulo ante citato, λειτεργεῖν ταῖς ἐσίαις dixit. Neque Lucæ I. v. 23. quo loco BELLARMINUS imprimis nititur, λειτεργία sacrificium est, sed, sicut recte monet CASAUBONUS l. c. generatim complectitur omnia ministeria a Levitis aut Sacerdotibus præstari solita, cum obibant vices suas. ZACHARIÆ autem, ut idem LUCAS affirmat, sors contigerat suffitus efferendi, non vero sacrificandi. Addatur & hoc, quod LUCAS in allegato loco de ritu Judaico loquatur, non de ritu Christiano, de quo tamen Act. XIII, 2. sermo est.

§. IV. Usu Græcorum Patrum hæc vox de ministerio & cultu, qui publice DEO exhibetur, illiusque cultus ministris, occurrit. Sic apud DIONYSIUM AREOPAGITAM illi dicuntur λειτεργοὶ, qui alias appellantur διάκονοι. Apud BASILIUM, GREG. NAZIANZENUM, & NYSSENUM, CHRYSOSTOMUM aliosque, omnes Ecclesiæ ministri, imprimis autem Presbyteri & Episcopi vocantur λειτεργοὶ τῦ Θεῦ vel τῆς καινῆς διαθήκης. Et λειτεργία laxe quidem omne ministerium, quod ad sacra pertinet, notat: Ita τὰ τῆς λειτεργίας πράττειν

τεῖν est, *ea, quæ ad cultum sacrum spectant, peragere*, sed in specie significat omne illud ministerium, quod circa sacram peragitur mensam, seu circa S. cœnæ celebrationem. Nomen inde acceperunt λειτουργίαι, quæ sunt descriptiones quædam ordinis servandi in S. cœnæ celebratione, quales hodienum sub PETRI, JACOBI, ANDREÆ, BASILII, CHRYSOSTOMI, aliorumque nomine circumferuntur. Pari ratione verbum λειτουργεῖν sequiore quidem tempore *τὸ ἱερουργεῖν* significabat, *καὶ προσφέρειν τὴν ἀναίμακτον θυσίαν*, quam formulam Patres de S. cœnæ administratione & celebratione usurparunt interdum, quemadmodum ZONARAS ad Canon. XII Concilii Sardicensis p. 377. annotavit: Generatim tamen & sæpius notat sacram in Ecclesia functionem obire, per quam DEus a Christianis colitur, puta, *orare, Scripturas recitare, aut interpretari, concionari, Sacramenta administrare*. Conf. IS. CASAUBONUS l. c. JOH. CASP. SUICERUS *in Thesauro Eccles. sub hac voce*, & WOLF. GUNDLINGIUS ad Canones Gangrenses Can. IV. p. 27.

§ V. Cum igitur tot, diversisque modis voces λειτουργεῖν, & λειτουργία in Scriptura, & apud Patres usurpentur, nulla apparet ratio, cur Actorum Cap. XIII. 2. de sacrificandi potius actu, quam de prædicatione verbi, aut de precationibus accipiamus. H. Grotius in h. l. Syro atque Arabi suffragatur, qui λειτουργεῖν in sensu precandi sumserunt. Nam preces & jejunium frequenter conjungi solent Matth. XVII, 21. Marc. IX, 29 Luc. II, 37 1 Cor. VII 5. Ego mallem de *functione docendi* interpretari, cum CHRYSOSTOMO & OECUMENIO, qui λειτουργέντων exposuerunt κηρυττόντων, *prædicantibus Evangelium*. Patet hoc ex collatione cum v. 1. ubi ministri illi dicuntur fuisse doctores & Prophetæ. Non intercedo tamen, quin, si alicui ita videatur, utraque interpretatio conjungatur. Sufficit, nos ostendisse, missaticum Romanæ Ecclesiæ sacrificium ex hoc loco non posse defendi.

§. VI. Nam propitiatorium illud sacrificium, quale Romanenses in missa sua DEo offerunt, non solum Christo atque Apostolis incognitum, sed ne quidem ante seculum septimum, si rationes recte subducas, in Ecclesiam invectum fuit. Nullum enim testimonium ex primis sex seculis produci potest, quo probetur, veteres Christianos sacrificium propitiatorium *missæ* in S. Eucharistia agnovisse. Ego confidenter affirmo, tempore Apostolorum,

seculisque proxime secutis non modo rem, sed ipsam etiam vocem incognitam & inauditam fuisse. Nam veteris Ecclesiæ Doctores, si forte *sacrificii* vocem de S. Eucharistia usurparunt, aut preces, & gratiarum actiones, piosque animi motus, quibus DEo se offerunt, qui sacro epulo fruuntur, intellexerunt, aut ideo θυσίαν, προσφοράν, & sacrificium appellarunt, quod per eam sacrificium mortis, & perpessionis Dominicæ exhibeatur, & in memoriam revocetur, quemadmodum ex luculentis Patrum testimoniis probavit PETRUS MOLINÆUS in *Novitate Papismi Artic. X. cap. IV. p. 989.* quem librum JACOBO DAVIDI PERRONIO, Cardinali, opposuit.

§. VII. Turpiter se dedit CÆSAR BARONIUS, quando in *Annalibus ad A. Ch. XXXIV. num. LIX.* pronunciavit, *missæ* nomen antiquissimum, & a Jacobo, Domini fratre, jam Hierosolymitanis traditum esse: a Petro vero & Paulo Romanis. Præterquam enim, quod apud probatos Auctores trium priorum seculorum nullum ejus vestigium exstet, quis credat, vocem Latinam *missæ*, originem debere homini Ebræo vel Syro? Nugas agunt, qui vocis natales in Judæa quærunt, & Ecclesiam Hierosolymitanam a primo suo Episcopo *missæ* nomen accepisse, opinantur. Inter eruditos satis constat, illud ex Latio originem duxisse, & proprie esse missionem, Græcis ἀπόλυσιν & ἄφεσιν dictam, quas voces Græcis olim in dimittenda concione usitatas fuisse, ex PLUTARCHO, aliisque scriptoribus apparet, quibus λαῶν ἄφεσις populorum dimissionem notabat. In liturgiis veterum Christianorum duplex *missa*, seu ἄφεσις commemoratur. *Prior* erat, cum finitis lectionibus Scripturæ S. & illis precibus, quibus interesse poterant Catechumeni, energumeni, & alii non initiati, voce Diaconi jubebantur exire, quia S. Eucharistiæ administrationem spectare, nefas erat. *Posterior*, cum sacris peractis, & Eucharistiæ celebratione finita, post εὐχὴν ἀπολυτικὴν a Diacono pronunciatam, populo discedendi facta fuit potestas. Hoc in liturgia Chrysostomi intelligitur illis verbis: ὁ ἱερεὺς ποιεῖ ἀπόλυσιν, *sacerdos dimittit populum.* Nam ἀπόλυσις est ἄφεσις, voce ex Simonis cantico desumta. Conf. SUICERUS in *Thesauro Eccles. in voce* ἀπόλυσις, *f. 461. Tom. I. Prior* appellabatur *missa catechumenorum*, ab emittendo, quia Diaconus exclamabat: ὅσοι κατηχούμενοι, προέλθετε, & in Ecclesia Occidentali: *ite, missa est*, id est, remissio, dimissio: *posterior* dicebatur *missa fidelium.* Successu temporis, aboli-

abolita significatione priori, posterior duntaxat obtinuit, & ipsa S cœna appellata fuit *missa*. Plura vide apud IS. CASAUBONUM *Exercit XVI num. LVIII. p m. 419* & FORBESIUM in *Instruct. Historico Theol. Libr. XII. cap I f. 626.* nec non FRID. SPANHEMIUS *in Hist. Eccles. Sec. IV f. 846 & 860. nec non Sec. VI f. 1139. T. I. Op.* Consentientem habemus JACOBUM SIRMONDUM, Ignatiani Ordinis sacerdotem pereruditum, qui ex ALCIMO AVITO, Præsule Viennensi, cujus Epistolas, Poëmata ac varia fragmenta edidit, in *Notis* ad Epistolam *primam* observavit, MISSÆ nomen pro dimissione populi sub finem seculi *quinti*, quo floruit in Gallia AVITUS, usurpatum fuisse in palatiis, prætoriisque, ac illos ridet, qui cum BARONIO peregrinum nomen inde confinxerunt. Singularis est ÆGIDII MENAGII opinio, nequaquam tamen contemnenda, quando auctoritate RAMIRESII, aliorumque inductus statuit, vocem *missa* non a ritu illo, quo Catechumeni quondam e Templis dimittebantur, sed ab oblationibus, quas unusquisque fidelium mittere solitus fuit, derivari debere. Videatur ejus *Dictionarium Etymologicum S. Origines de la Langue Francoise f. m. 499.*

§. VIII. Omnium autem turpissime erravit eruditissimus PEIRESCIUS, qui opinatus est, se *Missæ* sacrificium in pervetusto quodam Constantini nummo invenisse. In ejus enim postica cum aræ quandam speciem, & supra illam orbiculare quid observasset cum verbis: BEATA TRANQUILLITAS, continuo *hostiam*, ut appellant, hoc est, panem orbicularem in sacræ Eucharistiæ usu hodie adhiberi solitum, animo concepit, ut sacrificii missatici antiquitatem exinde probaret. Sed SPONIUS, Medicus Lugdunensis in Gallia, Vir antiquitatum peritissimus, errorem facile detegebat, ex simili nummo integriore & minus detrito evidentissime probans, figuram illam orbicularem a PEIRESCIO pro Missæ Symbolo imprudenter acceptam, *globum mundi* esse, in quo Zodiacus, & stellæ aliquot distinctissime appareant, quemadmodum ipse Sponius in literis ad celebrem Ignatiani Ordinis Sacerdotem DE LA CHAISE scriptis rem omnem fuse enarrat. Verba SPONII digna judico, quæ hic legantur: " Monsieur de Peiresc, ce bel esprit, pour qui les sçavants, ont eu une extreme veneration, pretendoit d'avoir trouve " la Messe dans les medailles, ses manuscrits sont tombés entre " mes mains, & j'ai de quoi le justifier. La medaille meme, dont "

 "il

„il s'agit, n'est pas si rare, qu'on ne pourroit se l'imaginer. Il n'y „a gueres de curieux, qui ne l'ait veue. Il croyoit donc, que la „medaille de Constantin, qui a pour revers une espece d'autel, & „un rond dessus avec cette inscription: BEATA TRAN„QUILLITAS, fut une representation du S. Sacrement de l'„autel, & que le rond fut la S. Hostie: Il fait la dessus une Disser„tation de 4 où 5 pages, & prouve son opinion par des raisons, qu'„il croioit étre incontestables. Mais il se trouve par malheur, qu'„un petit Antiquaire (SPONIUS ipse est) a pris garde, que „ce Rond n'etoit autre chose, que le globe du monde, assis sur une „bace, pour marquer son bonheur, & sa tranquillité sous l'Em„pire de Constantin. Cela est aisé a connoitre, quand la medaille „se trouve nette, (ce qui n'etoit peutétre arrivé à Monsieur de „Peiresc) Car on remarque distinctement sur ce globe le Zodia„que, & des planetes au dessus, ce qui ne laisse aucune doute a le „prendre pour le globe du monde.

Et certe res ita sese habet. Nam ejusmodi nummum non tantum PATINUS *in Numismatibus Imperatorum Rom.* exhibet, sed etiam DU FRENE, *in Constantinopoli Christiana*, MEDIOBARBUS *in Augmento ad OCCONIS Numismata* ejus generis permultos, cum a Constantino ipso, tum ab ejus filiis Crispo & Constantino Juniore, signatos, descripserunt, qui omnes SPONIO suffragantur, *globum mundi* in iis expressum esse. In plurimis Imperatorum, Regumque nummis conspicitur ejusmodi globus manu Principum apprehensus & expressus, potestatis significandæ causa. In nummo Imperatoris COMMODI apud RUBENIUM duplex conspicitur globus ad imperium orientis & occidentis denotandum; imo triplex, ad indicandum Asiæ, Europæ & Africæ imperium, perinde ut in nummo AUGUSTI apud eundem RUBENIUM LI. 51. XV. 18. Ejusmodi globus in manu Principum conspectus potestatis ac dominii symbolum erat in nummis perinde ac imaginibus vetustis. Idcirco ROMA DEA cum hasta ac orbe in manu; nec non VICTORIA sphæræ cœlesti insistens, apud eundem RUBENIUM LXIII. 15. X. 13. exhibetur. De sculpta imagine Imperatoris Maximiani, æream sphæram, in speciem poli formatam manu gestantis, insignis exstat locus apud AMMIANUM MARCELLINUM *Libro XXV. Cap. X. f. m. 440.* Ad quem locum HENR. VALESIUS recte adnotavit, sic fere imagines Imperatorum pingi consuevisse.

visse. Id quod confirmavit testimonio BASILII Seleuciæ Episcopi, qui *Sermone I. de Adam*, docet, in pictis splendidisque Imperatorum imaginibus præter colorum fulgorem, oculos præstringentem, chlamydemque purpuream marino flore collucentem, ac diadema lapillorum lumine coruscans, conspici χεῖρα τῷ σφαιροειδεῖ σχήματι τε κόσμε τὸν κύκλον τοῖς δακτύλοις φέρειν *manum, quæ orbem terrarum, in modum sphæræ formatum, digitis gestet.* Idem de JUSTINIANI statua equestri ex CODINO & SUIDA notavit Vir Cl. JO. ALB. FABRICIUS *Bibliothecæ Græcæ Libro IV. Cap. XIV. p. m. 461.* Ego putaverim, PEIRESCII opinionem nulla re magis, quam ex temporum rationibus, quas Vir summus non attendit, refelli posse. Nam in ejusmodi nummis plerisque juxta aram legitur VOTIS XX, id quod indicio est, eos A. Ch. CCCXXVI. cusos esse, quo anno Constantinus Romæ Vicennalia celebravit, quemadmodum ANTONIUS PAGIUS *in Dissertatione Hypatica* ostendit, ubi solennia illa prolixe descripsit. Constantino enim, illo tempore salutari fonte nondum abluto, adhuc incognita erant S. Eucharistiæ Symbola, neque, si cognita fuissent, ejusmodi mysteria atque ritus, quæ eorum Catechumenis & paganis summo studio occultabantur, obstante disciplina arcani, publicare licuisset. Ceterum explicatos habes istos nummos apud JACOBUM OISELIUM *in Thesauro Tab. LX. num. V.* TENZELIUM *in Colloqu. Menstr. 1659. Sept. p. 883. aliosque.*

§. IX. Quæ cum ita se habeant, vehementer miror, existere hodienum homines, & quidem, quod omnem fidem superat, inter Protestantes, qui a Romanis ritibus alienissimi esse solent alias, & tamen missaticum hoc sacrificium defendere conantur. Fecit hoc nuperrime Vir eruditissimus JOANNES ERNESTUS GRABE in recentiori Irenæi editione, quæ Oxoniæ anno M. DCCII. ejus studio curata prodiit. Nam in notis ad *Librum IV. adversus hæreses Cap. XXXII. p. m. 249.* scribit, *IRENÆUM, ac omnes, quorum scripta habemus, Patres, Apostolis sive coævos, sive proxime succedentes, sacram Eucharistiam pro novæ legis sacrificio habuisse, & panem atque vinum tanquam sacra munera in altari DEo Patri obtulisse.* Existimat, hanc non privatam particularis ecclesiæ, vel Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiæ doctrinam atque praxin fuisse, quam illa ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo edocti, acceperint. Optat denique, ut,

postquam multi pii, doctique e parte Protestantium viri, hunc LUTHERI & CALVINI errorem, ac nævum, Apostolicæque Ecclesiæ doctrinam, agnoverunt, hujus quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium DEo offertur, ab illis male e suis cœtibus proscriptas, in usum revocent, & hunc summum divinæ majestati honorem debite reddant.

§. X. Ut causam, quæ multis ex ipsis Pontificiis desperata visa est, tueatur GRABIUS, provocat ad testimonia quædam CLEMENTIS ROMANI ac IRENÆI. Locus, quem ex CLEMENTE laudavit, in priori ejus ad Corinthios epistola exstat Verba hæc sunt: *πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν· κατὰ καιροὺς τεταγμένους τάς τε προσφορὰς, καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῆ ἢ ἀτάκτως γίνεσθαι, ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις*: *Cuncta ordine debemus facere, quæ Dominus jussit peragere: statutis temporibus* OBLATIONES & LITURGIAS *perfici neque temere, vel inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus & horis.* Nervus argumenti hic est: CLEMENS ROM. *προσφορὰς καὶ λειτουργίας* hic commemorat, ergo Eucharistiam intelligit, ergo Eucharistia est sacrificium propitiatorium proprie sic dictum. quale Pontificii hodienum DEo in S. cœna offerre solent. Non inficior, voces *προσφορὰ* & *προσφέρειν*, de S. cœna usurpatas esse ætate præsertim CHRYSOSTOMI: Sed an in hoc CLEMENTIS testimonio per *προσφορὰς* intelligenda sit Eucharistia, perincertum est. Et quamvis hoc GRABIO largiamur, ostendendum est denuo, intelligi hic sacrificium propitiatorium proprie dictum, quod mea opinione CLEMENTI nostro, qui viginti ante JOANNIS obitum, annis, scripsisse creditur, nunquam in mentem venit. Argumentatio certe ab oblatione ad Missam æque vitiosa est, ac collectio a genere ad speciem Ne dicam, totum illud CLEMENTIS caput, in quo GRABIUS sententiæ præsidium quærit, nonnullis suspectum esse. Vide B. ITTIGII *Hist. Eccles. Sec. I. p. 204* Quid obstat, quo minus hujus loci *oblationes*, ut in sexcentis aliis, de donis & muneribus, quæ pœnitentes in pœnitentiæ commendationem, vel etiam fideles extra pœnitentiam constituti, in altari offerebant, interpretemur? Adeundus est JO. CASP. SUICERUS in *Thes. Eccles.* Tom. II. f. 865. sub ea voce. Nobis suff agatur JO. FELLUS in *Annotat.* ad hæc Clementis verba p. 153 De *λειτουργίας* voce diximus paulo ante. Ad testimonia IRENÆI, quæ GRABIUS, Pontificio-

tificiorum vestigiis insistens, in opinionis confirmationem adduxit, erudite copioseque nuper respondit JO. FRANC. BUDDEUS in peculiari Dissertatione, quæ in *primitiis ejus Jenensibus* continetur. GRABIUS interim dispiciet, quid Pontificiis, & sigillatim Ignatianæ sodalitatis Patribus, qui Trevoltienses commentarios, rei literariæ inservientes, adornarunt, & de hoc jactatæ antiquitatis consensu, vehementer lætati sunt, sit responsurus. Vid. *Memoires de Trevoux pour l' histoire des sciences & des beaux Arts, mense Majo, anno M. DCCIII. p. 353.* imprimis autem nostra Dissertatio de *Irenæo Evangelicæ Veritatis Teste* ac Confessore §. XL & XLI.

§ XI. Cognoscamus exinde licet, gravissimas hodienum inter ipsos Reformatos dissensiones esse, & multos ex Ecclesiæ illius Doctoribus ab ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων subinde recessisse. Defendit non solum Grabius Pontificiorum missam, sed etiam GEORGIUS BULLUS, Presbyter Anglicanus, in *Harmonia sua Apostolica, ejusque Vindiciis*, operum justitiam tam crasse urget, ut vix scriptor aliquis Pontificius crassius urgere possit. Propterea a GRABIO in Præfatione ad Tom. I. Spicilegii S. S. Patrum *egregius solius fidei impugnator* appellatur. Cum BULLO, qui dissentientes *Solifidianorum* nomine falsse exagitat, plerique in Anglia & Belgio Theologi sentire dicuntur. SCRIVENERUS certe, in *Apologia pro Patribus*, quam JO. DALLÆO opposuit, eo delapsus est audaciæ, ut p. 87. non tantum quæstionem de justificatione per fidem solam, & non solitariam, lusum puerilem appellet, sed etiam aperte affirmet, contra utramque, ut ait, familiam tam LUTHERI, quam CALVINI, istiusmodi justificationis neque volam, neque vestigium percipi posse a sincero perscrutatore S. Scripturarum omnium. Desinant ergo Reformati mirari, cur unio Ecclesiæ nostræ cum sua Reformata, tot votis hactenus expetita, adhuc desideretur? Id sibi dictum putent, quod Lutheranus quidam Theologus GILBERTO BURNETO, Episcopo Salisburiensi, cum anno 1686. in Germania versaretur, & idem ex eo quæreret, *sibi nempe longe magis mirum vi-* " *deri, unionem illam adeo urgeri, & suaderi posse a* Theologo An " glo, cum Dissidia in Anglia ita *nunquam* potuerint componi, ut " maxima potius *animorum contentione etiamnum agitentur. Æquissimum igitur esse, ut Ecclesia Anglicana prius propriis medeatur* " *vulneribus, & lites, quæ ab Independentibus, Presbyterianis, Qua-* "

ckeris,

„*ckeris, Cameronianis, motæ sint, componat, quam reliquarum Eccle-„siarum Protestantium concordiæ promovendæ prospiciat.*

LV.

ΤΑ ΠΗΔΑΛΙΑ Actuum XXVII, 40.

§. I.

NAvi, qua Paulus vehebatur, & naufragium patiebatur ad insulam *Meliten*, tribuuntur ΠΗΔΑΛΙΑ GUBERNACULA in plurali Act. XXVII, 40: *Anchoris undique ablatis permiserunt eam mari*, ἅμα ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν ΠΗΔΑΛΙΩΝ, *simul laxatis vinculis GUBERNACULORUM.* LUDOVICUS DE DIEU & TH. BEZA hic hæsitarunt, & existimarunt, *gubernacula plurali numero dici pro singulari, cum unius navis plura non sint gubernacula.* ERASMUS SCHMIDIUS, Vir Doctissimus, enarrata BEZÆ opinione nihil definivit, sed rei nauticæ peritis id dijudicandum reliquit *ad h. l. f. 973.*

§. II. At vero nulla hic admittenda est enallage numeri, quia usitatum fuit & ordinarium plane apud veteres, ut naves paulo majores duo haberent gubernacula ac duos gubernatores. Locus ÆLIANI disertissimus est. Dicit enim, ὅτι Καρχηδόνιοι δύο κυβερνήτας εἰσῆγον εἰς τὴν ναῦν, ἄτοπον λέγοντες εἶναι, ΔΥΟ μὲν ΠΗΔΑΛΙΑ ἔχειν, τὸν δὲ λυσιτελέστατον τοῖς ἐμπλέουσι, καὶ τὴν ἀρχὴν ἔχοντα τῆς νεὼς ἔρημον εἶναι, καὶ μόνον διαδόχου καὶ κοινωνοῦ, *Carthaginienses duos gubernatores navi dederunt, absurdum esse dicentes, DUO quidem GUBERNACULA habere, eum vero, qui navigantibus utilissimus esset, & imperium navis teneret, solum & absque successore ac socio esse.* Ex his ÆLIANI verbis quæ exstant *L. IX. V. Hist. Cap. XL.* luce meridiana clarius est, Carthaginensium naves duo gubernacula habuisse. Apud HELIODORUM Æthiopicum Libro *quinto* Theagenes & Chariclea, Tyria nave vecti, apud Creticum Ithacæ promontorium appellunt τῶν πηδαλίων θάτερον ἀποβαλόντες *altero clavo amisso.* A Pœnis ad alios manavit hæc consuetudo. Locus notatu dignus exstat apud HIPPOLYTUM in Libro *de Anti Christo*, quem MARQUARDUS GUDIUS superiori seculo edidit, & Vir Cl. JO. ALB. FABRICIUS nuper recudendum dedit in eleganti illorum

lorum opusculorum collectione. Ille autem HIPPOLYTUS genuinus Ecclesiam cum navi comparans, ejusque partes enarrans diserte commemorat duo gubernacula: *Θάλασσά ἐστιν ὁ κόσμος, ἐν ᾧ ἡ ἐκκλησία, ὡς ναῦς ἐν πελάγει χειμάζεται μὲν, ἀλλ' οὐκ ἀπόλλυται· ἔχει γὰρ μεθ' ἑαυτῆς τὸν ἔμπειρον Κυβερνήτην Χριστόν· φέρει δὲ ἐν μέσῳ καὶ τὸ τρόπαιον τὸ κατὰ τοῦ θανάτου, ὡς τὸν σταυρὸν τοῦ Κυρίου μεθ' ἑαυτῆς βαστάζουσα. Ἔστι γὰρ αὐτῆς μὲν πρῶρα ἡ ἀνατολή, πρύμνα δὲ ἡ δύσις, τὸ δὲ κύκλον, μεσημβρία.* ΟΙΑΚΕΣ *δὲ* ΔΥΟ *αἱ δύο διαθῆκαι*, uti recte legit MARQUARDUS GUDIUS, Eboracense MS. secutus. Nam in editione Combefisiana vitiose legitur: *ὄιακες δὲ, αἱ δύο διαθῆκαι*, uti recte notarunt Viri eruditissimi JO. GEORGIUS GRÆVIUS in *Lectionibus Hesiodeis Cap. 2. p. m. 11.* edit. JO. CLERICI, & JO. ALB. FABRICIUS *T. I. Operum* HIPPOLYTI *f. 29.* ubi locus ita Latine conversus exhibetur: *Mare est mundus, in quo Ecclesia, velut pelagi salo, fluctibus jactatur, nec tamen naufragio perit: quippe cum solertem gubernatorem Christum secum habeat. Fert vero etiam in medio erectum adversus mortem tropæum, quæ videlicet Crucem Domini secum portet. Est enim ejus prora Oriens: puppis vero Occidens: cavitas, mediaque capacitas, Meridies:* CLAVI DUO autem *sunt duo Testamenta.* Ejusmodi naves veterum duo gubernacula habentes *ἀμφίπρυμνοι* dicebantur, quia in puppi ex utroque latere gubernacula habebant, unum a dextro, alterum a sinistro. PETRONIUS Tarentinæ navis gubernacula Plurali voce semel iterumque commemoravit: *Nunc per puppim per ipsa* GUBERNACULA *dilabendum est, a quorum regione funis descendit, qui scaphæ custodiam tenet.* Idem: *Pergit interim tempestas mandata fatorum exequi omnesque reliquias navis expugnat. Non arbor erat relicta, non* GUBERNACULA, *non funis aut remus.* Conferantur summæ eruditionis Viri JO. SCHEFFERUS *de Militia Navali*, J. G. GRÆVIUS ad HESIODUM *Ἔργ. 45. p. m. 10.* SAM. BOCHARTUS in *Hieroz. P. II. L. IV. Cap. I. f. m. 453.* & JAC. PERIZONIUS ad ÆLIANUM *Libr. IX. Var. Hist. Cap. XL. p. m. 589.*

§ III. Hi clavi videri possunt in columna Traiani, & in Argo navi, seu ejus parte a puppi ad malum, quæ in cœlum fingitur relata, prout illa describitur a C. JULIO HYGINO, AUGUSTI Imp. liberto, & OVIDII Poëtæ familiari, in *Fabulis*, quæ sub ejus nomine exstant: *Habet stellas in puppe*

quatuor, *in GUBERNACULO DEXTRO quinque*, *in sinistro quatuor*, ad quem locum videatur Vir doctissimus THOMAS MUNCKERUS. Et in *Poëticôn Astronomicôn* ad M. FABIUM scriptorum *Libro III.* quo formæ cœlestes describuntur, *Cap. 36* hæc exstant de navi Argo: *Habet in puppi ad SINGULA GUBERNACULA, ad primum stellas quinque, ad alterum quatuor, circum carinam quinque.* Ibidem expressa habetur puppis illius cum duobus gubernaculis ac singulorum stellis figura, quam H. GROTIUS invenit in antiquissimo codice *Phænomenon Arateorum GERMANICI*, literis Romanis seu Capitalibus exarato, quem a JAC. SUSIO acceperat, quique postea in Bibliothecam ISAACI VOSSII pervenit, & cujus fit mentio apud JOSEPHUM SCALIGERUM *Epistola XXIX.* Eandem navis illius cœlestis imaginem nos etiam ex GROTIO & PERIZONIO repetitam exhibemus in Tabula ænea Fig. 4.

LVI.

PAULI IN INSULAM EJECTI MIRACULUM ET MELITENSIUM DE EO JUDICIUM ad Act. XXVIII. 1-6.

§. I.

POstquam Apostolus Paulus ejusque comites naufragium passi evaserant in continentem salvi, cognoverunt illam insulam vocari ΜΕΛΙΤΗΝ. In nonnullis vulgatæ editionis codicibus pro *Melita* legitur *Mitylene*, quæ Lesbi insulæ urbs est, a qua ipsa insula nomen accepit. Posita est in mari Ægeo e regione Assi & Adramittii. ERASMUS illum errorem recte emendavit.

§. II. Impræsens alia quæstio expedienda, definiendumque est, quænam *Melite* hoc loco intelligi debeat? Duplex enim hujus nominis insula reperitur. Una est in Dalmatico mari, altera inter Siciliam & Africam sita. Non desunt, qui Meliten Dalmaticam, in interiore sinu Adriatico Pauli naufragio dederunt. In hanc sententiam abiit *CONSTANTINUS PORPHYROGENNETA*, a quo ponitur in censu insularum Illyrici maris νῆσος μεγάλη τὰ Μέλετα, ἤτοι τὸ Μαλοζεᾶται, ἣν ἐν ταῖς πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ὁ ἅγιος Λοῦκας μέμνηται, Μελίτην ταύτην προσ-

πορσαγορεύων, *Alia magna insula, quæ Meleta seu Mal zeatæ vocatur, cujus in Actis Apostolorum meminit S. Lucas, Melitam eam nominans.* Qui ita sentiunt, urgent voces ἐν τῷ Ἀδρίᾳ *in Adria* scilicet πελάγει, vel κόλπῳ, in quo Apostolus tempestate dicitur jactatus, antequam in insulam appelleret, Act. XXVII, 27. Adriæ autem appellationem Illyrico magis, quam Africo mari convenire putant, ac inde colligunt, agi ibi de insula sinus Adriatici. Præterea huic opinioni favere opinantur nomen *barbarorum,* quos Meliten incoluisse Lucas prodit Act. XXVIII, 2. 4. cum Africanæ Melites incolæ vel Græci fuerint, vel longo usu & clientela Romani, quoniam insula a primo bello Punico Siciliæ Proprætori obtemperavit, quemadmodum liquet ex CICERONIS *Verrina VI. Cap. XLVI.* Vt ergo vel hisce indiciis Melite littoris illyrici indicari videatur, quippe cujus incolis *barbarorum* nomen rectius tribui possit.

§. III. Nos illis suffragamur, qui Melitam inter Siciliam & Africam sitam, quæ hodie *Malta* dicitur, & ab illis cruciferis equitibus obtinetur, qui Rhodum olim possidebant, Apostolo Paulo fatalem fuisse opinantur. Hoc cursus inde ad Siracusas & Rhegium institutus ostendit, quo iter e Melite Africana recta ducit. Contra flexuosa & præpostera fuisset via, si ab illyrica insula discessissent. Præterea Alexandria Puteolos ituris Melite Africana vel invitis se offert, nequaquam autem Melyte Illyrica, quam si quis ex Ægypto navigans peteret, toto salo dici posset aberrasse. Idem confirmat ventus navem impetuose agitans, Ἐυροκλύδων, vel ut *VULGATUS INTERPRES* videtur legisse, Ευροακύλων *Euroaquilo*, cum Paulus circa Cretam navigaret, excitatus, Actor. XXVII, 13. 14. qui non potuit impellere navem e Creta in Illyricum, quod rectius præstitisset Euronotus, non subcontrarius Euroaquilo, vel Euroclydo. Hunc enim in Austrum inclinasse potius, quam in Septentrionem, inde palam est, quod illo flante nautæ metuebant, ne in Africæ Syrtem inciderent Act XXVII, 17. nihil tale formidaturi, si ventus navem in Illyricum impulisset, cujus ora Syrti & Africæ est obversa. Tandem cum Actor. XXVII, 17 εἰς τόπον διθάλασσον *in locum bimarem*, hoc est, in Isthmum incidisse dicuntur, clarum inde ducitur argumentum, naufragium contigisse apud Melitam Africanam, ad cujus ortum æstivum hic isthmus hodienum reperitur, & ab incolis vocatur *LA CALA DI S. PAOLO, S. Pauli appulsus.* Confer *Maltam Vetustam & Novam* a

BURCHARDO NIEDERSTEDT adornatam, & auspiciis ac jussu L. Baronis DE BLUMENTHAL Helmstadii cum Præfatione H. CONRINGII anno 1660. editam, Capite *quarto*.

§. IV. Neque tanti sunt dissentientium argumenta, ut nos de hac sententia dimovere possint. Eos quippe fefellit, & in errorem induxit vox *Adriæ*, quam de interiore sinu Adriatico male explicarunt. *Adria* enim vel *mare Adriaticum* interdum tam late patet, ut Jonium etiam comprehendat. Proprie quidem & stricte Ἀδρίας vel sinus Adriaticus dicebatur mare, quod a Cerauniis Epiri montibus, quos Acroceraunios vocat PTOLEMÆUS, intus Venetias usque penetrat. Illud autem mare, quod Epirum & subjectas partes alluit, *Jonium* quidem proprie vocabatur, sed referri etiam solebat ad Adriam, ita ut totus ille tractus tempore STRABONIS, cujus fide nitimur, *Libr. VII. p. 219*, & deinceps, diceretur mare Adriaticum. STRABONI, qui imperante Tiberio vixit, adsentitur PTOLEMÆUS, scientiæ sideralis & Geographiæ peritissimus, *Libr. III. Cap. IV* Siciliæ latus terminari scribit ἀπὸ ἀνατολῶν ὑπὸ τοῦ Ἀδρίου πελάγους, *Orientem versus ab Adriatico pelago* & *Cap. XIV.* Epiri australe latus terminari μέχρι τοῦ Ἀχελῴου ποταμοῦ Ἀδριατικῷ πελάγει *usque ad flumen Acheloum ADRIATICO MARI. SEXTUS RUFUS FESTUS AVIENUS* in erudito carmine de *Ora Maritima*, quod *PROBO* inscripsit *vers. 594.*

- - - - - - Achelous
Irruit *ADRIACI* tergum *MARIS*.

Et EUSTATHIUS ad DIONYSII *Periegesin v. 92.* Ἰστέον, ὅτι οὐ μόνον Ἰόνιος κόλπος καλεῖται, ἀλλὰ καὶ Ἀδρίας ὁ αὐτὸς λέγεται, καὶ Ἀδριὰς, καὶ Ἀδριακὴ θάλασσα, *sciendum, quod illud mare non solum sinus Jonius vocetur, sed etiam Adria, & mare Adriacum.* Et HESYCHIO mare hoc idem est cum Jonio. Ἰόνιον πέλαγος ὁ νῦν Ἀδρίας, *Jonium, mare quod nunc Adria.* Idem ex vetere JUVENALIS SCHOLIASTE, ex PHILOSTRATO, PAUSANIA ac ipso HIERONYMO ample probavit SAM. BOCHARTUS *Geograph. S. Part. Post. Libr. I. Cap. XXVI. p. m. 553.* qui huc maxime pertinere putat, quod in PROCOPII *Vandalicis Libr. I.* insulæ Gaulus & Melita Ἀδριατικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος διορίζουσιν *Adriaticum & Tuscum pelagus disterminant.* Scite igitur secundum BOCHARTUM nostrum

nostrum, facer Scriptor & ex Geographorum usu e Creta Melitam delatos vi ventorum ingruentium jactari dixit in Adria. Conferantur JACOBUS PALMERIUS in *Græcia Antiqua Libr. I. Cap. XVI. p. m. 102.* & CHRISTOPH. CELLARIUS in *Dissertat. Academicis p. m. 168.* ubi *barbaros* hoc loco dici putat incolas insulæ agrestes, naufragos primum excipientes. In oppidis fuisse incolas Græcis Romanisque moribus excultos. Sed magis consentaneum est, sub barbarorum nomine designari Pœnos, quorum reliquiæ in agris hæserant, docente id laudatissimo BOCHARTO *l. c.* Melita enim urbs & insula Carthaginensium erat colonia teste SCYLACE, DIODORO, STEPHANO aliisque. Inde est, quod hodieque Melitensium rusticorum sermo fertur esse semi-Punicus. Specimen Linguæ Punicæ in hodierna Melitensium superstitis orbi erudito nuper obtulit Vir Cl. JO. HENR. MAIUS, Antiquitatum Græcarum & OO. LL. Professor Giessensis Marburgi Cattorum 1718. Barbari igitur Melitenses incolæ vocantur, quia *φοινίκων, ἢ Καρχηδονίων ἄποικοι, Phœnicum aut Carthaginensium coloni erant.*

§. V. Apostolo in hanc insulam ejecto, & sarmenta alendo igni, quem frigoris & imminentis imbris causa accenderant, impposituro, vipera ignis calore ex terræ cavitate educta, subrepsit, & *καθῆψε illigavit* se ejus manui, ut infenso dente morderet. Ea res incolis, *bestiam* de manu ejus pendentem spectantibus, occasionem dedit & argumentum suspicandi, Paulum esse homicidam, quem e mari servatum *ἡ δίκη* vivere non sinat. A vindicta quippe divina viperam venenatam emissam esse, ut morsu eum interficeret. Ubi observes, *τὴν ἔχιδναν ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσαν* a Luca appellari ΘΗΡΙΟΝ *bestiam* Græcorum auctorum usu, quibus non tantum bestiam in genere, sed viperam etiam & venenatum serpentem notat, quemadmodum ex SIRACIDIS *Cap. XII. 17,* ex DIOSCORIDIS *Libr. I. Cap. de utice*, collato PLINII *L. XXIV. Cap. 9.* viri eruditi probarunt. In Græcorum medicorum libris *θηριόδηγμα* & *θηριόδηκτος* de eo usurpantur, qui a serpente morsus est. Pharmaca *θηριακὰ* dicuntur, quæ veneno resistunt. Terra Æthiopica apud JOSEPHUM *L. II. Antiqv. Cap. 5.* appellatur *θηριοτρόφος*, quia multos alebat serpentes. Confer BOCHARTI *Hierozoicon Part. II. Libr.* III. *Cap 2 f. m. 371.*

§. VI. Melitenses hunc casum videntes præcipiti sententia arguunt, non exspectato rei eventu, PAULUM esse homici-

 dam

dam aut alius criminis reum, ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης Η ΔΙΚΗ ζῆν οὐκ εἴασεν. Ἡ δίκη gentilibus erat criminum mortalium ultrix, quam etiam Nemesin appellabant. SUIDAS: Νέμεσις, μέμψις, δίκη, κ. τ. λ. *querela*, *justitia*. HESIODO *de Op. & Die verf. 254* vocatur ἡ δίκη παρθένος Διὸς ἐκγεγαυῖα *Virgo Jove prognata, augusta & veneranda Diis, qui cœlum habent, conquerens apud Jovem de hominum iniquitate, ut luat populus peccata Regum. qui injustam sententiam pronunciant.* Apud AMMIANUM MARCELLINUM *Libr. XIV. Cap. II.* vocatur *ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix. Jus quoddam sublime Numinis efficacis, humanarum mentium opinione, lunari circulo superpositum.* Vel, ut alii definiebant apud eundem: *Substantialis tutela generali potentia partialibus præsidens fatis. Quam Theologi veteres fingentes justitiæ filiam ex abdita quadam æternitate, tradunt omnia despectare terrena.* Ad quem AMMIANI locum, JO. CLERICO in Notis ad HAMMONDUM quoque laudatum, conferendi omnino sunt HENR. VALESIUS in *Notis f. m. 59.* & FR. LINDENBROGIUS *f. m. 11.* Ἡ δίκη vocabatur etiam Ἀδράστεια, *quasi ineffugibilis necessitas ultionis*, interprete APULEIO. De Adrastia prolixe agit PROCLUS in *Theol. Platon. L.* IV. *Cap 6. p. 205.*

§. VII. Inde apparet, gentiles, Deam scelerum ultricem confingentes, agnovisse DEI justitiam, qui sceleratos non dimittat impunitos. Notum est illud VALERII MAX. dictum *L.* I *Cap* II. lento quidem gradu ad vindictam procedere iram divinam, sed tarditatem supplicii gravitate compensare. De sera Numinis vindicta elegantem & lectu dignum Dialogum seu librum scripsit PLUTARCHUS, qui a Neronis temporibus ad Hadrianum usque claruit. In quo si pro Diis DEUM rescribas, plurima invenias digna, quæ a Christiano dicantur, judice HUG. GROTIO *p 128.* de Satisfactione Christi adversus SOCINUM. Confer CASP BARTHII *Adversaria p. m. 2900* & JO. ALB. FABRICII *Biblioth Græcæ L.* IV. *Cap* XI *p. m 357.* Melitenses igitur cum aliis gentilibus divinam crediderunt *providentiam*, *Nemesin* & *Dicen*, quæ pœnas poscat ab improbis. Scite hanc in rem pronunciat HESIODUS *l. c. v 267.*

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας, ἐπιδέρκεται.

Omnia videns Jovis oculus, omniaque intelligens, inspicit.

Ad quem locum JO. CLERICUS *p. m. 235.* notavit, in Hieroglyphicis

glyphicis Ægyptiorum, oculum τὴν δίκην significare, teste DIODORO SICULO, vel τῆς δίκης τηρητήν. Nec apud HESIODUM aliter sumi. At in eo errarunt, quod sententiam præcipitarunt, & existimarunt, nemini accidere mala, nisi qui ingentis criminis reus esset. Quem errorem cum multis aliis gentilibus habuere communem. Videntes enim bonis mala & malis evenire fausta, divinam negarunt providentiam. Noti sunt OVIDII versus:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso;
Sollicitor, nullos esse, putare Deos.

SEXTUS EMPIRICUS L. I. *instit. Pyrrhoniarum a Cap.* XIII. *f. m. 10.* ostensurus, nullam dari providentiam, urget, bonos sæpe adversa uti fortuna, malos autem prospera. Sed Cel. FABRICIUS in Adnotatione ad h. l. recte notavit, non posse externis ex signis certo expediri, quis probus, quis improbus, quod bonum homini vel malum.

§. VIII. Melitenses exspectare debuissent rei eventum: Apostolus enim morsu viperæ non periit. Nam cum bestiam in ignem excussisset, nihil mali passus est. Implebatur Christi promissio Marc. XVI. 18. Apud veteres inter armillarum genera fuit ὄφις ἐπικάρπιος, aut περιβραχιόνιος, cujus meminere in ATHENÆO NICOSTRATUS, PHILOSTRATUS, HESYCHIUS, aliique. Videturque mihi illa vipera se Pauli manui illigasse, non ut læderet, sed ornaret, & virtutem divinam Apostolo collatam demonstraret. Barbari putabant, αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, fore ut præ ardore, ex morsu viperæ collecto, *intumesceret.* Nam πιμπρᾶν HESYCHIO est ἐμπυρίζειν, φυσᾶν, καίειν. *Aut ut statim concideret mortuus* Videntes autem Paulo nihil incommodi inde accidisse μεταβαλλόμενοι, mutata sententia, dixerunt, θεὸν αὐτὸν εἶναι, *illum esse DEUM.* Ita dum stulti vitant vitia in contraria currunt. Videatur omnino BOCHARTUS *l. c. f. m. 373.*

LVII.

LVII.

DE CREATURA GEMEBUNDA, ad Rom. IIX, 19.-23.

§. I.

PErvulgata est opinio, & omnium fere interpretum, maxime concionatorum, suffragiis approbata, sub κτίσεως voce, quam Apostolus hoc in loco usurpavit, Solem, lunam, stellas, aquam, terram, ignem, aërem, animalia quævis, arbores, plantasque, & reliqua corpora, vitæ rationisque expertia, intelligi. Opinantur etiam, hanc ipsam creaturam a Paulo dici, vanitati subjectam, asserique, eam a corruptionis servitute liberandam, ita ut spe futuræ liberationis, & revelationis filiorum DEI, erigatur.

§. II. Quamvis vero non incommode explicent, quomodo creaturæ inanimatæ æque ac animatæ ματαιότητι subjectæ sint, dum nempe ad luxum, aliaque flagitia exercenda contra creatoris institutum ab impiis abripiuntur: tamen nec exponi, nec intelligi potest, qua ratione dicatur, eam vanitati non sponte subjici, eam parturientis fœminæ instar dolore angi (συνωδίνειν) eam libertatem suam exspectare, ingemiscere,, ut a præsenti servitutis onere aliquando liberetur ad gloriam filiorum DEi. Non tollitur difficultas, si cum CHRYSOSTOMO dicatur, universum mundum hic ab Apostolo προσωποποιεῖσθαι. Paulus enim, cum hæc scriberet, de tali ἀνθρωποπαθείᾳ, & prosopopœia, figmentis poëticis, ne cogitasse quidem videtur. Indicio est, & argumento, quod dicit, v. 18. se λογίζεσθαι, id est, argumentando concludere seu collectis recteque subductis rationibus, Logicorum & Arithmeticorum more, firmiter sibi persvasum habere, perpessiones hujus seculi non esse dignas, gloria in nobis revelanda. HESYCHIUS λογίζομαι exponit τῇ χειρὶ ψηφίζω ἐνθυμοῦμαι φημίζω. Inde apud THEOPHRASTUM *Charact. Cap. XIV.* λογιζόμενος ψήφοις est *calculis numerans*. Hoc ipsum argumento a solicita creaturæ exspectatione, in gloriam filiorum DEi intenta, confirmat In hac igitur sententia confirmatus paulo post ait v. 22. οἴδαμεν, *scimus*, quod omnis creatura congemiscat. Jam vero certum

tum est, Apostolum in re incerta, in locutionibus figuratis, & in prosopopœiis, hac similique voce, nunquam uti, sed eo duntaxat casu illam usurpasse, cum de rebus certis, sibique exploratis, agit. Confer. Rom. VII. 14. Rom. IIX. v. 28.

§. III. Equidem non inficiamur, vulgari hac expositione pios animi sensus in auditoribus excitari, eosdemque, ut præsentia aspernentur, graviter commoveri posse. Quemadmodum THEOPHYLACTUS ad hæc Pauli verba scribit p. 81. quod his argumentis Apostolus cogat auditorem suum περιφρονῆσαι τὰ παρόντα, *præsentia aspernari*, perinde ac si dicat: μὴ γένῃ τῆς κτίσεως χείρων, *ne sis creatura peior*, neque in præsentibus impense delecteris, quin potius ingemiscas, quod gloriam futuram nondum assecutus es. Verum abusus, ad quos communior hujus loci explicatio jam olim trahebatur, non tantum a Manichæis, sed etiam a Priscillianistis, & Origenistis, longe majores deprehenduntur. Illi enim hoc testimonio freti probare conabantur, arboribus, oleribus, lapidibus, ceterisque creaturis hujus generis, dolendi gemendique sensum inesse. Hi vero utrique Solem, Lunam, & stellas reliquas, rationales potestates esse sominarunt, deliriaque sua ex eodem hoc loco probarunt. Ab immani hoc ORIGENIS errore ipse AMBROSIUS non videtur alienus P. D. HUETIO *Origenian. L. II. qu.* VIII. *f. 128.* & PETAVIO *de Opific. sex dierum L.* I. *cap.* XII. Nostra ætate nemo fere turpius his Pauli verbis abusus est, quam TH. BURNETIUS, dum ad probandum triplicem mundi naturalis statum, quem vane commentus est, illa detorsit in *Archæologiis Philosoph. L.* II. *cap.* II *p 402. 403.* Ab Apostolo enim hocloco supponi putat, *mundum vanitati nondum subjectum:* dein hodiernum, *vanitati subjectum:* denique futurum *a vanitate*, cui antea subjiciebatur, *redemtum & liberatum*, quam futuram mundi restaurationem a S. Petro ἀποκατάστασιν, & a Christo παλιγγενεσίαν dici arbitratur. Quapropter omnes ingenii nervos intendit, ut probet, κτίσιν *creaturam* de externa rerum natura, seu mundo condito & naturali: & ματαιότητα seu *vanitatem*, de ejus mutabilitate, inconstantia, natura caduca & fluxili, corruptionique facile obnoxia, qualis sit hodierna, intelligi debere. Quam falsa sit hæc explicatio, ex iis, quæ paulo post dicturi sumus, patebit.

§. IV. Cœlum & terram, ceterasque creaturas irrationales, & inanimatas sub creaturæ nomine intelligi haut posse, ex illis

 Scri-

Scripturæ testimoniis manifestum est, quæ docent, mundum, & quidquid præter Angelos ac homines in eo continetur, instar fœni & graminis transire, nec permanere, & instar vestis veterascere ac perdi, omniaque, non instauranda aliquando, sed penitus abolenda esse, quo de essentiali mundi interitu conferantur loca Psalm. CII v. 27. 28. 29. Luc. XXI. v. 33. 2 Petr. III. v. 7. Apoc. XX. v. 11. Ab hac vero mundi annihilatione excipiuntur creaturæ, hoc in loco a Paulo commemoratæ, quippe quæ ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ, a servitute corruptionis ad gloriam & libertatem filiorum DEI, liberandæ dicuntur. Tantum autem abest, ut hæc creaturæ liberatio per *abolitionem* explicari possit, sicut permultis ex nostratibus visum fuit, ut potius βελτίωσις aliqua, ac renovatio diserte innuatur. Cum vero hæc creaturis, vitæ rationisque expertibus, non conveniat, & reliqua etiam prædicata, quæ de κτίσει h. l. enunciantur, alieniora, & minus accommodata sint, nemo mirabitur, quod a communi illa, receptaque hactenus explicatione, recedamus.

§. V. Non desunt, qui cum Scholiaste Angelos bonos intellexere, & illos *vanitati*, id est, vanorum hominum servitio, contra voluntatem suam subjectos esse, opinati sunt. Horum mihi sententia indigna videtur, quæ prolixe refellatur. Quamvis enim Angeli πνεύματα λειτουργικὰ sint, propterea tamen, nec vanitati sunt subjecti, nec a corruptionis servitute debent liberari. Ut taceam, hos Spiritus administratorios in piorum ministerium, custodiamque emissos, summo gaudio fidelibus servire, cum contra illa creatura, de qua Paulus loquitur, οὐχ ἑκοῦσα, *non sponte* vanitati subjecta sit. Relinquitur ergo, sub *creaturæ* nomine homines intelligi oportere.

§. VI. Omnes vero homines generatim, inclusis etiam impiis, intelligi non posse, exinde manifestum est, quod impii vanitati libentissime serviunt, & gloriosam filiorum DEI revelationem cum desiderio non exspectant, quod tamen de *creatura illa* Apostolus affirmat. Neque illorum opinio ullam veri similitudinem habet, qui statuunt, vel animas viventium, vel pie defunctorum ea voce significari. Quis enim dicat, pie defunctorum animas, τῇ ματαιότητι, καὶ τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, vanitati, corruptionisque servituti, adhuc subjici, illasque συστενάζειν, καὶ συνωδίνειν ingemiscere & dolere? Et quomodo, quæso, beatorum animæ differunt a filiis DEi in libertatem gloriosam, æternamque asser-

afſertis? v. 21. a quibus tamen creatura vanitati ſubjecta expreſſe diſtinguitur, quæ revelationem filiorum DEI demum exſpectat v. 19.

§. VII. Longe majoris momenti eſt recentiorum quorundam ſententia, ſigillatim NORTONI KNATCHBULLI in *Animadverſ in h. l p. 81. 82.* HAMMONDI in h. l. LIGHTFOOTI *in Hor. Talmud. ad Marc. XVI. 15.* B. RIVINI, aliorumque, qui de gentibus nondum converſis, ſed profano adhuc cultui, impurisque ritibus addictis, attamen ad libertatem filiorum DEI Evangelicam anhelantibus, *creaturæ* vocem interpretantur, & per *vanitatem* idololatriam intelligunt. Verum multis incommodis premitur hæc explicatio, nec deſunt argumenta, quibus labefactari, penitusque everti poteſt. Quis LIGHTFOOTO credat, dicere voluiſſe Apoſtolum v. 19. *intenta exſpectatio Creaturæ*, vel mundi Ethnici, *revelationem filiorum DEI præſtolatur*? Etſi enim concedatur, DEum per Prophetas ſæpe promiſiſſe, innumeros ſe filios inter gentiles ſibi congregaturum, atque adoptaturum: explicari tamen nequit, quomodo revelationem ac productionem iſtorum filiorum, tam avide expectarit totus mundus gentilitius, neque hoc ipſe Lightfootus explicare auſus eſt. Quis admittat, totum mundum ethnicum vanitati mentis ſuæ ſubjectum eſſe, non volentem, ſed propter eum, qui ſubjecit eum ſub ſpe? Nec apparet, quomodo Apoſtolus ἐμφατικώτατα verba συςενάζειν καὶ συνωδίνειν de mundo gentilitio uſurpare potuerit? Qua ratione dici poteſt, gentes inconverſas τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ exſpectaſſe, id eſt, τὴν μέλλουσαν δόξαν, cœleſtem illam gloriam, quam in filiis DEI aliquando revelandam, dixerat Apoſtolus v. 18. Fieri profecto non potuit, ut gentiles, ex aliqua Evangelii fama gloriam filiorum DEI, poſt reſurrectionem corporum revelandam, ſatis intelligerent, ne dum, ut ardentiſſimis ſuſpiriis, & tam anxie eandem præſtolarentur, & deſiderarent, quemadmodum ipſi DEI filii, qui την ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος habent, corporis ſui redemtionem exſpectare dicuntur, v. 23.

§. VIII. Ad mentem Apoſtoli omnium proxime acceſſit JO. CLERICUS, in *Annotationibus ad N. T.* quas Hammondianis adjecit, qui Paulum de gentilibus converſis locutum eſſe opinatur. Hos enim ſolicite exſpectaſſe ait tempus, quo noverint, ſe a vanitate rerum humanarum liberatum iri, optime intelli-

telligentes, quantum ſit in rebus inane. His vero gentibus, Chriſtianorum ſacris initiatis, Judæos v. 23. opponi exiſtimat, tanquam primitias Spiritus habentes, ſive qui primo Spiritum a DEO acceperant. Non diffiteor, me diu in hac opinione fuiſſe, cum omnium optima, nulliſque difficultatibus obnoxia videatur. Re tamen accuratius expenſa, omnibuſque circumſtantiis paulo diligentius conſideratis, deprehendi, Apoſtolum Judæos fideles, qui gentibus immixti, & per varias nationes diſperſi erant, non penitus excluſiſſe a *κτίσεως* notione, multo minus gentiles converſos Judæis v. 23. oppoſuiſſe, quemadmodum JO. CLERICUS putavit. Idcirco Summe Rever. ITTIGIUS in Differt. ſuper hunc locum, anno M. DCC. Lipſiæ habita, §. LVI. arbitratus eſt, hoc Apoſtoli oraculum commodius exponi non poſſe, quam ſi per creaturam fideles intelligamus, ex Judæis æque ac gentilibus collectos.

§. IX. Ita profecto res eſt. Nihil aliud per *κτίσιν* intelligi poteſt, quam *fideles*, novique Chriſtiani, qui maximam partem e gentilibus, & aliqua ex parte e Judæis etiam, per Evangelii præconium, collecti erant. Propterea Apoſtolus fideles iſtos denominavit a parte potiori & majori, *κτίσιν*, *creaturam*, more Ebræorum, qui gentiles הבריות *creaturas*, uſitatiſſime appellare ſolebant. Ita *in Bereſch. Rabba*, Sect. XIII, שיחתן של בריות *ſermo omnium creaturarum*, i. e. Ethnicorum, *eſt ſolum de rebus terrenis*, תפלתן של בריות, *& omnes orationes creaturarum, ſunt pro rebus terrenis. At omnes orationes Iſraelitarum ſunt ſolum pro loco ſancto.* Hic Iſraelitis opponuntur בריות, *creaturæ*, id eſt, gentiles. Interdum כל הבריות *omnes creaturæ*, omnes homines notant. Sic MAIM. in Sanhedr. cad. II. אהבת הבריות, *amor creaturarum*, dixit pro *φιλανθρωπία*. Erudite obſervavit LIGHTFOOTUS in Hor. Talm. in Marc. XVI, 15. formulam Judæis tritiſſimam, לכל הבריות reſpondere *πάσῃ τῇ κτίσει*, quæ verba Matthæus exponit, *πάντα τὰ ἔθνη*, Matth. XXIIX. v. 19. Quando igitur dixerat Apoſtolus, ſe argumentis non fallentibus perſuaſum, certumque eſſe, hujus ſeculi perpeſſiones non dignas eſſe gloria in filiis DEI revelanda, probat id ex conditione fidelium, qui *ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ* vehementiſſimo quodam deſiderio præſtolentur, quale eſt eorum, qui capite erecto ſtant, & exerto quaſi collo proſpiciunt in omnes partes, annon adveniat, quem e longinquo venturum opperiuntur, quod

καρα-

καραδοκεῖν dicunt HERODOTUS, EURIPIDES, ARISTOPHANES, aliique. Καραδοκεῖ HESYCHIO est προσδοκᾷ ἐκδέχεται ἢ ἐπιτηρεῖ τὸ κεφάλαιον τοῦ πράγματος. Idem ἀποκαραδοκίαν interpretatur προσδοκίαν & ἀπεκδοχήν, *desiderium & expectationem.* Nam ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως est ipsa κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα *creatura exspectans*, more Ebræo. Conf. Rom. IIX, 3. Matth. XXIV. 15. Ipsa igitur ἀποκαραδοκίας vox, de κτίσει enunciata, docere nos potest, verba Apostoli, non de creaturis rationis expertibus, sed de hominibus accipi oportere, cum præsertim non desint loca, in quibus κτίσεως vox de solis hominibus usurpatur, ut Marc. XVI. 15. Col. I. 23. Quemadmodum autem his in locis πᾶσα κτίσις ponitur συνεκδοχικῶς pro omni κτίσει ἀνθρωπίνῃ, ita eadem loquendi ratio Doctoribus Talmudicis trita & frequens est, nec obscure nostram sententiam illustrat. In PIRKE ABOTH dicunt Magistri אוהב את המקום אהב את בריות *amans DEUM, amat etiam creaturas* h. e. homines. Quod convenit cum præcepto Christi 1 Joh. IV, 21. Ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔχομεν ἀπ᾽ αὐτοῦ, ἵνα ὁ ἀγαπῶν τὸν Θεὸν, ἀγαπᾷ καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. In codice AVODA SARA *Cap. I. p. 21. Editionis Edzardianæ* כל בריה de *omni homine* usurpatur. Quod Judæis adeo familiare est, ut passim repetant. Eodem sensu occurrit in TOSAPHOTH MARGINALIBUS *fol. 7. Col. I. lin. 4. a fine*, ubi גונבים דעת הבריות *furantes mentem creaturarum* dicuntur illi, qui imponere student hominibus aliis, & hypocritice eos fallunt. Et paulo post *linea ultima* commemorantur מטעין הבריות *fallentes creaturas*, id est, homines. Videatur GEORGI ELIEZ. EDZARDI Præfatio in *Caput primum* Tractatus Talmudici AVODA SACRA *p. m. 45.* Ipse sane Apostolus per articulum, quem ubique in hoc dicto voci κτίσεως præposuit v. 19. 20. 21. 22. indicasse videtur, quod de illis duntaxat loquatur creaturis, de quibus paulo ante fuerat locutus, nempe de fidelibus, qui πνεῦμα υἱοθεσίας acceperant v. 15. qui erant τέκνα τοῦ Θεοῦ, κληρονόμοι Θεοῦ, συγκληρονόμοι χριστοῦ v. 17. patientes cum Christo, & cum eo conglorificandi. Verbo: per κτίσιν Paulus intelligit κτισθέντες ἐν χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, Eph. II. v. 10. sive καινὴν κτίσιν, 2 Cor. V. 17.

§. X Si quæras, quinam sint υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, a quibus aperte distinguitur *creatura*, revelationem filiorum DEi exspectans? v. 19. respondemus, illos esse fideles in cœlo triumphantes.

Quemadmodum enim per *κτίσιν* fideles Ecclesiæ militantis: ita per *υἱὸς τοῦ Θεοῦ* non incommode electi cives in cœlis intelliguntur. Hoc apparet ex versu 21. ubi *τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ* sunt, qui gloriosa libertate in cœlis jam fruuntur; & *υἱοθεσία* v. 23. non est adoptio hujus vitæ in numerum fidelium, sed est adoptio *εἰς τὴν ἐλευθερίαν δόξης* in futura vita cœlesti, quam fideles exspectant.

§. XI. De Christianis, quoad in his terris vivunt, constat, quod in Ecclesia militante sint, & quod variis ærumnis, miseriis & vexationibus perpetuo exponantur. Hoc Paulo est *τῇ ματαιότητι* subjici, quod in Christianos illius temporis apprime convenit, qui a Claudii temporibus male cœperant tractari, horrendis cruciatibus torqueri, gravissimisque suppliciis affici. Neque vero hæc *τῆς ματαιότητος* interpretatio abhorret a Scripturæ usu, quæ sub vanitate id omne comprehendit, quidquid in hoc Orbe evanidum, caducum, inconstantiæ, miseriis atque corruptioni est obnoxium. Secundum glossam PHAVORINI *ματαιότης* est *φθορά, πρᾶγμα ἀνόητον, βουλὴ ἀνυπόστατος*, *corruptio, negotium insipiens, & consilium instabile.*

§. XII. Ceterum sententiæ nostræ non obstat, quod *creatura* h. l. quam de novis Christianis, & maxime quidem de fidelibus gentilibus, exposuimus, iis opponatur fidelibus, *v. 23*, qui *ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος* accepisse dicuntur. Nam *οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες* sunt Apostoli, qui primitias Spiritus, sive præstantissima, & extraordinaria Spiritus S. dona acceperant. Ubi observandum, loquendi rationem e Vet. Test. desumtam esse. Nam Israelitæ Levit. XXIII. non tantum secunda Paschatis feria, qui erat XVI. mensis Nisan, עמר תנופה *manipulum primitiarum messis suæ*, sed etiam duos panes agitationis in festo Pentecostes offerre jubentur. Hi panes appellantur etiam מִנְחָה חֲדָשָׁה *oblatio s. munus novum* versu 16. בִּכּוּרִים לַיהוָה *primitiæ Jehovæ* v. 17. לֶחֶם בִּכּוּרִים *panis primitiarum* v. 20. Quemadmodum autem manipulus primitiarum mensis in Paschate oblatus significasse creditur, Christum futurum esse *τὴν ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων* 1 Cor. XV, 20. ita vicissim לחם בכורים v. 20. vel בכורים ליהוה v. 17. primitiæ in Pentecostali festo oblatæ recte existimantur Spiritum S. notasse, tanquam munus novum die quinquagesima super Apostolos descensurum, ut *ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος* acciperent, Rom. VIII.

VIII, 23 Cumque primitiarum præ reliquis sui generis frugibus & fructibus esset prærogativa, factum est, ut vox ἀπαρχῆς aliis vocibus juncta, rerum præstantiam notaret. Hoc sensu Jacobus cap. I 18. renatos vocavit ἀπαρχὴν τῶν τȣ̃ Θεȣ̃ κτισμάτων. Hoc modo & mensura eminentiore, ipse PAULUS primitias Spiritus S. accepit, etsi solennibus Pentecostalibus non interfuit. Quando proinde Paulus docet, quod ne Apostolorum quidem senatus, fideliumque duces & antesignani, a gemitu, dolore, & vanitate, cui vulgus Christianorum subjiciatur, exemti sint, sed quod hi etiam corporis sui redemtionem anxie præstolentur, par esse Romanos submonet, ut se contra vitæ hujus calamitates præmuniant, fortiter eas ferant, & certam adventuræ liberationis, gloriæque spem concipiant, ne supplicii gravitate, & tyrannorum sævitie perterriti, de statu fidei dejiciantur.

§. XIII. Si hac ratione Apostoli verba exponantur, omnia pervenuste cohærent, nec necesse est, ut multum desudemus in explicatione versus 21. in quo dicitur, quod creatura liberanda sit ἀπὸ τῆς δȣλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τȣ̃ Θεȣ̃. Cum enim non intelligatur, quomodo creaturæ, vitæ rationisque expertes, & cum destructione universi interituræ, a servitute corruptionis ad libertatem filiorum DEI, liberandæ sint, & hic scrupulus vehementer vexet illos, qui κτίσιν de creatura inanimata & irrationali interpretantur, varias ad eum eximendum excogitarunt particulæ εἰς significationes. Quidam, CHRYSOSTOMUM secuti, contendunt, εἰς positum forte esse pro διὰ, Apostolumque dicere voluisse, creaturam liberatum iri a servitute corruptionis propter libertatem gloriæ filiorum DEI. Sunt, qui particulam hanc non causaliter, sed vel *exemplariter* accipere malunt, quasi Apostolus diceret, creaturas liberatum iri in imitationem, aut exemplum libertatis gloriosæ filiorum DEI, ut similem stabilitatem & immortalitatem cum filiis DEI consequantur, quæ expositio mundi renovationem, supra a nobis negatam, supponit: vel *temporaliter*, quasi dixisset ἐν ἐλευθερίᾳ, tempusque indicasset, quo creatura a servitute corruptionis liberanda sit, quando nimirum liberabuntur filii DEI: vel *eventualiter* εἰς accipi posse docent, quasi dixisset Apostolus, quando creatura in consummatione seculi ab illa vanitate & servitute corruptionis liberabitur, tunc libertatem gloriæ filiorum DEi in publico Angelorum homi-

hominumque conſpectu manifeſtatum iri. Conf. B. GERHARDUS *de Conſummat. Seculi* §. *LVIII. p. 154.*

§. XIV. Oleum vero operamque perdunt, qui hac ratione nodum ſolvere laborant. Quamvis enim concedatur, particulam εἰς pro ἐν interdum uſurpari Act. IIX, 23. XIX, 22. XXIII 11. Matth. II, 23. X. 41 Marc. I, 9. aliasque ſignificationes ſuſtinere, inde tamen non ſequitur, quod hoc etiam in loco ita debeat vel poſſit explicari, cum præſertim orationis nexus repugnet. Nobis certum & exploratum eſt, has particulas ἀπὸ & εἰς, in una ſermonis ſerie conjunctas, ſemper terminum A QUO, & AD QUEM, denotare. Provocamus ad inductionem. Ita cum Paulus dicit, nos transformari ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν 2 Cor. III. 18. cum miratur, Galatas tam ſubito averſos ἀπὸ τοῦ καλέσαντος αὐτοὺς εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον Gal. I. 6. aut cum docet, quod ſanguis Chriſti nos emundet ἀπὸ νεκρῶν ἔργων εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι Ebr. IX, 14. nemo interpretum ἀπὸ aliter, quam de termino A QUO, nec εἰς, aliter, quam de termino AD QUEM, interpretatur. Cur igitur hoc in loco εἰς & ἀπὸ in ſimili plane conſtructione non ita exponerentur? Mens Apoſtoli dubio procul non alia fuit, quam liberandam eſſe creaturam A corruptione ſervitutis AD libertatem glorioſam filiorum DEi, ita ut terminus, ad quem creatura evehenda dicitur, ſit ipſa libertas glorioſa filiorum DEi. Exinde autem ſimul manifeſtiſſime apparet, creaturam iſtam, ad gloriam filiorum DEi evehendam, non eſſe creaturam irrationalem & inanimatam, quippe quæ non venit in partem glorioſæ libertatis filiorum DEI.

§. XV. Ego erroris tam late diſſeminati originem inde repetendam eſſe ſuſpicor, quod primi ejus auctores vocem κτίσεως non recte intellexerunt, & opinati ſunt, eam abſolute, & ſine additione poſitam in Scriptura nusquam de hominibus, ſed ubique de creaturis inanimatis, & rationis expertibus uſurpari, quod utrumque tamen longe falſiſſimum eſt. Primo enim nullus produci poteſt locus Scripturæ, in quo ſola irrationalis & inanimata creatura, hominibus vel Angelis excluſis, κτίσις appellatur. Deinde loca in promptu ſunt, ubi κτίσεως nomen de hominibus ſolis uſurpatur, nempe Marc. XVI, 15. & Col. I, 23. Cum igitur communior illa ſententia nullis idoneis argumentis defendi queat, jure meritoque rejici debet. Qui nobis in hac ſententia, quam modo defendimus, cum ex veteribus, tum ex recentioribus, vel noſtrati-

ſtratibus, vel Socinianis etiam & Arminianis, quodammodo præve-rint, videri poſſunt apud Summe Rev. ITTIGIUM in laudata Diſſ. in h. l. ſub finem. Mittimus Cl. LAMPII opinionem, qui in Commentario *ad Pſalm XLV. p. m. 569.* per κτίσιν h.l. creaturam myſticam intelligit, ſub cujus univerſitate Eccleſia tam militans, quam triumphans comprehendi poſſit, unam panegyrin in Oeconomia N. T. conficiens.

LVIII.

QUIS SENSUS VERBORUM PAULI Rom. XII. v. 13. ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες.

§. I.

PErvetuſtus Eccleſiæ Chriſtianæ mos fuit, ut natalem martyrum, quo martyrio coronati de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, & de mundanis riſibus ad coronam & gloriam nati erant, ut PETRUS CHRYSOLOGUS, Seculo V. Epiſcopus Ravennas, *ſerm. de S. Cypriano*, loquitur, rite celebrarent, eorumque memoriam celebri ſolennitate renovarent.

§. II Multa eam in rem exſtant Doctorum veteris Eccleſiæ teſtimonia, quæ aſſertioni fidem faciant, & de toto inſtituto ac ritu nos edoceant, ſigillatim AUGUSTINI, Hipponenſis in Africa Antiſtitis, AMBROSII item, Præſulis Mediolanenſis, aliorumque. Antiquiſſimum, quod hactenus inveniri potuit monumentum, quod de martyrum natalitiis, in Eccleſia olim celebratis, teſtetur, eſt Epiſtola Smyrnenſium, ad Eccleſiam Ponti, de POLYCARPI Epiſcopi ſui martyrio ſcripta, cujus bonam partem Euſebius *L. IV. H. Eccleſ. cap XV.* inſeruit; Ipſam vero integram epiſtolam JACOBUS USSERIUS, Archi-Epiſcopus Armachanus, ſtudioſorum hominum cupiditati ſatisfacturus, ſuperiori ſeculo Londini edidit, quam HENR. VALESIUS eruditiſſimis ſuis in EUSEBII H. E. notis adjecit, Latinoque ſermone interpretatus eſt f. 68. Verba epiſtolæ, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinent, hæc ſunt: ἡμεῖς ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν, καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀςᾶ αὐτοῦ, ἀπε-

ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν, i. e. *Nos ossa illius* (Polycarpi, martyrio coronati) *gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet DEUS natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* Cum igitur prima in hac Smyrnensium epistola horum natalitiorum mentio fiat, non immerito colligunt eruditi, POLYCARPUM primum fuisse martyrem, cujus memoria a Smyrnensibus, quorum *Apostolicus & Propheticus Doctor fuerat*, ut ipsimet eum vocant, anniversaria religione celebrata sit. Nos etiam his aliisque argumentis moti, arbitramur, ritum hunc alteri a Christi nativitate seculo, quo Polycarpus martyrii coronam accepit, originem suam debere.

§. III. Verum HENR. VALESIUS in Annotationibus suis ad fragmentum Epistolæ Smyrnensium, quod apud Eusebium exstat, longe antiquiorem hujus moris originem tradit, eandemque ab ipso Apostolorum tempore arcessere audet, dum ad cap. XII. vers. XIII. Epistolæ Pauli ad Romanos provocat. Nam quando in Smyrnensium literis dicitur, quod ideo corpus Polycarpi possidere cupiverint, ut sacro illius cadaveri communicarent (κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ) annotavit, f. 73. antiquissimam hanc fuisse veterum Christianorum consuetudinem, qui reliquias martyrum aliquas habere tanto studio optarint, ut cum iisdem, etiam mortuis, communicarent. *Nec contenti*, inquit *ea communione sanctorum, quam Catholica profitetur Ecclesia, per fidem scilicet, spem ac charitatem; per sacras etiam eorum reliquias & pignora, cum ipsis communicare cupiebant. Itaque eorum reliquias in cœmeteriis honorifice condebant, ibique quotannis convenientes, anniversarium martyrii diem celebrant; hac ratione cum defuncto martyre perpetuo communicantes. Atque id faciebant ex præcepto Apostoli Pauli, qui in Epistola ad Roman. cap. XII. communicare nos sanctorum memoriis jubet. Certe* Optatus *in Libr. II. verba illa Apostoli*, memoriis sanctorum communicantes, *ita interpretatur,*

ut idem significent, quod offerre ad sepulcra martyrum. Nec aliter sumit Hilarius in Libro, contra Constantium, sub finem.

§. IV. Si igitur HENR. VALESIO credis, Apostolus hoc in loco scribens Romanis, ut ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων communicent, publicum reliquiarum cultum, quæ in cœmeteriis recondebantur, non tantum instituit, sed & diserte præcepit, ut *sanctorum memoriis communicent*, eorumque memoriam quotannis eo die, quo martyrio affecti fuere, recolant, renoventque. Tuetur hanc expositionem OPTATI, Episcopi Milevitani, HILARIIque auctoritate, sed temere ac imprudenter admodum eorum sententiæ subscripsit, qui locum Apostoli reddiderunt: *memoriis sanctorum communicantes.* Quis enim tam stupidus est, qui non videat, quod pro voce χρείαις, legerint μνείαις, hoc modo: ταῖς μνείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες, quam lectionem etiam ORIGENES & AMBROSIUS secuti sunt, & ex Pontificiis suo calculo probarunt ALPHONSUS SALMERON & FRANC. TURRIANUS. Conf. C. SAGITTARII *Differt. de Natalitiis martyrum cap. II. §. IX.*

§. V. Repugnat huic lectioni & interpretationi perpetuus optimorum codicum consensus, antiquissimarum item versionum fides, & fida veterum Doctorum explicatio, qui vulgatæ lectioni constanter inhærent. Hæc etiam scopo Pauli, & textui magis est conveniens. Nam non defunctorum, sed tantum sanctorum viventium memoriam, vel potius *necessitatem* & *indigentiam*, his verbis commendat Apostolus. Illi enim ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων dicuntur κοινωνεῖν, qui non tantum cum afflictis miserisque, in partem ac communionem veniunt, quæ crucem tolerabiliorem reddere solet, sed qui indigentiæ eorum succurrunt, & facultates suas fratribus inopia laborantibus, communes faciunt, sicut idem inculcat Gal. II. v. 10. Ideo conjungitur hæc regula cum præcepto hospitalitatis erga exules ac miseros. quibus hospitium non debeat denegari. Conf. B. CALOV. *in Bibl. illustr. in h. l. f. 210.*

§. VI. Paulo Apostolo prompte obtemperarunt Romani Christianis sacris initiati. Eorum quippe liberalitas erga pauperes & κοινωνία, qua miseros sustentarunt & refocillarunt prioribus seculis passim celebratur in antiquis monumentis. Nec aliæ Ecclesiæ egestati Sanctorum defuerunt Rom. XV. 26 27. 2 Corinth. VIII. 1-5. IX. 1. 2. JUSTINUS *M. Apol. II. p. m. 61.* insignem hominum ad Christum con-

converforum mutationem commemoraturus, hanc eorum κοινωνίαν ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων prædicat, Nos,inquiens, qui poffeffionum & pecuniarum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, εἰς ΚΟΙΝΟΝ *in commune* conferimus, καὶ παντὶ δεομένῳ ΚΟΙΝΩΝΟΥΝΤΕΣ, *& cum quovis indigente communicamus.* De Ecclefia Antiochena obfervavit HENR. VALESIUS ad EUSEBII *H. E. Libr. VI. Cap.* 44. ex CHRYSOSTOMO, quod illius ætate, tametfi mediocres reditus poffideret, plus quam tria millia viduarum & virginum quotidie aluerit, præter hofpites, leprofos & vinctos, ac præter clericos, quibus veftem ac cibaria fuppeditabat. Hujus liberalitatis veterum Chriftianorum erga egenos teftes habemus ipfos gentiles, Chriftiani nominis hoftes, inprimis JULIANUM τὸν παραβάτην, qui in *Mifopog. f.* 363, Chriftianorum curam in alendis pauperibus non folum commemorat & teftatur, fed eorum etiam ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΝ & munificentiam in *Epiftola XLIX.* ad ARSACIUM Galatiæ Pontificem fcripta fuis gentilibus ad imitationem proponit. Legantur verba Romæ Præfecti ad LAURENTIUM Martyrem apud PRUDENTIUM *Perifteph. II. v.* 73.

LIX.

AN EX HIS VERBIS:

τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη, I. ad Cor. V. v. 7. poffit probari, agni pafchalis cerimoniam habuiffe rationem facrificialem, five, an facrificium fuerit proprie dictum?

§. I.

Extra controverfiam eft, per τὸ πάσχα hic non *tranfitum*, quem nomen importat, nec *feftum* in memoriam liberationis, & tranfitus Angeli interfectoris celebratum, Exod. XII. fed agnum pafchalem intelligi debere, non illum quidem Vet. Teft. typicum, fed antitypum ejus, quia dicitur τὸ πάσχα ἡμῶν *pafcha noftrum.* Recte proinde B. CALOVIUS *in Bibl. illuftr. in h. l. f.* 296. tropum rejecit, quem in his verbis PAREUS fibi deprehendiffe vifus eft, opinatus, *fignatum* de *figno* prædicari.

ri. Per πάσχα enim agnus paſchalis No. Teſt. tralate intelligitur, id eſt Chriſtus, per agnos paſchales Vet. Teſt. adumbratus. Et de hoc agno paſchali Vet. Teſt. Paulus exiſtimaſſe videtur, quod θυσία, זבח, ſeu verum ſacrificium fuerit, quia ἐθύθη ſacrificatus fuiſſe dicitur. Ex hac typica relatione B. DANNHAUERUS *in Myſteriosophia, Sect. II. Art. II. p. m. 261. 262.* concludit, mactationem agni paſchalis fuiſſe actum ſacrificialem, hoc argumento: *Eſt agnus mactatus extra controverſiam typus, quo vix alius evidentior, crucifixi Chriſti,* Joh. XIX, 36. 1 Cor. V, 7. *Ergo etiam agni mactatio crucifixionis typus eſt: ac ut victimalis iſta, ita victimalis & illa.* Eandem ſententiam ulterius probat, ex appellatione expreſſa זבח פסח הוא ליהוה Es iſt das Paſſah-Opffer des HErrn Exod. XII, 27. cum nomen זבח non facile aliter reperiatur, quam de ſacrificio uſurpatum; denique etiam ex definitione ſacrificii, tradita in *Sect. I. Art. III.* §. *20.* in qua nihil eſſe putat, quod agni paſchalis mactationi attribui nequeat.

§. II. Sed B. DORSCHEUS, celebris in eadem Academia Argentoratenſi Doctor, hoc diu antea diſerte negaverat, in *Diſſert. de Agno Paſchali Judæorum,* anno M. DC. XXIIX. habita, in qua erudite oſtendit hoc typo myſariam miſſæ Romanenſium fulciri non poſſe, poſtquam in *Myſaria miſſæ* jam demonſtraverat, ſacrificium, quod Romanenſes vocant miſſaticum, opus eſſe exoſiſſimum DEo, infenſiſſimum Chriſto, ignorantiſſimum Scripturæ, & iniquiſſimum fidei. Robur argumenti, quo ad deſtruendam Pontificiorum opinionem utitur, & quo negat, agnum paſchalem proprie dictum ſacrificium eſſe, huc redit: *Ubi,* inquit §. 52. p. 412. *terminus formalis a quo, DEUS eſt, & ad quem, homo, & res aliqua ſenſibilis nomine & juſſu DEI ſelecta, homini, ceu termino formali ad quem, confertur, non ſacrificium eſt, ſed ſacramentum. E contra ubi terminus formalis a quo homo eſt, & ad quem DEUS, & res aliqua ſenſibilis, nomine & juſſu DEI ſelecta, DEO ſoli, ceu termino formali ad quem præſentatur, ſacrificium eſt, non ſacramentum.* Quando ei objicitur, agnum paſchalem in ipſa ſacrificii ratione typum fuiſſe Chriſti, & ad præſentem Apoſtoli locum, 1 Cor. V, 7. in quo illud doceri videtur, provocatur, atque cum Joannis cap. XIX. v. 36. confertur, reſpondet Dorſcheus, *omnino etiam in mactatione agnum paſchalem eſſe typum mactationis Chriſti, ſed non mactationis ſub illo formali ſacrificiali conſiderato, verum in reſpectu generaliori, & quatenus*

eſt divinitus ordinata quædam præparatio ad manducationem & fruitionem. Hac reſponſione Pontificiorum ictus omnium feliciſſime elidi poſſe arbitratur.

§. III. In eadem Academia Argentoratenſi DORSCHEI in munere ſucceſſor D. SEB. SCHMIDIUS, anno M. DC LXXXV. Tractatum edidit *de Paſchate*, altero Vet. Teſt. Sacramento, in cujus parte III. cap. II. p. 283. illam ipſam quæſtionem, *num Paſcha fuerit ſacrificium Veteris Teſtamenti proprie ſic dictum?* paulo fuſius examinat, eandemque, variis argumentis motus, affirmat, & confirmat exinde, quia ſacrificium proprie ſic dictum eſt mactationis actio ſacra, & religionis cauſa ſuſcepta, ſub certis quibusdam ritibus, divinitus præſcriptis, quod de Paſchate dici poſſe arbitratur. Urget deinde cum B. DANNHAUERO, quod expreſſe in Scriptura appelletur זבח *ſacrificium*, Exod. XII, 27. quæ vox proprie & extra tropum Scripturis uſurpata, ſemper notet ſacrificium proprie ſic dictum, ſeu actionem, mactationis ſacræ, & religionis cauſa, ſuſceptam. Ultimo tandem loco *rationem typi* urget, qua ſacrificium Paſchale fuerit typus veriſſimi ſacrificii Chriſti, quod pro noſtra ſalute obtulit, ex Joh. XIX, 36. & 1 Cor. V, 7. Hæc, & ſi qua alia ſunt, argumenta omnino nobis perſuadere putat, Paſcha fuiſſe ſacrificium proprie ſic dictum.

§. IV. Permulti tamen ex noſtratibus Theologis B. DORSCHEO ſuffragantur, & contra Pontificios, qui ſacrificium miſſæ exinde ſtabilire moliuntur, negant, paſcha ſacrificium proprie ſic dictum fuiſſe. Rationes, quibus id ſolide evinci poteſt, hæ ſunt. *Primo* agno paſchali non imponebantur manus ante mactationem, cum tamen impoſitio manus requireretur in ſacrificiis hominum privatorum, MAIMONIDES *in Libro de Oblation. cap. III. §. VI. Deinde*, quando agnus paſchalis in templo mactabatur, non obſervabatur certus mactandi locus in atrio ſacerdotum, nec certis adſperſionibus ſanguinum altare tingebatur, quod tamen in ſacrificiis proprie dictis requirebatur, ut legitur in *Miſchna de ſacrificiis cap. V. Tandem* ſacrificiorum proprie ſic dictorum carnes atque adipes ſuper altare Domini ponebantur, Domino, pro impetratione bonorum Spiritualium, offerebantur, & igne ſacro comburebantur. Sed agnus paſchalis, quemadmodum inſtitutio ejus docet, igne culinari aſſabatur, nihil de carne, nihil de adipe, nihil de viſceribus altari, quale nullum in Ægypto fuit, imponebatur, aut Domino offerebatur: tota vero

pecus

pecus paſchalis, tanta, quanta fuit, cum capite, pedibus, cauda, viſceribus, aſſabatur & comedebatur, quemadmodum ipſe B. SCHMIDIUS fatetur l. c. p. 283. Nonnulli addunt, ad ſacrificium proprie ſic dictum requiſitum fuiſſe Sacerdotem. Et ordinarie quidem ſacerdos mactabat ſacrificium, & offerebat in altari: extra ordinem tamen ab homine alio peragi poterat, licet oblatio in altari ſoli relinqueretur ſacerdoti, juxta MAIMONIDEM in Libro *de Oblat. cap. V.* §. *I.* & de *Ingreſſu in Sanctuarium cap. IX.* §. *VI.*

§. V. Ex argumentis, quæ in utramque ſententiam a nobis allata ſunt, apparet, agnum paſchalem, & *proprie dicti ſacrificii*, & *veri* etiam *ſacramenti* rationem habuiſſe. Multa habet requiſita veri ſacramenti, permulta etiam ſacrificii proprie ſic dicti. Quamvis non fuerit ſacrificium ſtricte ſic dictum, ſicut ipſe B. SCHMIDIUS l. c. fatetur, id eſt, ex eorum ſacrificiorum genere, de quibus carnis aliquid atque adipis ſuper altare Domini ponebatur, DEoque offerebatur. Præterea diſcrimen faciendum eſſe putamus, inter agnum paſchalem Ægyptiacum & inter Hieroſolymitanum. De agno paſchali in Ægypto immolato, nihil in altari DEO oblatum fuit. Sed agnus paſchalis Hieroſolymitanus in templo publico ſolennique ritu mactabatur, inteſtina ejus in altari adolebantur, & ſanguis ad baſin ejus effundebatur, docente MAIMON. *de Paſchate cap. I.* Tum demum a Patribus familias ad ædes privatas deferebatur, ibique aſſabatur. Cum igitur hæ circumſtantiæ doceant, agnum paſchalem rationem ſacrificii habuiſſe, & Judæi omnes immolationis circumſtantias deſcribant, recte affirmatur, & ex hoc loco 1 Cor. V. v. 7. probatur, agni paſchalis cerimoniam ſacrificium proprie dictum fuiſſe. B. DORSCHEUS, qui hoc contra Pontificios recte negavit. locutus eſt de ſacrificio *ſtricte* & *rigoroſe* ſic dicto, ſive de *ſacrificio ſummæ ſanctitatis*, quale agnus paſchalis non fuit. Nam quia de carne ejus nihil imponebatur altari, nec ſanguis ejus adſpergebatur, ſed tantum ad pavimentum altaris effundebatur, ideo a Judæorum magiſtris inter ſacrificia minoris ſanctitatis refertur. Cum igitur hæc agni paſchalis cerimonia veri ſacrificii naturam habuerit, & ſimul tamen in ordinem claſſemque ſacramentorum Vet. Teſt. collocari debeat, recte, eleganterque appellari poteſt *Sacramentum Vet. Teſtamenti ſacrificiale*, *&* *ſacrificium Vet. Teſt. ſacramentale*. De reliquo conferendi ſunt

Viri

Viri præſtantiſſimi SAMUEL BOCHARTUS *P. I. Hieroz. L. II. Cap. 50. f. 573 & ANT.* BYNÆUS *L. I. de Morte Jeſu Chriſti p. m 32*, qui probant & inculcant, agnum paſchalem verum ſacrificium fuiſſe.

LX.

DE HYPOPIASMO PAULINO

I Cor. IX. v. 27.

§. I.

VEram vocis originem inveſtiganti varia & multiplex codicum lectio occuurrit. Sunt, in quibus legas ὑποπιέζω, nec deſunt, in quibus ὑποπιάζω, vel ὑποπηάζω ſcriptum exſtat. Rectius & convenientius in codicibus impreſſis legitur ὑπωπιάζω. Nam lectionem hanc non tantum Græca ſcholia, ſed ipſius textus Paulini circumſtantiæ confirmant, quia ultima ſimilitudo, a pycta deſumta, continuatur. Pyctarum eſt adverſarium ὑπωπιάζειν, *ictibus impactis lividum reddere*, verbo ex pugilatitia diſciplina petito.

§. II. Ortum hæc vox duxit ab ὑπώπιον, quod eſt *ſuboculare aliquid*, quia ex ὑπὸ, & ὢψ, ὠπὸς, *vultus*, *oculus*, componi conſtat, unde Galenus quaſi ὑποφθάλμιον dici exiſtimavit. Homero ὑπώπια ſunt τὰ ὑπὸ τὲς ὀφθαλμὲς μέρη. Determinatius notat lividam oculi notam ex plaga, a qua ſanguis ſub oculo diffuſus, ortam. DIOGENES LAERTIUS in *Menedem.* ait, eum tam pugnacem fuiſſe, ut non prius diſceſſerit, quam in facie ejus ΥΠΩΠΙΑ *ſugillationes* deprehenderentur. POLLUX definit, τὰ ὑπὸ τὲς ὦπας τῶν πληγῶν ἴχνη. SCHOLIASTES ARISTOPHANIS in *Veſpis p. 529.* per τὰ εἰς ὄψιν πλήγματα, deſcripſit. THEOPHYLACTO ὑπώπια ſunt τὰ ὑπὸ τὲς ὀφθαλμὲς τραύματα, ἃ ἐν τῷ πυκτεύειν ἐγίνετο. Hac igitur ratione, & ſecundum ſenſum primo conceptu oblatum, ſignificabit, plagis oculos contundere & lividos facere, *ſugillare*, ut ſub oculis contingant vibices, & maculæ luridæ. Vid. SUICERI *Theſ. Eccleſ. Tom. II. f. 1400.* & JO. POTTERI Notæ ad CLEMENT. ALEX. *f. m. 558.*

§. III.

§. III. Hac voce Paulus de se usus est, cum l.c. ait: ὑπωπιάζω μȣ τὸ σῶμα καὶ δȣλαγωγῶ. GRETSERUS hæc verba exponit de castigatione corporis Pauli per virgas ad extinguendum ardorem venereum, quam tamen conjecturam ineptam esse, JUSTINIANUS & ESTIUS fatentur. Quidquid sit, Pontificii communiter de spontanea flagellatione exponunt, cujus hodienum frequens apud eos est usus, carnis emaciandæ, & libidinis attenuandæ ae perdomandæ causa, ut ajunt, receptus. Nam eo dementiæ delapsi sunt, ut flagellantes, se ipsius Servatoris, martyrumque perpessiones imitari, peccata expiare, & pro miseris in igne purgatorio satisfacere, opinentur. Ut insano huic ritui aliquam venerandæ antiquitatis speciem, atque auctoritatem concilient, plerique referunt ejus institutionem ad Apostolicam disciplinam. At vero nonnisi ad PETRUM DAMIANUM, seculo undecimo celebrem, quem scopis flagellisque armatum, omnium primum voluntariam flagellandi disciplinam instituisse, & sectatoribus in exemplum proposuisse, JACOBUS LADERCHIUS putavit, in ejus vita, ante paucos annos Romæ edita, idem revocare potuit. Consentit FLEURIUS *Hist. Eccles. Tomo XIII. p. m. 102.* candide fassus, se non invenisse spontaneæ flagellationis exempla ante seculum XI.

§. IV. Hunc quoque Romanæ Ecclesiæ ritum ut impium, erroneum, pietati, pudori, ac rectæ rationi contrarium, stultum, turpissimumque multi ex ipsismet Pontificiis, quibus mens non omnino læva fuit, reprehenderunt, serioque detestati sunt. Non commemorabo veteres, HERMANNUM A SCHILDIS, JOANNEM AB INDAGINE, & JOANNEM GERSONEM, qui ante aliquot secula ridiculum hunc morem mascule oppugnarunt. Notæ sunt turbæ illæ, quas JACOBI BOILAVII, Abbatis, & Doctoris Sorbonici, *historia flagellantium*, Parisiis M. DCC. edita, in Gallia dedit. Vid. *Memoires de Trevoux, pour l'histoire des sciences, & des beaux Arts, mens. Febr. 1703. p. 150.* Contra hunc BOILAVII librum paulo post censuram edidit JOANNES BAPT. THIERS, sub hoc titulo: *Critique de l'histoire des flagellans, Parisiis,* M. DCC III. in quo libro refert, taciteque probat, ineptissimam PETRI DAMIANI interpretationem, qui DAVIDIS verba: *Laudate DEUM in tympano*, de aridæ nostræ cutis flagellatione exponit. Referunt Ignatianæ sodalitatis Patres, in commentariis

Oo Trivol-

Trivolciensibus antea laudatis, BOILAVIUM *historiam flagellantium vindicatam* scripsisse. Nobis sufficit, virum eruditissimum, & Romanorum sacris addictum, omnia argumenta, pro stabiliendo flagellationis ritu, adferri solita, docte solideque confutasse. Conf. *Acta Erud. Lipf. 1700. p. 414.*

§. V. Nos igitur cum BOILAVIO l. c. cap. IV. p. m. 79. flagrorum spontaneorum originem a profanarum gentium impietate derivamus, apud quas, præter flagellationes non voluntarias, tyrannidis signa, & auctoritatis prætorialis in servos subditosque terriculamenta, *spontaneæ* etiam usu receptæ fuere. Celebris apud Lacedæmonios festus dies *διαμαστίγωσις* nuncupabatur. De iisdem Laconibus refert SEXTUS EMPIRICUS *Pyrrhoniarum Instit. L. III. Cap. 24. f. 179.* *Λάκωνες ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθωσίας Ἀρτέμιδος μαστίζονται πικρῶς, ὑπὲρ τοῦ πολλὴν αἵματος ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς θεοῦ γενέσθαι ῥύσιν*, h. e. *Lacedæmonii in ara Orthosiæ Artemidis*, (quæ Diana Taurica est sive Scythica in Græciam advecta, & a Lacedæmoniis culta, notante Cl. FABRICIO ad h. l.) *flagris acerrime cæduntur, ut multus in aram Deæ defluat sanguis.* Videantur EZ. SPANHEMIUS *ad* CALLIMACHUM *p. 249 520. 754.* JACOBUS BOILEAU *l. c. p. 70.* & quæ Viri docti ad PETRONIUM *p. 488.* editionis Burmannianæ adnotarunt. Meminit etiam SYNESIUS *Epist. 57.* effusi ad illam aram sanguinis: *ποῖοι Ταυροσκύθαι τίνες Λακεδαιμόνιοι τοσούτῳ τῷ διὰ μαστίγων αἵματι τὴν παρ᾽ αὐτοῖς ἐτίμησαν Ἄρτεμιν.* Atque religio hæc erat, *αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν ῥαίνειν*, uti ex oraculo apud PAUSANIAM III 16, & PHILOSTRATO VI. 20. Cl. FABRICIUS ad Laudatum SEXTI EMPIRICI locum observavit. Ad hæc & similia instituta respexisse videtur THEODORITUS *διαμαστιγώσεις flagellationes* in festis Græcorum observans, *Sermone X. de Oraculis p. 625. Tom. IV. Op.* Videatur EZECHIEL SPANHEMIUS in *Notis* ad CALLIMACHUM *p. 520.* Romæ olim *flagratores* extitisse, genus hominum, qui mercede flagellis fuerunt cæsi, SEXTUS POMPEJUS FESTUS animadvertit. Taceo spontaneas flagellationes sacerdotum Ægyptiacorum, DEæ Syriæ, Dianæ Scythiæ, Lupercorum Rom. aliorumque, de quibus BOILAVIUS *cap. IV.* erudite copioseque egit. Veteres autem per ejusmodi pœnas piaculares peccata eluere conatos esse, fatetur & probat ipse doctissimus sacrorum quondam Abrincensium Antistes

ftes P. D. HUETIUS in *Quæst. Alnet. L. III. cap. XIV. p. 363.* Baalitas cultris se incidisse e 1 Reg. XIIX, 28. cognosci potest. Taceo, sanitati perinde ac honestati, & rectæ rationis usui repugnare, vibicibus tergora sua quasi conscribilare, propriaque manu nates inhonestis scuticis, funiculis nodosis, virgisve vimineis cruentare. Propterea impiam hanc profanamque flagellationis disciplinam, cujus nulla in sacris literis vestigia observantur, merito exsecramur.

§. VI. Pontificii tamen, & monachi præsertim, quorum in nonnullis monasteriis singulis hebdomadibus ter aut quater ejusmodi horrenda crepitacula hodienum exaudiuntur, nolunt sine divino præcepto, cumulatissimoque Divinæ gratiæ merito, tam fœde lacerari, sanieque & tabe lividi videri, ne a sanioribus rideantur. Idcirco provocant ad exemplum Pauli de se ajentis: ὑπωπιάζω μȣ τὸ σῶμα, & exponunt hæc verba de spontanea sui corporis flagellatione, putantque, auctoritate ejus atque exemplo, quo flagellantium gregi in cœtu Pontificio præiverit, tam cruentum & dolorosum ritum defendi ac suaderi posse.

§. VII. Repugnat vero hæc interpretatio Apostoli scopo, qui infirmos in fide confirmare, & profanis ritibus adhuc deditos, lucrari, & in Christianorum partes pertrahere intendebat. At quomodo illos ad se pertraxisset tam dira ac horrenda religione, quam gentiles si non penitus detestati essent, certe risissent, & argumenta inde petiissent ad tritam calumniam, nempe objectum Christianis infanticidium, stabiliendam. Quid enim non ausi essent in infantibus, qui sibi non pepercissent? Qui textus verba paulo accuratius & animo defecato, contemplatur, facile intelligit, Paulum dehortari a turpissimo carnis servitio, & adhortari suos ad debellandas corporis cupiditates. Argumentum ab indecoro sumtum est: Nefas esset & indecorum, si vos a peccati dominio per Christum liberati, illius jugo colla denuo submitteretis. Si Romani expulsum Tarquinium, tyrannum, tam vehementi odio prosecuti sunt, ut L. TARQUINIUM COLLATINUM, virum honestissimum, ob solius nominis similitudinem, in exsilium expellerent, nedum ut pristino TARQUINII tyranni jugo se submisissent: quanto nos minus, qui ingenui DEI filii, ad pileum vocati, & libertate donati sumus, carni serviamus? Me quod attinet, ego carnis illecebris per δȣλαγωγίαν Regiam dominor, ὑπωπιάζω μȣ τὸ σῶμα, subigo, obtundo, edomo, sugillo,

 sup-

supplanto corpus meum, ut in servitutem Spiritus redigatur, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar.

§. VIII. Exinde patet, hanc formulam Paulinam figurate explicandam esse. Idem præterea ipsius textus συνάφεια luculenter ostendit. Talis enim est hypopiasmus Apostolicus, qualis cursus & lucta. At neque in stadio aliquo Corinthiaco Apostolus cucurrit, nec in Isthmico aliquo certamine luctatus est, id quod nec ipsi sequioris sententiæ patroni, sigillatim BELLARMINUS, GRETSERUS, SALMERON, & CORN. A LAPIDE, qui ὑπωπιάζειν de propria externaque corporis contusione, vel flagellatione, interpretantur, asserere audent. Igitur nec in sensu proprio corpus afflixit.

§. IX. Ipsa vox ὑπωπιάζειν apud Græcos puriores, figurate usurpata, occurrit, notatque *quovis modo* corpus & membra cruciare. HESYCHIUS: ὑπωπιάζομεν, ταπεινοῦμεν, μαραίνομεν, *humiliamus, tabefacimus, vel marcidum reddimus.* ὑπωπιασμὸς γὰρ ταπείνωσίς ἐστι σώματος. Unde ARISTOTELES alicubi senum totum corpus vocat ὑπώπιον, quasi ὑπωπιασμένον *vibicatum*. In sensu laxiori est quovis modo affligere ac perdere. Ita apud ARISTOPHANEM πόλεις ὑπωπιασμέναι, *civitates sugillatæ*, quasi contusæ, & diuturniore bello detritæ, leguntur, in quibus cladium, tanquam plagarum, vestigia apparent. In hoc sensu metaphorico occurrit Luc. XIIX. v. 5. ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με, *ut ne tandem veniat illa vidua, & obtundat me, aut vexet*, sive, uti Syrus expressit, *mihi molesta sit*. Cum etiam σῶμα h. l. non notet alteram hominis partem, menti oppositam, sed μετωνυμικῶς pravam concupiscentiam, veterem hominem, & σῶμα τῆς ἁμαρτίας Rom. VI 6. VII. 24. Col. II. 11. cujus membra recensentur Col. III. 5. 6. 7. certe ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα, nil aliud notare potest, quam cupiditates carnis peccaminosæ perdomare. Quemadmodum enim athletæ olim adversarios suos solebant *sugillare*, id est, notam insignem faciei infligere, & *supplantare*, id est, in humum prosternere: sic Paulus *carnem*, seu inhabitans peccatum, Spiritui reluctans, sugillabat quasi & supplantabat, precationibus cumprimis, sacris meditationibus, labore, studiis, sanctis occupationibus, quotidiana renovatione, jejuniis item & temperantia. Et ne denuo dominetur caro, ideo in servitutem plane redigit, & de corpore suo velut edomito triumphat. Nam δουλαγωγεῖν, verbum ἅπαξ λεγόμενον, a pyctis itidem desumtum est. Ille enim, qui vicerat victum, trahebat adversarium,

quasi

quasi servum. Vid. H. Grotius *in h. l.* Paulus igitur carnis illecebras refrenat, subjugat, perdomat herilis tractationis instar, qua Dominus servum, vel hostem devictum, rebellaturum, & servitutis vincula excussurum, in ordinem redigit, & obedire cogit. Hunc & non alium esse sermonis Paulini sensum, verbaque ejus recte figurate exponi, ostendit ἀλληλεχία & collatio cum similibus in Scriptura locutionibus, præsertim Matth. XIIX, 8. Col. III, 5. Gal. V, 24. Ne commemorem prolixe, flagellationis ritum, ad quem probandum verbis Apostoli Pontificii abutuntur, quandam αὐτοχειρίας speciem, in Scripturis diserte prohiberi, quando cædes, vulneratio, & flagellatio proximi, vetantur. Nam si vulneratio proximi, licet cum vitæ periculo non sit conjuncta, legi divinæ adversa est, multo magis vulneratio & flagellatio sui ipsius ei adversabitur, cum nemo vitæ, sanitatisque suæ sit Dominus, sed custos. Videndus est B. DANNHAUERUS in *Dissert. de Hypopiasmo Paulino Sect. III.* ubi Pontificiæ interpretationis ἀκρισίαν, ἀσκοπίαν, & ἀνακολουθίαν, more suo feliciter detexit, solideque confutavit.

§. X. Pontificii piæ antiquitatis consensu, quem alias ubivis fere crepant, hac in causa distituuntur, quemadmodum BOILAVIUS in Libro antea laudato peregregie ostendit. Nam CHRYSOSTOMUS, aliique ex veteris Ecclesiæ Doctoribus Pauli verba intelligunt de σκληραγωγίᾳ. THEODORETUS refert ad φιλοπονίαν καὶ ἐγκράτειαν, *laborem & continentiam.* OECUMENIUS per δαμάζειν, καὶ ὡς δοῦλον ἄγειν, *domare & tanquam servum ducere*, exponit. SUIDAS: ὁ Ἀπόστολος· ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ, τουτέστι, πρὸς ἄσκησιν αὐτὸ μετ᾽ ἐπιστήμης, καὶ φρονήσεως γυμνάζω, καὶ πρὸς τὴν τῶν κρειττόνων συνέργειαν, οὐ πρὸς ἀσέλγειαν ὑπονοοῦμαι. *Apostolus*: contundo corpus meum, & in servitutem redigo, *hoc est, ad virtutis & pietatis exercitationem cum scientia, & prudentiam exercens, traduco & ad* rerum *meliorum adjumentum, non ad luxuriam* id exercere *cogito.* Plura de verbo ὑπωπιάζω, vide apud SUICERUM in *Thes. Eccles. T. II. f. 1401.* & in *Annot.* BUDÆI in *Pandect.* & imprimis apud P. FABRUM, qui admodum fuse de Græco ὑπωπιάζω & latino *sugillo* differit *Libr III. Agonist. cap. XIV.* In utriusque vocis interpretatione multus etiam est CORNELIUS JANSENIUS, *Comment. in Concordiam Evangelicam cap. CXXIV.* nec non HUGO GROTIUS & LAMBERTUS BOS ad h. l. Confer JO. ALBERTI FABRICII *Bibliographiam Antiquariam p. m. 404. 406.*

LXI.

DE PANE, CORPORIS CHRISTI κοινωνία 1 Cor. X. 16.

§. I.

Quæ ex his verbis de vera & substantiali corporis & sanguinis Christi præsentia, in S Eucharistia, contra Reformatos dudum disputarunt & observarunt Theologi nostrates, ea in præsens non tangemus, nonnulla duntaxat rerum momenta in medium allaturi, quæ ab instituto nostro non aliena videntur.

§. II. Primo de structura verborum soliciti fuerunt interpretes, quæ non omnibus æque pura Græcaque visa fuit. Permultis, qui Græce loquentium consuetudinem non satis perceperunt, inusitatus plane hic loquendi modus visus est, quando Apostolus dixit: τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ ἐστιν; Eruditissimus I. CASAUBONUS in margine, ὁ ἄρτος, tanquam lectionem aliam annotavit, quod ego tamen ideo factum esse puto, ut imperitiores hac monitione adscripta erudirentur. Nam Græca callentibus certum exploratumque est, hanc loquendi rationem a Græcorum, & sigillatim ab Atticorum usu non abhorrere. Multa hujus ἀττικισμοῦ exempla, quod nempe Nominativi, construendi cum verbo posteriore in Accusativos mutentur, & cum priori conjungantur, collegit PORTUS, *Notis in Xenophontem p. 175.* ex quo historico multa exempla congessit, quæ ibi videantur. Unicum e Tragico Poeta SOPHOCLE addemus: Τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν πάλαι ζητεῖς. οὗτος ἐστιν ἐνθάδε, *virum illum quem jamdudum quæris, ille hic est*, Oed. Tyrann. v. 453. Conf. B. STOLBERGI *Exercitat. Græcæ Linguæ cap. IX.*

§. III. Quando Paulus in his verbis ait, τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, εἶναι κοινωνίαν τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, manifeste refellit monstrosum *Transsubstantiationis* dogma, quod Romanenses sacrificuli superiori tempore commenti sunt, & in hodiernum usque diem mordicus defenderunt. Nam si panis in S Eucharistia fractus, est κοινωνία corporis Christi, fieri aliter non potest, quin verus & natu-

naturalis panis cum corpore Christi uniatur, distribuatur & comedatur, non autem, quemadmodum Romana Ecclesia docet, nuda panis species, & Accidentia, quæ extra subjectum suum subsistere nequeunt. Hoc enim in casu, si sine subjecto esse, & sustentari possent, non amplius essent Accidentia. Et concessa hac opinione, recte dubitari posset, an ulla in universo orbe substantia existeret, cum omnia, quæ dantur, congeries Accidentium esse possent.

§ IV. Quamvis autem hoc argumentum ex Pauli verbis desumtum divinæ auctoritatis, satisque idoneum sit, ad destruendum *μετουσίας* Pontificiæ commentum: aliud tamen ex abundanti subjiciam, quo evidenter probatur, post consecrationem, & in usu sacri epuli, adhuc adesse verum panem, non nuda Accidentia: Quæcunque substantia eandem habet partium configurationem, & easdem modificationes cum pane, illa revera est panis. Suppono enim 1.) materiam omnium corporum, si independenter a suarum partium modificationibus consideratur, esse unius generis. 2) Specificam corporum differentiam constitui a diversa eorum configuratione. Atqui substantia panis post consecrationem eandem habet partium configurationem, easdemque modificationes, atque ante eam, easdem facit impressiones panis consecratus, propellitur ut ante, versus suum centrum, easdem communicat agitationes cum nervis linguæ, quas panis. Ergo etiam habet veram essentiam panis. Quorum enim sunt eædem operationes & affectiones, eorum eadem est natura & essentia. Quæ omnia cum sanæ rationi evidentissima nec Scripturæ S. contraria sint, nullam Pontificiis injuriam fecisse videtur HOBBESIUS, quod Transsubstantiationis doctrinam *insaniæ* convicit, *cap. VIII. Leviathan. p. 42.* quia dicunt, *post prolata institutionis verba, albedinem, rotunditatem, magnitudinem, qualitates omnes in totidem quasi Spiritus mutari, ex pane migrare, in corpus Servatoris nostri Jesu Christi intrare, illudque constituere.* Videatur JO. LA PLACETTE *Traite de l'auctorité des sens contre la Transsubstantiation, cap. XIII.*

§. V. Recentiores nonnulli ex ipsismet Pontificiis, CARTESIUS, GASSENDUS, MAIGNANUS, aliique emunctioris naris, absurditatem opinionis satis viderunt, & propterea inter *Accidentia* & *species* distinguere maluerunt. MAIGNANUS sigillatim, qui persuasus erat, Accidentia extra sua sub-

subjecta subsistere non posse, alium excogitavit modum, quo ruinosam & labascentem hanc Ecclesiæ Romanæ doctrinam fulciret, & expoliret. Hanc ob caussam nonnisi de speciebus in S. Eucharistia præsentibus loquitur cum Concilio Tridentino, quod habet: *manentibus duntaxat speciebus panis & vini*, id est, solis apparentiis, *en sorte selon luy c' est Dieu seul*, *qui immediatement per luy même fait sur nos sens les mêmes impressions, qu' y faisoient auparevant le pain & le vin*, quemadmodum Jesuitæ, qui Commentarios Trevolcienses rei literariæ inservientes, in Gallia nuper collegerunt, ejus mentem exposuerunt. Putavit nempe P. MAIGNANUS, ubi videmus panem in S. Eucharistia, ibi panem revera non esse, sed DEUM in sensus nostros agere eodem modo, quo impressiones faciebat verus panis ante consecrationem. Id quod exemplo Domini nostri, Mariæ Magdalenæ sub specie hortulani apparentis, illustrat. Negat, Christum se contexisse absolutis hortulani Accidentibus, & credit, eum non alia ratione operatum esse in oculos ejus, ac species & hortulani habitus fecissent. Hanc MAIGNANI hypothesin fusius explicatam lege in libro quodam Mediolani evulgato, anno M. DCC. *Accidentia profligata, species instauratæ, sive de speciebus panis ac vini post consecrationem Eucharisticam duntaxat manentibus. Opus Philosophico-Theologicum* Conf. *MEMOIRES DE TREVOUX*, *1703. mens. April. p. 249.*

§. VI. ROHAULTIUS, celebris in Gallia Philosophus Cartesianus in dogmate hoc philosophice explicando valde occupatus fuit in *Entretiens sur la Philosophie*, in quo libro MAIGNANI hypothesin *p. m. 48.* ita enarrat: Il n' y a rien de si facile, que d' expliquer de quelle maniere les Accidens du pain & „du vin subsistent sans le pain & le vin. Car il n' y a qv' à dire en „un mot, que le pain & le vin étant ôtés, Dieu continue de faire dans nos sens les mémes impressions, q' ils faisoient avant qu' „ils fussent changés. Aussi c' est en cette matiere, que ce my„stere est expliqué par un celebre Theologien, de l' ordre des Mi„nimes, nommé le Pere MAIGNAN. Rejicit tamen paulo „post Rohaultius hanc Maignani explicandi rationem l. c. p. m. 55. „quod duo miracula supponat atque requirat, cum unicum suffi„cere sibi videatur. Rohaultii verba hæc sunt: Quoi qu' il soit „vrai, que Dieu peut produire dans nos sens les impressions du „pain & du vin, aprés qu' ils ont été changés par la Transsubstantia-

tiation, il n' est plus besoin neant moins aprés cela d' avoir recours" a un nouveau miracle, comme il semble, que fait ce bon Pere: " parcequ' il s' en suit de l' essence même du Mystere (qui est, que le" pain est effectivement changé au corps de Jesus Christ) qu' on doit" continuer de sentir toutes les mémes apparences, qv' on sentoit" auparevant; c' est á dire, que les Accidens du pain & du vin" doivent subsister. "

§. VII Recte judicavit P. BÆLIUS, *in Diction. Hist. & Critico T. II. f. 1998. in vita* P. MAIGNANI, ROHAULTIUM, qui CARTESIUM secutus est, longe infelicius, quam Maignanum, rem explicasse. ROHAULTIUS enim l. c. p. 53. 57. contendit, quod corpus Christi panis locum ita occupet, ut eadem intervalla & spatia, a pane antea occupata, præcise illa ipsa spatia sint, in quibus situm est Christi corpus, relinquens materiæ illi, poros panis replenti, eadem in illo interstitia, quæ antea replebat. Sequitur exinde, quod partes corporis Jesu Christi non tantum eandem assumant figuram, situm, & universos panis modos, sed fiant ipse panis, uti nunc demonstraturi sumus.

§. VIII. Nos existimamus *primo*, nullum Pontificium, Cartesianis placitis addictum, Transsubstantiationem vere credere, aut defendere posse. Ratio enim, & sensus, evidenter docent, mansisse in S. Eucharistia extensionem panis, mansisse particularum extensionis dispositionem, figurationem, motum, quietem, situm. In his vero natura corporum consistit, & extensio panis, secundum Philosophiam Cartesianam, & ipsa materia veri panis. Deinde recentiori hoc invento difficultates non tolluntur. Recte mihi judicasse videtur POIRETUS *L. III. Cogit. Ration. cap. XIII. p. 356.* vix sine risu ab intelligente lectore legi posse, quæ bonus CARTESIUS in Responsionibus quartis in hac re operose desudavit. Nec felicior fuit P. MAIGNANI conatus, qui putavit, DEum in organis sensoriis ita operari, ut corpus Christi, velut panem percipiant. Sed unde certus est, DEum ita operari in sensus nostros? Unde docebit, rotunditatem, albedinem, & extensionem panis non oriri a panis substantia, nec ei amplius inesse? Quamvis DEum ita in sensoria nostra organa operari posse credam, nunquam tamen persuadebor, DEum actu ita operari, & me deludere velle. Hic enim Maignanus fraudes DEO, & præstigias tribuit, Numenque sanctissimum finxit fraudulentum. Præterea nullum visibile externumque signum, quod verum sit,

Pp in

in S. Euchariſtia relinquit, quod tamen contra naturam ſacramenti eſt. Denique ſi verum eſſet, quod ROHAULTIUS excipit, omnes *modos* panis, locum, ſitum, figuram, corpori Chriſti communicari, corpus Chriſti fieret panis, quia omnium modorum collectio eſt vera rei eſſentia. Quid enim eſt ex Rohaultii & omnium Carteſianorum opinione eſſentia atque forma panis, quæ ab omnibus aliis corporibus diſtinguitur, niſi certa modificationum collectio? (*qu' un certain aſſemblage de modifications?*) „Perplacet judicium P. BÆLII, quod hac in re tulit l. c. f. 1998. „*Ainſi ce grand myſtere conſiſteroit a detruire un morceau de pain* „*à la place de celuy, qui a été aneanti. Cela eſt abſurde, & tout à* „*fait eloigné de la doctrine du Papiſme.* Conf. P. DANIEL *in* „*Itinere per mundum Carteſii*, Gallice primum ſcripto, deinde in linguam Latinam translato, *Part. I. p. m 42 & P. II. p. 133.* LA PLACETTE in Tractatu antea laudato *de auctoritate ſenſuum contra Transſubſtantiationem cap. XI. XIV. & XV.*

§. IX. Vidimus, quam turpiter ſe dederint recentiores quidam Philoſophi, qui ex hypotheſibus Philoſophiæ Carteſianæ, Transſubſtantiationis fabulam probare, & explicare conati ſunt. Ne vero ſolos Philoſophos, in eo dogmate ſtabiliendo & illuſtrando, ſolicitos fuiſſe putes, alios nominabo Viros fama nominis & eruditionis laude celeberrimos, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua verſatiſſimi fuerunt, tutum quoddam ignorantiæ aſylum ſibi inveniſſe viſi ſunt, videlicet μυςηριοκρυφίαν veterum, ſeu diſciplinam arcani, quo, coacti in anguſtias, velut ad ſacram anchoram confugere, ſecureque latere poſſent. Nos, enim Pontificiis opponimus, panem conſecratum Euchariſticum a Paulo exerte ἄρτον, *panem*, & κοινωνίαν corporis Chriſti, appellari, atque manifeſte doceri, poſt conſecrationem cum corpore Chriſti verum unitum eſſe panem, non nudas ſpecies, vel Accidentia. Idem confirmant veteris Eccleſiæ Doctores, quando de pane & vino Euchariſtiæ, innumeris in locis loquuntur. Urgemus, eos Transſubſtantiationis dogma plane ignoraſſe, quia eruditi pagani, CELSUS, JULIANUS, aliique, qui Chriſtianam religionem oppugnarunt, hoc abſurdum dogma illis nunquam objecerunt, quemadmodum multa alia minoris longe momenti. Præ ceteris, qui contra Transſubſtantiationem ex Patrum monumentis erudite pugnarunt, laudandus & adeundus eſt JO. FORBESIUS in *Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. Libr.* XI. *cap.* III.

IV.

IV. X. qui originem hujus erroris cap. XVIII. f 603. ad adoratores imaginum seculi octavi refert, & capite sequente XIX. tres malos ejus fructus recenset, quorum *primus* Sacramenti Eucharistiæ adoratio, *secundus* ejus mutilatio, *tertius* propitiatorium missæ sacrificium.

§. X. Ad hæc omnia respondet SCHELSTRATIUS, Bibliothecæ Vaticanæ olim præfectus, & novi εὑρήματος auctor, ex disciplina arcani, observans in Commentario ad II. *Canonem Concilii Antiocheni cap* VIII *n* 1. plerosque Patres primis Ecclesiæ seculis nullam de Eucharistia mentionem fecisse, & alios obscurius, quam par esse videtur, de eo locutos fuisse. Hoc ipsum fusius exponit in peculiari Dissertatione *de Disciplina arcani Romæ edita*, ex qua complures Patrum sententias, quas Protestantes contra Catholicos adducunt, exponi posse jactitavit ANTON. PAGIUS in *Critica Historico Chronol. in Annales Baronii, Tom.*I. *Anno Christi* CXIIX. § IV. *f m.* 24 *edit Paris.* Quoties igitur vel in Scripturis, vel apud Doctores priscæ Ecclesiæ *vini*, *panis*, *fermenti*, fit mentio, quando de S. Eucharistia loquuntur, toties eas voces ex arcani disciplina ita explicandas esse putant, utne *Transsubstantiationis* dogma damnum quoddam patiatur. Si objicis, nullam apud veteres monstrosæ hujus μετουσιώσεως memoriam exstare, contra vero *vinum*, *vitem*, *frumentum*, *panem*, *fermentum* sæpe commemorari? ANT. PAGIUS in promptu habet responsionem, id nempe ex disciplina arcani esse, & provocat ad SCHELSTRATII *Diss cap.* VII. *artic.* VII. Et *complura*, inquit, *Patrum testimonia de pane*, *frumento*, *vino*, *& vite agentia nihil faciunt contra Transsubstantiationem*, *quam tanquam dogma magis arcanum ex primitivæ Ecclesiæ disciplina celerare oportebat*, l. c. ad annum Christ. XXXII Num II. f. 23. Rationem, cur S. Eucharistia interdum *fermentum* appelletur, non aliunde, quam ex disciplina arcani petendam esse, observat idem PAGIUS, *A. Ch.* CCCXIII. *num.* XVI. *f.* 49. Si quæris, cur eruditi gentiles & Philosophi nihil objecerint contra Transsubstantiationis doctrinam, quæ rationi omnium absurdissima videtur, & quæ cum imaginum cultu in Ecclesia Romana, præcipuum hodie impedimentum est conversionis Judæorum? Respondet NATALIS ALEXANDER *in Hist. Eccles. Sec* XII. *Disser.* XII. *Art.* XXVII. *p.* 718. gentiles mysterium hoc ignorasse, & Christianos curam adhibuisse diligentissimam, ne sacramento-

rum nostrorum notitia, sive quantum ad essentiam, sive quantum ad ritus, ad illos perveniret. Omnes enim Patres V. prioribus seculis, excepto JUSTINO Martyre, obscure de hoc Eucharistiæ sacramento locutos esse.

§. XI. Longe plures adhuc utilitates ex hac veterum disciplina sibi promisit SCHELSTRATIUS in citata Dissertatione. Ex ea enim *Cap. VII. Art. VIII.* probare conatur, publicam Eucharistiæ expositionem, & in processibus circumgestationem, recenter introductas, nil mysterii veritati & divinitati obesse. Debuisse enim profanorum irrisioni & non initiatorum ludibrio subduci. Hodie autem Judæis sub jugum missis. gentilibusque Christianorum sacris initiatis atque in fide satis confirmatis, nec non post Catechumenorum abrogationem ritum hunc merito receptum esse. Tandem ANT. PAGIUS, vestigiis SCHELSTRATII insistens, ex eadem silentii disciplina esse ait, *in Critica Baron. A. Ch. CXIIX. num. IX. f. 25.* quod primis Ecclesiæ seculis nulli Tractatus de septem Sacramentis sint evulgati. Et quamvis nostrates dicant, Patres antiquiores a Commentariis de septem Sacramentis ideo abstinuisse, quod numerum illum Sacramentorum non admiserint: illud tamen ex Orientalis schismaticæ, & Occidentalis orthodoxæ Ecclesiæ consensione in hunc numerum, facile refelli posse opinatur. Orientales enim schismaticos cum orthodoxis Latinis in unam eandemque sententiam ab octingentis annis non potuisse conspirare, nisi illam a majoribus accepissent. Cujus rei argumento esse putat frequentem VII. sacramentorum memoriam, non tantum apud Græcos, saltim post tempora Photii, sed etiam apud Latinos, saltim a Caroli M. tempore, postquam in desuetudinem abierat silentii disciplina, quod sub VII. seculi finem, Cl. TENZELIUM secutus, factum fuisse affirmat, a quo tempore tam in Oriente, quam in Occidente Catechumeni ad Sacramentorum conspectum paulatim fuerint admissi, *ad A. Ch. DC LIII. Tomi tertii Criticæ Baronianæ,* qui anno 1705. studio FRANC. PAGI, Coloniæ Allobrogum prodiit.

§. XII. En Tibi, B. L. elegans & novum Pontificiorum *εὕρημα ἑκατόμβης ἄξιον*, quo fortissima nostratium argumenta eludant. Sed breviter, strictimque illud expendamus. Primo non negamus, priscos Christianos disciplinam arcani sancivisse, & mysteria scientes prudentesque occultasse, cum ut simplicitati Catechume-

chumenorum consulerent, tum ut homines idolorum cultibus deditos, & de Christianorum sacris abjecte loqui solitos, arcani majestate refellerent, eorumque societatem prorsus aversarentur. Hæ duæ rationes redduntur a Synodo Alexandrina, apud ATHANASIUM *Apol. II. edit. nov. Parisiens. Tom.* I. *Part.* I. §. XI. *f.* 133. *B.* *οὐ χρὴ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ Ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι κατηχούμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι, σκανδαλίζωνται*, *minime fas est mysteria apud non initiatos traducere, ne Ethnici quidem horum ignari irrideant; Catechumeni vero ad curiositatem deducti, scandalizentur.* Conf. *Is. Casaubonus Exercit.* XVI. *num.* XLIII *p.* 388. Hoc vero constantissime negamus contra SCHELSTRATIUM, ANT. PAGIUM, & NAT. ALEXANDRUM, istius disciplinæ initia & institutionem, ad ipsum Servatorem, ejusdemque Apostolos, revocari posse. Contrarium probant, & conciones Apostolicæ, & utraque JUSTINI MARTYRIS Apologia, ORIGENIS denique Disputationes contra CELSUM habitæ, in quibus mysteria de Christi persona & officio luculenter exponuntur. Exinde recte colligitur, silentii arcanique disciplinam ante finem seculi secundi non fuisse receptam nec ante TERTULLIANUM ejus moris indicia prodita fuisse sive Græca sive Latina illorum temporum monumenta inspiciamus. Non nisi sub initium seculi tertii fidei mysteria occultare Christiani, paganosque imitari cœperunt, apud quos hæc arcani disciplina diu antea observata fuit, ut superstitiosis suis ritibus tali occultatione majestatem quandam venerandamque speciem conciliarent. Propterea in Sacris suis Isiacis, & Bacchi Orgiis cistis utebantur, ut sacra sua a communi luce, & profano vulgi conspectu longius removerent. Ita in nummis Cretensium serpentiferis, quos BEGERUS erudite illustravit, cistæ Bacchicæ conspiciuntur, & in numismatibus Antonii cista mystica Bacchi, serpentibus imposita, apparet. Tanta etiam mentis puritate sacra sua tractari volebant, ut impios, ignominia notatos, aut nefarii sceleris convictos, voce præconis submoverent, qui alta voce exclamabat, cum sacra facienda essent: *εἴτις ἄθεος, ἢ χριστιανὸς, ἢ Ἐπικούρειος ἥκει, κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτω, ἔξω χριστιανός.*

VIRGIL. *Procul, o procul este profani,*

Conclamat. Vates. Apud CALLIMACHUM *Hymno in Apollinem v.* 2. scelerati consueta formula abesse jubentur: *ἑκὰς,*

 ἑκὰς,

ἑκὰς, ὅςις ἀλιτρός *procul, procul esto, quicunque es scelere pollutus.* Apud eundem CALLIMACHUM *Hymno in Palladem* sub initium : ἔξιτε, πᾶσαι, ἔξιτε. Conf. EZECH. SPANHEMII Notæ in CALLIMACHUM *p.532.*

§. XIII. Nostra igitur opinione, post tempora demum IRENÆI, cum Christianorum sacra horrendis gentilium calumniis peterentur, cœtusque divinior, introducta quadam civilis regiminis forma, in Catechumenos fideles, pœnitentes, distingueretur, disciplina arcani primum recepta, profanique sodalitate Christiana exclusi fuerunt. Nam ante hæc tempora nullum istius ritus vestigium cernitur, vel in CLEMENTE ROMANO, vel in IGNATIO, vel IRENÆO, vel in quovis alio, iis æquali scriptore. Præterea cùm veteres in primo censu rerum silendarum posuerint sacramenta, sciendum est, quod non adeo res in sacramentis significatas, & efficaciam illorum siluerint & occultarint, ac symbola ipsa, & ritus celebrandi, & rituum causas. Conf. IS. CASAUBONUS l. c. p. 40·.& cel. TENZELIUS Parte II. exercit. qui EMANUELIS a SCHELSTRATEN Dissertationem solide copioseque confutavit, & p. 272. ostendit, septenarium sacramentorum numerum veterem ecclesiam non agnovisse, cujus Doctores determinatum hunc numerum minime debuissent silere, quia plura Patrum scripta ad fideles & initiatos directa fuerunt, quam Catechumenorum vel infidelium manibus exposita. Nec tantus est Ecclesiæ Orientalis cum occidentali consensus, quantum ex Pontificiis finxerunt LEO ALLATIUS, SCHELSTRATIUS, NICOLAUS COMNENUS PAPADOPOLIS, & sigillatim PETRUS ARCUDIUS, qui integrum Librum scripsit: *de Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in septem sacramentorum administratione, Parisiis editum,* M. DCLXXII. Quantuscunque enim Græcorum consensus sit in numero, dissensus tamen est in explicatione & usu. Nam Græci duo duntaxat sacramenta, perinde ac nos institutioni Christi: reliqua autem institutioni Ecclesiæ accepta ferunt, quemadmodum ELIAS VEIELIUS demonstravit *in Exercitatione sua* contra Allatium p. 38. 39. Ceterum Pontificios cœtus sui concordiam falso temereque jactare cum Ecclesia Græca, eleganter demonstravit NECTARIUS, Patriarcha Hierosolymitanus, in *Confutatione Imperii Papæ in Ecclesiam,* quæ Latine prodiit Londini 1702.

Con-

Conferri etiam meretur FRID. SPANHEMIUS *T. II. Op.* Libr. IV. Differt. II. ubi adversus ABRAHAMUM ECCHELLENSEM, PETRUM ARCUDIUM, LEONEM ALLATIUM, aliosque egit *de Dissensione Ecclesiæ Græcæ a Romana f. m. 486 & 548.*

LXII.

Η ΓΥΝΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΟΥΣΑ ΕΠΙ ΤΗΣ ΚΕΦΑΛΗΣ 1 Cor. XI. 10.

§. I.

PLerique interpretes ΕΞΟΥΣΙΑΝ, quam mulierem habere decet, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς 1 Corinth. XI. 10. figurate accipiunt de velamento capitis, quod gestare debeat uxor ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἀνδρὸς τεταγμένη. Illud velamen muliebre signum fuisse putant subjectionis maritalis. Fœminas enim, sive virgines essent, sive in matrimonio viverent, in publicum prodeuntes, & viris obvias, antiquitus caput obvelasse, modestiæ, subjectionis & pudoris causa. Maritatas quidem in signum, quod sub potestate mariti essent, cui nupsisse dicebantur: Virgines autem, quia sub potestate Parentum vel Tutorum erant. Ipse AMBROSIUS & Græca Scholia, quemadmodum ERASMUS adnotavit, indicant, ἐξουσίαν h. l. accipi pro velamine; quod velamen capiti impositum cogat fœminam demittere oculos, significetque, illam esse sub alterius potestate. ER. SCHMIDIUS ad h. l. applaudit & inculcat in Notis, τὴν ἐξουσίαν hoc loco, Passivo sensu, accipiendam esse pro *potestate,* non quam fœmina exerceat, sed quæ in ipsam exerceatur, & cujus signum *Velamen* sit, per *Metonymiam*, qua ἐξουσία usurpetur pro signo ἐξουσίας in ipsam exercitæ. Nec aliud per ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς hoc loco intelligi, quam velamentum capitis muliebris, σύμβολον ὑποταγῆς γυναικὸς καὶ ἐξουσίας τοῦ ἀνδρὸς putat JO. D. OUTREIN in *Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica* Bremæ edita, *Tomo* II. *Fasc.* I *p. 61.*

§. II. Figuratæ huic expositioni alii non immerito contradixerunt, contendentes, propriam vocum significationem citra urgentissimam causam non esse deserendam. Ἡ ἐξουσία proprie notat *potestatem.* Quæ notio verbis Paulinis apprime convenit,

nit. Unde versus X διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους recte vertitur: *Propterea debet mulier potestatem habere in capite, propter Angelos.* Apostolus enim ostensurus, quam indecorum sit mulieri, & quantopere eandem dedeceat orare aut vaticinari ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ *aperto capite*, versu *quinto* rationem depromit a subordinatione, qua mulier subest Viro, quemadmodum Vir Christo, & Christus DEO *v. 3.* παντὸς ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ ὁ χριστός ἐστι· κεφαλὴ δὲ γυναικὸς, ὁ ἀνήρ· κεφαλὴ δὲ χριστοῦ, ὁ Θεός. Contra virum non debere κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν *caput operire*, sed aperto capite orare *vers. 7.* inde probat, quia εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ existit: mulier autem est δόξα ἀνδρὸς, h. e. התמונה *imago*, quam vocem interpretes Alexandrini Num. XII. 8 & Psalm XVII. 15. exposuerunt per δόξαν. Δόξαν autem PHAVORINUS explicat εἰκασμόν. Inde intelligitur, Apostoli argumentum tale esse: *Si Vir caput est mulieris, mulier vero tantum gloria & imago viri*, quia ex viro sumta & propter illum condita est, *sequitur omnino, mulierem* διὰ τοῦτο propterea *non tantum debere potestatem viri in se agnoscere*, quod est ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *sed etiam operto capite orare.* Ut in muliere publicum subjectionis signum exstet, quale olim fuit capitis opertio & obvelatio. Quemadmodum in Viro conspicitur signum aliquod dominii & potestatis, seu imaginis divinæ, quando orat capite aperto. Verba ἐπὶ τῆς κεφαλῆς Vir Celeb. JO. FR. HOMBERGKIUS *in Parergis S. p. m. 255.* de toto homine exponit, ita ut ἐξουσίαν ἐπὶ κεφαλὴν ἔχειν sit *potestatem in se vel supra caput suum habere.* Quamvis hæc vocis κεφαλῆς significatio apud JCtos Græcos & Poëtas non infrequens sit, a stilo tamen Paulino, & singulatim ab hoc loco eam peralienam esse existimo. Versu *tertio* Vir dicitur κεφαλὴ γυναικὸς, *caput mulieris.* Ergo IN CAPITE est IN VIRO, uti exponit KNATCHBULLUS. Mulieres proinde dicuntur ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *potestatem & dominium in capite*, hoc est, in marito, *agnoscere*, κατέχειν, φυλάττειν, *tenere* & *servare*, quando τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσονται, ὡς τῷ Κυρίῳ· ὅτι ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικός Ephes. V, 22. 23. 1 Tim. II, 11. 12. Ne tamen ferociores mariti hac potestatis prærogativa facile abuti possent, Apostolus sententiam quasi mitigaturus, subjicit *v. 11 & 12:* Licet mulier sit ex viro & propter virum, licet etiam sit gloria & imago ejus, atque adeo subjecta ejus potestati, tamen *Virum non esse absque mulie-*

re

re, sed ex illa nasci; *Ambos igitur esse in Domino, ex quo omnia sint.* Ubi manifestum est, ἐξουσίαν *potestatem* notare, & de *velamine* exponi non posse. Qualis enim sensus foret: *Licet velamen in capite habeat mulier, illam tamen esse in Domino?* Suffragantur nobis laudatissimus HOMBERGKIUS, l. c. & NORTONUS KNATCHBULLUS, qui *violentam atque nimis coactam* vocat expositionem ἐξουσίας figuratam de *velamine* subjectionis signo.

§ III. Per τοὺς Ἀγγέλους non *Legatos* seu *Angelos Desponsationum* cum LIGTFOOTO & BRAUNIO intelligimus, quos Hebræi vocant שלוחי קרושים, nec *exploratores*, *nuncios* aut *delatores*, sed simplicissime innui putamus *Angelos*, sive Spiritus illos finitos, tum bonos, tum malos. Hæc constans est & usitatissima vocis significatio in Scriptura. Vult igitur Apostolus, ut mulieres potestatem viro, tanquam capiti, divinitus impertitam, obsequenter agnoscant, teneant atque conservent ΔΙΑ ΤΟΥΣ ΑΓΓΕΛΟΥΣ, OB ANGELOS partim *bonos*, qui, dum sacra peraguntur & preces funduntur, præsentes sunt, & quibus reverentia debetur. Sanctorum Angelorum præsentiam in cœtibus sacris non tantum Judæi crediderunt, sed ipsi etiam gentiles in sua Theologia tradiderunt, uti H. GROTIUS notavit ad h. l. Præterea a mulieribus imitandos esse S. Angelos, qui sibi invicem sunt subordinati, & suos ordines, ac capita a DEO constituta habent, quibus subsunt, neque ἐξουσίαν aspernantur aut refugiunt. Partim etiam ob Angelos *malos*, ne in idem κρίμα incidant cum Angelis malis, de quibus Apostolus Judas commemorat versu *sexto* eos τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν *originem* seu *imperium*, & subordinationem non servasse, & propterea a DEO horribiliter punitos esse. Jam vero mulierem originem suam accepisse a viro, ejusdemque potestati subjectam esse, quum hic ordo ab ipso DEO sit constitutus. Hanc originem, hunc ordinem agnoscere oportere mulierem, eundemque diligenter tenere, & custodire, nec unquam deserere illum: Ne inter illos inveniatur, qui κυριότητα ἀθετοῦσι, & καταφρονοῦσι 2 Petri II, 4. quando marito non vult subjici, ejusque ἐξουσίαν non agnoscere & retinere. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν Ἀγγέλων οὐκ ἐφείσατο, palam esse, easdem infligendas esse pœnas mulieri potestati maritali se subtrahenti. Valeant igitur illi, qui *Angelos* metaphorice hoc loco interpretantur de viris justis, aut de Sacerdotibus & Episcopis, aut de aliis nunciis, qualis observatio HA-

LENSIUM est *T. 6. p. 103*, qui nuncios juvenes intelligunt ad Ecclesiam subinde mittendos, & velamina urgeri putant, ne mulieres in cœtu sacro adolescentum exterorum conspectu ad libidinem irritarentur. Ejusdem furfuris est interpretamentum vocis ἐξȣσίας, quam exponunt de re eminente vel mitra l. c. Longe audaciores fuerunt JAC. GOTHOFREDUS & JO. CLERICUS, qui constantem codicum lectionem solicitarunt. Ille enim non ἐξȣσίαν, sed ἐξȣβίαν, *exuviam*: alter pro διὰ τȣ̀ς ἀγγέλȣς legi voluit διὰ τῆς ἀγγελίας, hoc est, dum mulier suam ἀγγελίαν profert, cum tamen mulieres tacere jubeantur in Ecclesiis 1 Cor. XIV, 34. Contra GOTHOFREDUM legantur SALMASII Tractatus *de Coma p 694.* & *Analecta* DOUGTHÆI *L. I. Cap XV.* Mittimus conjecturam ALEXANDRI MORI *ad h. l. p. m 128.* qui ἐξȣσία legere maluit pro ἐξȣσίαν, ita ut ἡ γυνὴ dicatur ἐξȣσία τȣ̃ ἀνδρὸς, uti δόξα dicebatur præcedenti commate, hoc sensu: διὰ τȣ̃το ὀφείλει ἡ γυνὴ, ἥτις ἐξȣσία, ἤτοι δόξα, τȣ̃ ἀνδρός ἐςιν, ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.

LXIII.

DE ΘΗΡΙΟΜΑΧΙΑΙ PAULI,

1 Cor. XV. v. 32.

§. I.

NOn consentiunt interpretes in explicandis Pauli verbis, quando 1 Cor. XV. v. 32. dixit: εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ ȣ̓κ ἐγείρονται; Nonnulli enim, e quorum numero sunt THEODORETUS, PRIMASIUS, CAIETANUS, CORNELIUS, B. LUTHERUS, illam θηριομαχίαν accipiunt proprie de feris, putantque, Paulum Ephesi feris vere objectum fuisse, sed divinitus liberatum. Alii autem longe majori numero, D. HEINSIUS, H. GROTIUS, B. CALOVIUS, SVICERUS, BASNAGIUS, malunt intelligere de certamine cum hominibus ferinis, quomodo θηριώδεις τυράννȣς dixit in *Lycurgo* PLUTARCHUS. Nos inpræsens rem paulo altius repetemus, ut quænam sententia præ altera eligenda sit, intelligi queat.

§ II. Θηριομαχίας vox apud Græcos nata est, & priori sui parte componitur ex vocabulo τȣ̃ θηρὸς, quod generatim quamvis

vis feram & immanem belluam designat, singulari autem, eximiaque sui notione leonem notat apud HOMERUM. Altera sui parte coaluit ex τῷ μάχεσθαι, quod est contendere, rixari, & altercari. Nihil aliud igitur notat θηριομαχία, quam pugnam cum feris, quæ vel feris cum feris, vel hominibus cum feris, ursis, leonibus, leopardis intercedebat. Ejusmodi certamina a Græcis olim κυνηγέσια, a Patribus Latinis *venationes* dicebantur. Causa, ob quam homines ejusmodi certamen cum feris susciperent, non una eademque fuit. Alii enim vires roburque, publico ejusmodi fortitudinis documento, demonstrabant: alii autem cruentas publicasque pro delictis pœnas dabant.

§. III. Θηριομάχοι Græcis erant projectæ audaciæ viri, qui pugnandi artem edocti & mercede conducti, in arenis atque theatris cum bestiis publice congrediebantur. Hoc ipsum tamen inhonestum, infame, sordidumque existimabatur. Ab aliis παράβολοι appellabantur, sive *Parabolani*, quia sponte & auctoramenti spe ad pugnam cum bestiis suscipiendam prosiliebant, & manifestissimo vitæ periculo se objiciebant. Hæc *Parabolanorum* appellatio ordini cuidam Christianorum Alexandrinorum tributa olim fuit, quia neglecto mortis periculo ægros, quolibet morbo etiam peste laborantes, curabant. At ex hoc mortis contemtu tantos sibi sumserunt animos, ut ad Alexandrinorum Episcoporum, sub quorum dispositione erant, tutandas partes, in apertam seditionem nonnunquam eruperint, & coërcendi fuerint ab Imperatore, & ad certum numerum redigendi, quemadmodum ex legibus Codicis Theodosiani annotavit P. D. HUETIUS *in Dem. Evang. Prop. III. §. XX. p. 68.* Sed antea sub Ethnicis Imperatoribus martyres Christi, *Paraboli* & *Parabolani* dicti sunt, quod corpori suo minime parcerent, sed laniandum in carnificinam darent.

§. IV. Græcorum θηριομάχοι a Latinis *bestiarii* vocantur, cum quibus non debent confundi *confectores*, quemadmodum JOSEPHUS SCALIGER in notis ad MANILIUM fecit. Confectores enim, qua voce EUSEBIUS usus est, cum de POLYCARPO tradidit, *Hist. Eccles. Libr. IV. cap. XV. f. 134.* non pugnabant cum bestiis, sicut bestiarii: sed ad conficiendas feras immittebantur, si quando efferatæ bestiæ stragem populo minarentur. Quos confectores *lancearios* etiam aliquando dictos esse observavit HENR. VALESIUS *in notis ad Euseb. H. E. f. 72.*

§. V. Aliter res ſeſe cum iis habebat, qui ob admiſſa flagitia, & inprimis ob ſacrilegia, belluis ad devorandum objiciebantur. Nam ut exquiſitiſſima de ſacrilegis, aliisque facinoroſis ſupplicia ſumerent, alios palis terræ infixis alligabant, alios ferarum pellibus inſuebant, ut belluæ ad iras prius incitatæ eos adorirentur, crudeliterque dilacerarent. Ex quo funeſto ſpectaculo Claudium Neronem mirifice delectatum fuiſſe, SUETONIUS in ejus vita cap. XXXIV. tradit. Nec populus minus hac ſupplicii crudelitate oblectabatur, & eo quidem vehementius, quo crebriores ejusmodi ludi magiſtratus auſpiciis ederentur. Propterea certi Præfecti erant conſtituti, Româque in provincias miſſi, qui ludos, in honorem Deorum, vel ob natales Principum celebrandos, curarent, ac moderarentur. Singuli nomen a regione, cui præerant, ſortiebantur. Ita Cypriarchæ, Cappadociarchæ, Aſiarchæ paſſim commemorantur. Jam qui ad belluas damnati erant, a Præfecto ad ſolennes ludos aſſervabantur, & populo ex tota provincia ad ſpectandos ludos confluente, in concionem producebantur. Solennes ac ordinarii munerum dies apud Romanos erant, qui in menſem Decembrem incidebant, ut eſt in Calendario HERWARTI, quod una cum aliis H. L. SCHURZFLEISCHIUS *Anno ſuo Romanorum Juliano* adjecit, & eruditis notis illuſtravit. Extra quos dies munerariis, quibus hujusmodi editionum onus impoſitum erat, ferarum ſpectacula exhibere, & de damnatis ſupplicia ſumere, non licuiſſe, ex Smyrnæorum epiſtola, de martyrio Polycarpi ſcripta, intelligi poteſt. Nam Philippus Aſiarcha Smyrnæus, a populo enixe rogatus, ut Polycarpo Leonem immitteret, reſpondebat: *μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια*, *id ſibi non licere, quippe qui Amphitheatrale ſpectaculum jam edidiſſet*, apud EUSEB. *H. E. L. IV. cap XV. f. 132*

§. VI. Et hoc ſupplicio in Chriſtianos olim omnium innocentiſſimos crudeliſſime ſæviebatur. Ita legimus, IGNATIUM, aliosque multitudine fere innumerabiles, feris lacerandos objectos fuiſſe. Nam ſiquando Tyberis, facta inundatione, effunderetur, vel calamitoſa quædam cœli tempeſtas exoriretur, aut lues ingraveſceret, confeſtim omnes vociferabantur: CHRISTIANOS AD LEONES. TERTULLIANUS *in Apologet. cap. XL.*

§. VII Quærunt S. codicis enarratores, an hocce ſupplicii genus Paulus perpeſſus fuerit, belluis videlicet objectus, & divina providentia ſervatus? Et hoc recte negari videtur, quia non ſolum

solum ipse Apostolus silet, quando pericula sua longo ordine recitat 2 Cor XI. sed LUCAS etiam in Actis nihil de eo habet, qui tamen rem tam insignem præteriturus non erat, cum res minoris momenti illorum temporum annotarit. Altum præterea in Historia Ecclesiastica ea de re silentium. Paulum vero *Parabolanorum* vel *bestiariorum* exemplo & imitatione, in publicum prodiisse, & cum bestiis vere pugnasse, hoc minus credi potest, quo certius est, hoc ipsum inhonestum olim, sordidum, & a persona civis Romani, Apostolique Christi alienissimum fuisse. Martyres denique non pugnabant cum bestiis, sed iis objiciebantur, quemadmodum innumera exempla docent.

§. VIII Ego aliquando in eam ducebar opinionem, Paulum cum bestiis quidem non pugnasse, nec actu ipsis objectum fuisse: attamen pro bestiario, tumultu Ephesi excitato, habitum a furiente populo condemnatum, dignumque visum fuisse, qui feris objiceretur. Et huc pertinere suspicabar historiam, quæ Actor. XIX. de Demetrio aurifabro legitur v. 24. Nam, Apostolo in urbe Ephesiana Evangelium docente, ingens aliquando contra Paulum ejusque socios concitabatur tumultus. Plebs furibunda in theatrum provolabat, in quo cruenta ejusmodi spectacula edi solebant, quo abreptis Cajo atque Aristarcho, Pauli comitibus, ipsum Apostolum abstracturi, ferisque in furore objecturi fuissent, nisi Paulus vitæ periculum evasisset, tumultusque paulo post compositus fuisset. Quam conjecturam exinde confirmari posse credebam, quod *sacrilegii* & blasphemiarum postularant Paulum, sicut ex v. 31. & 37. constare potest. Legibus autem Romanis *sacrilegi* ad bestias damnabantur, Lege sexta π ad legem Juliam peculatus, & de sacrilegis. *Sacrilegii pœnam debebit Proconsul pro qualitate personæ*, &c. *Et scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse. Sed moderanda pœna est, usque ad bestiarum damnationem eorum, qui manu facta templum* effugerunt, *& dona DEI noctu tulerunt.* Explicat hanc legem Paulus JCTus: *Templum, qui manu facta prædandi, aut depopulandi gratia, irrumpunt, bestiis objiciuntur.* Apostolus igitur, qui a populo Ephesino magnifico Dianæ templo & totius terrarum Orbis eo tempore opulentissimo, gravissimum damnum inferre, illud destruere, & *sacrilegii* reus videbatur, ex vulgi opinione, & consuetudine, lege publica, perpetuoque usu, firmata, meruisse credebatur, ut belluis projiceretur. Quod

ipse Paulus subindicasse videbatur, quando ait, κατ' ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα, id est, ὅσον τὸ εἰς ἀνθρώπους *quantum ad homines pertinebat*, qui in furorem acti, Apostolum, sacrilegii postulatum, bestiis, ut moris erat, objicere decreverant. Propter præsentissimum igitur vitæ discrimen dicere potuisset, se Ephesi κατ' ἄνθρωπον cum feris pugnasse, ἐν ἑαυτῷ τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου habuisse 2 Cor. I, 9. & a plebe ad mortem damnatum, saltim eo destinatum fuisse. Nam θηριομαχεῖν non tantum notat *cum feris pugnare*, sed de iliis etiam usurpatur, qui ad palum suspensi, bestiis lacerandi devorandique objiciebantur. Provoco ad EUSEBIUM, qui *in Hist. Eccles. L. V. cap. I. f. 161.* narrat, Maturum, & Sanctum cum Blandina, & Attalo ad bestias in amphitheatrum ductos esse ad publicum spectaculum inhumanitatis gentilium, τῆς τῶν θηριομαχιῶν ἡμέρας διὰ τοὺς ἡμετέρους διδομένης, *præbito munerum die propter nostros.* Nam Lugdunensis provinciæ Præses spectaculum ferarum extra ordinem populo præbuerat constituto ad id die, propter Christianos, quos ad bestias damnaverat. Et l. c. de Blandina θηριομαχοῦση dicitur, quod ἐπὶ ξύλου κρεμασθεῖσα προύκειτο βορὰ τῶν εἰσβαλλομένων θηρίων, ad palum suspensa bestiis fuerit objecta.

§. IX. Sed paulo post, re accuratius expensa, deprehendi hanc explicationem temporum rationi adversari. Nam prior ad Corinthios Epistola, ante factam a Demetrio seditionem, scripta, ad eosque perlata fuit. Id quod exinde manifesto apparet, quia Paulus eam conscripsit, non Philippis, uti subscriptio GRÆCA, & SYRIACA habent, sed Ephesi, quomodo habet interpres ARABS. Hoc ipse Apostolus innuit, cum cap. XVI. 8. ait: *permanebo Ephesi usque ad Pentecosten.* Fuit igitur tum Ephesi, cum hæc scriberet, ubi permanere adhuc vult, usque ad Judæorum Pentecosten, quomodo CHRYSOSTOMUS, THEOPHILACTUS, & OECUMENIUS recte observarunt, *Apostolum certiores facere Corinthios, ubi degat, & quam diu illic commoraturus sit.* Nec obstat, quod versu V. ejusdem capitis scribit: Μακεδονίαν διέρχομαι, & ὅταν Μακεδονίαν διέλθω, nam utrumque more Scripturis non insueto, ponitur pro διελεύσομαι *brevi sum peragraturus*, ita ut sensus non sit, Paulum Macedoniam peragrasse tum, cum hæc scriberet, sed se veluti esse in procinctu, ut Ephesо Macedoniam petat. Sed quia in Actis cap. XIX & XX. tumultus Demetrii, ac Pauli discessus ex urbe Ephesina, immediate conjunguntur, necessario sequitur, ante turbas a Demetrio

con-

concitatas Ephesi hanc Epistolam Apostolum scripsisse, nec θηριομαχίας voce ad eas respicere potuisse, nisi quis dicere vellet, eum tumultum Demetrianum animo veluti præsensisse & divinasse quod a nemine tamen facile admittetur. Conf. LUD. CAPELLUS *in Appendice ad Histor. Apostol. p. 114 115.* B. CALOVIUS *in Bibl. illustr. ad h l. f. 417.* Exinde etiam judicemus de fide NICEPHORI CALLISTI, qui in operoso Historiarum volumine, ineptiarum & mendaciorum plenissimo, quod cum JOANNIS LANGII Latina interpretatione, FRONTO DUCÆUS, Ignatianæ sodalitatis socius, Lutetiæ Parisiorum, anno cIↃ.IↃcXXX. in forma majoris ordinis nitidissime excudendum curavit, historiam de θηριομαχίᾳ ex Pauli quibusdam Actis, quæ ORIGENES in Periarcho adduxit, copiose admodum recenset L. II. Cap. XXV. Conf. CÆS. BARONIUS *in Annal. A. Ch. LV. T. I f. 465.* & H. WITSII *Melet. Leidensia p. 124.*

§. X. Quapropter θηριομαχεῖν tralate & ἠθικῶς de adversariis præferocis ingenii intelligere malo, quam proprie de certamine cum feris. Veri longe fit similius, Paulum Ephesi cum hominibus efferati barbarique moris, atque a belluarum immanitate naturaque parum remotis, decertasse. Hoc ipsum ad consuetudinem mentemque Spiritus S. proxime accedit, qui impios in S. codice passim cum feris contendit, Devt XXXII. 33. 2 Tim. IV, 17. Ad Titum I, 12. Apostolus Cretenses appellat κακὰ θηρία, *malas bestias.* Sic etiam de homine in Græco Epigrammate, κακὴ ἔχιδνα *mala vipera.* Arrianus Libr II cap. IX in Epictetum, οἱ μὲν ἡμῶν μεγάλα θηρία εἰσὶν, οἱ δὲ θηρίδια κακοήθη, *alii quidem nostrum magnæ bestiæ sunt, alii vero bestiolæ malignæ.* POLLUX *Libr. IX. cap. IV. Onomastici*, θηρίων μᾶλλον, ἢ ἀνθρώπων πόλις, *bestiarum potius, quam hominum urbs.* Illi igitur, quibus res erat cum ejusmodi hominibus effrenatis atque indomitis, secundum illorum temporum consuetudinem, θηριομαχεῖν dicebantur, quam Paulus hoc in loco imitatus est, dum sub θηριομαχίᾳ Ephesina *Asiaticas* vexationes, & *pressuras*, TERTULLIANO interprete, intellexit. Subnitor præterea auctoritate HIERONYMI, qui ad Jobi V. *Bestiæ appellantur, mores habentes similes bestiarum, contra quas pugnasse se Ephesi dicit Apostolus*, quos IGNATIUS ad Tarsenses non male ἀνθρωπομόρφους dixit, quod tantum forma hominem referrent: ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, οὐχ' ὑπὸ ἀλόγων θηρίων βιβρωσκόμενος, &c. ἀλλ' ὑπὸ ἀνθρωπομόρφων,

a Syria

a Syria Romam usque cum bestiis pugnavi; non earum, quæ ratione carent, sed quæ formam habent hominis, morsibus petitus. Quod in Epistola ad Romanos de militum custodia exponit, dicens, se noctu diuque decem leopardis, quæ militum est custodia, fuisse alligatum. Interim vexationis genus, quod Paulus Ephesi ab efferatis hominibus perpessus est, & quod neque in Actibus Apostolicis, neque in ullo sacri codicis loco expressum, idoneis rationibus indicari & demonstrari nequit. Hoc nobis certum exploratumque est, THEOPHYLACTUM ad h. l. p. 304. cum per θηριομαχίαν Pauli τὴν πρὸς Ἰουδαίους, καὶ Δημήτριον τὸν ἀργυροκόπον μάχην, *contentionem adversus Judæos, & Demetrium argentarium*, intellexit, errasse, temporumque rationem ac ordinem plane ignorasse, sicut ex iis, quæ antea diximus, abunde patet. Conf. SUICERUS *in Thesauro Eccles. T. I. f. 1399.* DAN. HEINSIUS *in Exercit. Sacr. ad h. l. f. 414.* B. CALOVIUS *in Bibl. illustr. ad h. l.* BARONIUS ad annum LV. *Num. VI. p. 422.* & H. WITSIUS in *Meletematibus Leid. p. 128.*

LXIV.

DE DISCRIMINE PERSONARUM PER CHRISTUM IN Novo Testamento sublato, ad Gal. III. v. 28. 29. 30.

§. I.

NOn locorum duntaxat, sed personarum inprimis discrimen ratione *sanctitatis* in Vet. Test. fuit. Cujus varios gradus Ebræorum magistri accurate copioseque descripserunt, unde disci potest, inter sacerdotes olim, Levitas, Israelitas, eorumque mulieres, profanos item atque proselytos, maximam differentiam fuisse, si ratione sanctitatis considerentur. In codice *Kiddusch im. Cap. IV. §. 1.* decem hominum stirpes, aut potius hominum conditiones, enumerantur, quæ post captivitatem exierunt ex Babylone, nempe כהני *sacerdotes*, לויי *Levitæ*, ישראלי, *Israelitæ*, חללי *profani*, (qui sacerdotes quidem sunt, sed inepti, ut unquam sacerdotio fungerentur, aut Israelitæ, sed mixti ex patre Judæo, & matre Græca, aut matre Judæa, & Patre Græco, qualis Timotheus fuit Act. VI. 1.) גירי, *proselyti*, חרורי, *manumissi*,

מסורי

ממזרי *Nothi*, qui non nati erant ex legitimo matrimonio, נתיני, *Nethinei*, שתוקי *ſpurii*, cujus mater nota eſt, non Pater, אסופי *expoſiti*, quorum mater & Pater ignorabantur. Sunt, qui ex his decem generationibus totidem ſanctitatis gradus faciunt in gente Ebræa. Verum recte obſervat JO. BRAUNIUS *de ſanctitate S. Pontificiis cap. I.* §. *XIII.* præter ſacerdotes, Levitas, & Iſraelitas vix ullos ſanctos reputatos fuiſſe. Proſelyti enim etſi Judaicæ religioni ſubſcripſerant, tamen perexiguæ exiſtimationis nomen eorum apud Judæos fuit. Nam cum ex profanarum gentium cœtu orti, & in Moſis lege communiter parum verſati eſſent, eandemque non ſine infirmiorum offendiculo multipliciter violarent, reprehendi palam, publiceque contemni ſolebant. Nota ſunt Doctorum Ebræorum de iis judicia, קשין גרים לישראל כספחת *Proſelyti ſunt graves Iſraelitis, ſicut ſcabies*, horum quippe peccatis deſideratiſſimum Meſſiæ adventum impediri opinabantur. Ex his judicemus licet de ſanctitate, vel contemptu potius *nothorum*, *ſpuriorum*, & *expoſitorum*, qui proſelytis longe poſtponebantur.

§. II. Soli Iſraelitæ, qui ab aliis gentibus omnibus ſegregati erant, pro ſancta Jacobi progenie agnoſcebantur. Erant enim גוי קדוש *gens ſancta* Exod XIX, 6. עם קדוש *populus ſanctus*, Devt. VII 6. & סגלת יהוה, *peculium DEi* paſſim appellantur. Sed inter hos ipſos diverſi ſanctitatis gradus erant. Omnium infimum obtinuiſſe creduntur *mulieres*, ob varias pollutiones, & infirmitates, quibus ob leges ceremoniales ſubjectæ erant. Mulieribus viri Iſraelitæ ſanctiores erant, id quod vel exinde intelligi poteſt, quod templi locum, altari ac ſolio DEI propiorem & ſanctiorem, ſacerdotum quippe atrium contingentem, occupabant, & ſignum fœderis in corpore geſtabant. Viris Iſraelitis denuo ſanctiores erant Levitæ, quia in ipſo templo miniſtrabant, ad quod miniſterium illi non admittebantur. Sacerdotes vero in longe majori ſanctitatis gradu conſtituti cenſebantur, non ſolum hanc ob cauſam, quod altare holocauſtorum erat in eorum atrio, quod prope admodum a DEi throno aberat, ſed quod poteſtate divinitus facta, in ipſum DEi היכל ſeu *palatium* & locum ſanctum intrabant ad faciendum ſuffitum, accendendas lampades, panes aureæ menſæ imponendos, aliaque miniſterii munia obeunda. Summus & eminentiſſimus ſanctitatis gradus ſummo Pontifici adſcribi ſolet, non tantum ideo, quod perinde ac inferiorum

ordinum sacerdotes, Sanctum quotidie intrare poterat, sed hanc inprimis ob causam, quod quotannis in magnis Expiationum solenniis *Sanctissimum* ingrediebatur, victimarum sanguine eo delato, & sui ipsius & totius populi peccata expians, atque Messiæ satisfactionem pro totius mundi peccatis, ritu isto repræsentans.

§. III. Judæi hac exterioris sanctitatis felicitate elati, magnifice nimis de se sentiebant, & gentes a sacris suis alienas contemnebant superbe, & ut canes immundos despuebant, hostilemque animum tantum non ubivis prodebant adversus extraneos, quod odium TACITUS ipsis exprobrat *L. V. Hist. cap. V.* Ob inurbanos hos mores passim ab Ethnicis, ut ἔθνος ἄμικτον, καὶ ἀσύμφυλον, apud Josephum, & ut μόνοι ἁπάντων ἐθνῶν ἀκοινώνητοι, apud DIOD. SICULUM, reprehenduntur. Conf. Act. X. 28. 34, cap. XI, 3. Græci varias artes edocti, & literis, quæ ad humanitatem erudiunt, moresque formant, exculti, Judæos spernebant, nec nisi pro gente rudiore, stolida & superstitiosa habebant. Diuturnum hoc & inveteratum odium tam altas in animis utriusque gentis radices egerat, utne in illis quidem, qui Christo nomen dederant, ita penitus evelli posset. quin variarum litium & controversiarum causa existeret. Judæi enim non in solius Christi merito, sed etiam in operibus legis Mosaicæ, justitiam salutemque quærentes, difficillime persuaderi poterant, ritus Mosaicos, quos divina auctoritate solenniter institutos præceptosque norant, & perpetuo duraturos esse credebant, per Christum abrogari, & gentes ad spiritualium beneficiorum κοινωνίαν promiscue admitti, omni personarum distinctione, qua Judæi hucusque præ gentibus reliquis eminuerant, sublata.

§. IV. Apostolus hæc rixarum, malorumque semina radicitus exstirpaturus, nullum personarum discrimen in Christo esse docet, & neminem, cujuscunque tandem sit gentis, sexus, aut dignitatis, dummodo in Christum credat, ab ejus beneficiis excludi. Propterea inquit ad Gal. III. v. 27. 28. ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, χριστὸν ἐνεδύσασθε. Nulla personarum discrimina amplius admittuntur. οὐκ ἔνι ἰουδαῖος, οὐδὲ ἕλλην. Res nunc aliter se habet ac sub Veteri Testamento. ubi Judæi soli erant גוי קדוש *gens sancta*, reliqui *profani*: nec ulla est hodie amplius distinctio inter ישראל *israelitam*, & גר *proselytum*, quales plures olim ex Græcis erant. Nam Christus hoc discrimen sustulit. *Ubi Christus induitur, ibi non est amplius Judæus, non est circumcisio, non est cultus templi,*

nulla

nullæ leges sunt, quas Judæi faciunt. Christus enim abstulit, quidquid legum est in Mose in toto mundo. Deinde cum ait, non est Græcus, etiam gentilium sapientiam aut justitiam rejicit, & damnat. B. LUTHERUS in Comment. poster. fol. 95. Conf. B. CALOVIUS *in Bibl. illustr. in h l f. 593.* Pergit Paulus: οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος. οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ. Inter δοῦλον, עבד, *servum*, & ἐλεύθερον, חרורי *manumissum* in Christo nullum est discrimen, quia *servi* ἀπελεύθεροι Κυρίου: & *ingenui* sunt δοῦλοι χριστοῦ 1 Cor. VII. 22. Col. III. v. 11. Ἄρσεν *Israelita vir*, & נשים *mulieres*, discreta olim atria in templo habebant, & virilis sexus magna in Judaismo privilegia præ sexu sequiori habebat, sed hodie πάντες ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, per fidem, qua credentes tum inter se, tum cum Christo uniuntur. Conf. JO. BRAUNIUS *in selectis Sacris L. III. cap I. p. m. 303.*

LXV.

QUA RATIONE ET SENSU CHRISTUS PRO NOBIS TRADITUS, Θυσία εἰς ὀσμὴν εὐωδίας oblata, a Paulo dicatur, ad Ephes. V. 2.

§. I.

OBservavit HERMANNUS WITSIUS, *Miscell. Tom. I. Libr. II. Dissert.* II. §. XCII. *p. 511.* verba Pauli, quando ait: ὁ χριστὸς παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν, καὶ θυσίαν τῷ θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, Ephes. V, 2. non posse, nisi ex intimis institutionum Mosaicarum arcanis, exponi, quod JAC. ALTINGIUM præstitisse, peringenue confitetur. Nos inpræsens, ex loci ipsius interpretatione breviter strictimque ostendemus ALTINGII & WITSII sententiam, si paululum emendetur, & temperetur, a veritate non adeo alienam esse.

§. II. In Veteri nimirum Testamento illud imprimis sacrificium אִשֵּׁה רֵיחַ נִיחֹחַ לַיהוָה grati apud DEum odoris esse dicebatur, cui *oleum* & *thus* addebatur, Levit. II. v. 2. 9. 16. Thus autem solis muneribus, קָרְבַּן מִנְחָה, Levit. II. v. 1. & 15. item panibus propositionis Levit. XXIV, 7. imponebatur. Reliquis sacrificiis, nec addebatur thus & oleum, nec illa in odorem bonæ

fragrantiæ fuisse, dicebantur, si sacrificium Noachi excipias, quod grati odoris fuisse dicitur Gen. VIII. 21. quamvis de mincha, thure, & oleo nihil ibi commemoretur. Sigillatim θυσίαις, *victimis piacularibus* thus & oleum addere nefas erat, vi legis Divinæ quæ exstat Levit. V. 11. לֹא־יָשִׂים עָלֶיהָ שֶׁמֶן וְלֹא־יִתֵּן עָלֶיהָ לְבֹנָה כִּי חַטָּאת הִוא *non imponet super illud oleum et thus, quia* חטאה *sacrificium pro peccato est*[i], quod videlicet præter adipem Levit. IV. 31. DEo grati odoris causa adolendam, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας non poterat offerri, quia mortem Christi notabat, ut exsecrationis effectum, & vim Satanæ atque peccati. Propterea hostiæ ejusmodi piaculares sæpe comburebantur, erantque pabulum iræ DEI, quæ, peccatorem ceteroquin absumtura, vim suam in vicario exserebat ad ejus destructionem. Ex Levit. X, 17. constat, sacerdotibus aliquando cessisse in escam, לָשֵׂאת אֶת־עֲוֹן הָעֵדָה לְכַפֵּר עֲלֵיהֶם לִפְנֵי יְהוָה *ad portandum iniquitatem cœtus, & ad expiandum eos coram Jehova.* Nam hoc pacto, cum ederent, *incorporabant* quasi peccatum, populique reatum in se recipiebant, ut indicaretur, aliquando *sacerdotem* & *victimam* unam fore personam, nempe Messiam, id quod in Jesu Nazareno exacte impletum fuit.

§. III. Talem θυσίαν, אָשָׁם חַטָּאָה κάθαρμα, περίψημα, verum nempe sacrificium pro peccato & reatu fuisse Christum, Paulus h. l. exerte docet, & ipsa Servatoris mors expiatoria declarat, iram divinam in eum deſæviisse, vimque suam, ut in ἀντίψυχον & vicarium, exseruisse. Jure igitur meritoque quærunt interpretes, qua ratione Christus se ut θυσίαν & victimam piacularem & exsecrabilem DEO Patri, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, offerre potuerit? Ad hoc dubium respondemus, Christum quidem revera hostiam pro peccato fuisse, & divinæ etiam iræ in pabulum cessisse, sed hoc ipso justitiæ DEI læsæ plenissime satisfecisse, & peccata totius humani generis, quæ in se susceperat atque portabat, sui sanguinis effusione expiasse, & e conspectu DEI sustulisse, quod per sanguines victimarum piacularium sub œconomia Mosaica ITA fieri non poterat, quemadmodum ex crebris earum repetitionibus manifestum est. Nam in Christi sacrificio satisfactorio *thus* beneplaciti, & *oleum* lætitiæ aderat, id est, εὐδοκία & εὐωδία apud DEum. Idcirco etiam Paulus non solum θυσίαν, sed

&

& προσφορὰν, מִנְחָה oblationem cibariam, oleo & thure sociatam, quæ DEo εἰς ὀσμὴν εὐωδίας erat, sacrificium Christi appellat. Conf. JAC. ALTINGIUS *Heptad. IV. Dissert. V. §. XIX. XX.* & D. ESPAGNE *in Annotat. novis de Jesu Christo, not. LXVII. p. m. 96.*

LXVI.

DE ECCLESIA DEI VIVI COLUMNA ET FIRMAMENTO VERITATIS, 1 Tim. III. v. 15.

§. I.

IMpudens & perabsurda est Romanensium opinio, quando cœtui suo auctoritatem conciliaturi, vanissime gloriantur, Romanam Ecclesiam, qualis hodie est, στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, a Paulo gentium Doctore appellatam esse 1 Tim. III. v. 15. Qui tituli quamvis Ecclesiæ universalis sint, non possunt tamen gregi Pontificio accommodari, quemadmodum solide hoc ostensum est a B. GERHARDO *de Ecclesia §. CXVI.*

§. II. Qui Ecclesiæ tam invidiosos titulos convenire posse negant, verba hæc a superioribus divellunt, & cum sequente periodo connectunt, opinati, non Ecclesiam ab Apostolo, sed magnum pietatis mysterium, seu doctrinam de filio DEI in carne manifestato, *columnam & firmamentum veritatis* dici. Propterea verba Pauli ita distinguunt, ut post ζῶντος ponant τελείαν στιγμὴν hoc modo: ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος. Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Rationes, quas pro confirmanda sententia adducunt SIM. EPISCOPIUS Institut. Theolog. L. I. S. I. c. VIII. & JO. CAMERO *in Myrothecio*, huc fere redeunt: Primo minus conveniens esse putant, si in una eademque periodo, Ecclesia modo cum *domo*, modo cum *columna* comparetur: melius esse, si mysterium τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνσαρκώσεως, tanquam columna & firmamentum veritatis, ab οἴκῳ Θεοῦ ζῶντος, id est, Ecclesia DEI vivi distinguatur. Deinde solenne esse Ebræis, ut præcipua suæ religionis dogmata columnas & firmamenta veritatis, seu sapientiæ appellent, & eadem traditури, lectorem ita

præmoneant. Ita Mosen MAIMONIDEM opus nobilissimum de Judæorum dogmatibus orsum: *Fundamentum fundamenti*, & *columna sapientiæ hæc est*, *ut sciamus*, *quidnam sit ens primum* &c. Neque moventur magnopere a vulgari receptissimaque loci interpunctione, quia in ea versantur sententia, tmematum incisiones, humana duntaxat auctoritate introductas, ut recentiorum Grammaticorum εὑρήματα, secure negligi spernique posse, cum præsertim illi, qui ita sentiant, & aliter interstinguant, nec idoneis rationibus, nec codicum quorundam consensu, nec Patrum suffragiis penitus destituantur. Certe JO. CHRYSOSTOMUS ad h. l. Homil. XI in Epist. hanc: ἡ ἀλήθειά ἐστι τῆς Ἐκκλησίας καὶ στῦλος καὶ ἑδραίωμα, *Veritas est Ecclesiæ & columna & stabilimentum*. Consentire præterea videntur IRENÆUS, BASILIUS SELEUCIENSIS, & THEODORETUS apud SVICERUM *in Thes. Eccles. Tom. II. f. 1047*. His tamen rationibus, facile refellendis, nos non movemur, ut a vulgari, diuque recepta interpunctione, quam ipse articulus confirmat ac tuetur, recedamus. Recte quidem observasse videtur H GROTIUS in h. l. illud τὸ, quod ponitur ante τῆς εὐσεβείας μυστήριον, ostendere, novum esse sensum, non titulorum cum sequentibus continuationem, & illud μυστήριον poni *subjective*, non *prædicative*, ut scholæ loquuntur: sed non vidit vir summus, sic suo se gladio confodi & hunc emergere verborum ordinem: τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον ἐστι στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα. Conferatur JO. CLERICUS *Art. Crit. P. III. S. I cap. X. p. 196*. Hæc tamen non impediunt nos, quo minus verba hæc στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας potius cum præcedentibus, quam cum sequentibus, conjungamus. Conf. D. HEINSIUS *in Exercit. ad N. T. f. 515*. NORT. KNACHTBULLUS *in Animadvers. in N. T. p. 125*.

§. III. Non desunt ex interpretibus, qui magna veritatis specie contendunt, per *columnam & firmamentum veritatis* non Ecclesiam, quam Paulus cum domo antea comparaverat, sed Timotheum, ad quem scribit, instar columnæ in domo DEI collocatum, intelligendum esse, quasi deficiat in oratione participium ὢν, sive vocula ὡς, ut alibi sæpe. Huic expositioni multa favent. Idem enim gentium Apostolus alibi Petrum, Jacobum, & Johannem, στύλοις æquiparavit, Gal. II. v. 9. Christus unicuique, qui fidelis perstiterit, pollicetur, se eum facturum στῦλον ἐν

τῷ

τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ, *columnam in templo DEI*, Apoc. III. v. 12. Huc accedit, quod Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, martyres etiam hoc elogio apud ſcriptores Eccleſiaſticos frequenter ornentur, & ςύλοι καὶ ἑδραιώματα vocentur. In epiſtola Eccleſiæ Gallicanæ ad Aſiaticam, quæ exſtat apud EUSEBIUM *H. Eccleſ. L. V. cap. I. f. 157.* Attalus confeſſor ςύλος καὶ ἑδραίωμα diſerte appellatur, ſcilicet eorum, qui in illa Eccleſia fuerunt. Sic CYRILLUS ςύλος τῆς πίςεως, ATHANASIUS ςύλος τῆς Ἐκκλησίας, PETRUS & JOANNES a THEODORETO, *Orat. X. de Providentia p. 441.* πύργοι τῆς εὐσεβείας, ςύλοι τῆς ἀληθείας, οἱ τῆς ἐκκλησίας τὴν οἰκοδομὴν ὑπερείδοντες, *pietatis turres*, *veritatis columnæ*, *Eccleſiæ ſtructuram ſuffulcientes*, vocantur. Quæ explicatio, etſi nihil habet abſurdi, & præterea a GREGORIO NYSSENO, PROCOPIO GAZÆO, GATAKERO, GUIL. CHILLINSVORTHO, aliiſque fuit approbata: nos tamen textus evidentia, & venerandæ antiquitatis conſenſu moti, vulgarem interpretationem retinebimus, & *columnæ ac firmamenti* encomium ad Eccleſiam referemus.

§. IV. Nunc exquiremus, quonam reſpexerit Apoſtolus in in oratione hac, & unde hanc denominandi rationem petierit? Vir doctiſſimus JACOBUS GOTHOFREDUS *in I. Exercitatione de Eccleſia*, totum hunc Apoſtoli locum accurate pariter ac erudite interpretatus, in ea verſatur opinione, Paulum ad columnas in templo Epheſino, vel Eleuſino collocatas, & ſuperimpoſitis Deorum ſimulacris, aut inſcriptis legibus celebratas, alluſiſſe, & templorum gentilitiorum columnis, Eccleſiam DEI oppoſuiſſe, cum illam vocavit ςύλον τῆς ἀληθείας. Cum contra templa gentilium πολύςηλα eſſent, variis columnis, ςήλαις vel ςύλοις innixa, ornatave & inſtructa, cujusmodi πολύςυλον templum Cereris in Attica memorat Heſychius in voce Κωλιάς. Huc ſi reſpexiſſet Apoſtolus, tacita nec ineleganti ἀντιθέσει veram DEI Eccleſiam ςύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας appellaſſet. Columnæ quippe templorum gentilium mendacia, fabulasque meras, & inania ſimulacra, μύθους ἀθέους, proponebant & præferebant. Sed Eccleſia veritatem cultus divini ſuſtinet, hominumque oculis ſpectandam præbet, ceu Numinis alicujus ſimulacrum de faſtigio ſuo ſeu ſuggeſto: ac proinde *veritas* hujus columnæ ἐπιςύλιον quoddam eſſet, ſicut veritas operi ſupero comparetur, Eccleſia columnæ, quæ oracula DEI & eloquia ac ipſam ſcripturam Sacram,

quam

quam IRENÆUS *fundamentum & columnam fidei nostræ*, vocat, omnium oculis spectandam legendamque sistit, & posteritati commendat. Si hæc τῦ στύλυ allusio ad templa gentilitia valet, necesse est, ut statuamus, ἑδραιώματος vocem, cum ista copulatam, ædificii partem notare, & cum amplius non occurrat, ab Architectis vel Tarsi Ciliciæ, ubi D. Paulus natus, literisque fuerat excultus: vel Athenis certe, ubi èpistolam hanc scripsit, usurpatam fuisse. Id quod ex ipsa ejus origine colligi posse videtur. Nam ἕδρα notat *sellam, consessum senatorum*, & ὑποβεβλημένον quid, sustinendæ rei & fulciendæ. Tandem & per metonymiam τόπος, ἐν ᾧ εἴδωλον ἵδρυται, per ἕδραν significatur, quemadmodum l. c. Gothofredus annotavit. Ab hac voce ἕδρας est ἑδραῖον, *firmum*, sive HESYCHIO interprete, βάσιμον, στερεὸν, & ἑδραῖοι eidem sunt σταθηροὶ, ἀσάλευτοι. Cum autem ἀπὸ τῦ ἑδραίυ fit ἑδραίωμα, nil aliud notare potest, quam *fulcimentum, sustentaculum*, *firmamentum*, & quamvis sedem firmam, cui res alia innititur, qualis esse potest 1) ipsum ædificii fundamentum. Nam ἕδρα HESYCHIO est βάσις. 2) *stereobata*, ut Architecti vocant, quæ onera excipit, & tum stylobatas, ipsasque columnas, tum alias ædificii partes sustinet, de qua VITRUVIUS Libr. III. cap. III. 3) *sella* & *thronus* ἑδραίωμα esse potest, ubi Deorum simulacra sedebant, quæ sellæ columnis quandoque sociatæ erant, ut hic ab Apostolo sociantur στύλος καὶ ἑδραίωμα, & apud PAUSANIAM *in Corinth p. 48.* κίονες & θρόνος. 4) Sic notare etiam potest ὑπόθημα, *suppedaneum*, *scabellum pedum*, quod pedibus imaginis sedentis quandoque subjacebat, quale memorat PAUSANIAS *in Eliacis p. 158.* 5) *suggestum*, βῆμα, ὕψος, vel aliud quid, in quo simulacrum eminentius stabat, ἑδραίωμα dici potuit, quod alias ἕδρασμα dicebatur. Tandem ἑδραίωμα fuerit opus omne, res omnis, locusve, quo aliquid innititur, insistit, fulcitur & sustinetur. Ecclesia proinde ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας appellatur, quia veritas subsistit in ea, fulcitur, sustinetur, sedet, eminet, & velut in edito loco conspicienda exhibetur, & a D. Paulo repræsentatur, secus ac Democritus veritatem in puteo demersam finxit, & Seneca in alto latere existimavit. Neque occultatur veritas doctrinæ in Ecclesia, sicut olim fatidici libri Sibyllini, qui in cella subterranea templi Copitolini inclusi, ἐν λιθίνη λάρνακι *in arca lapidea* asservabantur, DIONYSIUS HALICARNASS. *L. IV. p. 260.* auctor est, & deinde sub Augusto

gusto sub Palatini Apollinis basi duobus forulis auratis conditi custodiebantur, teste SVETONIO *in Octavio, cap. XXXI.*

§. V. Hæc sermonis Paulini interpretatio, quam Cl. GOTHOFREDO debemus, non solum erudita, sed ad mentem Spiritus S. valde etiam accommodata, & peridonea est, ad nugas Pontificiorum, quas ad auctoritatem quandam suæ Ecclesiæ conciliandam, afferre solent, refellendas ac profligandas. Et hanc opinionem nos eo lubentius amplexamur, quod certum exploratumque habemus, ad multarum rerum disciplinam, artiumque scientiam, & Græcorum rituum cognitionem nihil gentium Doctori, Tarsensi, defuisse, qui in ea natus erat urbe, quæ sua ætate liberalissimis studiis Athenas superavit, teste locuplete STRABONE *Libr. XIV.* Mitto inpræsens SEB. SCHMIDII conjecturam, qui *in Colleg. Bibl. N. T. p. m. 301.* existimavit, a columnis Jachin & Boas appellandi rationem desumtam esse. Nec judicabo de sententia ALEX. MORI, qui *in notis ad h. l.* sibi observasse visus est, suggestum regium, qui τῦ ςύλυ nomine a LXX. Interpretibus designatur, 2 Reg. XI, 14. Ecclesiæ, in qua cœlestis veritas, velut in regali throno resideat, optime convenire. Veri longe similior est DAN. HEINSII conjectura, *in Exercit. ad h. l. f. 514.* qua Apostolum ad columnam nubis & ignis, DEI inhabitatione celebrem, allusisse suspicatur. DEus enim priusquam in Judaico habitaret templo, duo, quibus præsentiam suam testabatur, domicilia habebat, ςύλον νεφέλης nempe, & arcam fœderis. Quemadmodum ergo DEus olim in nube, ut & in arca præsentem se exhibuit: ita ἐν ςύλῳ ἐκκλησίας, veritas esse nunc recte dicatur. Etenim nunc DEus cum cœlestis doctrinæ veritate non amplius, ut olim, in nube super arca, aut in templo Judaico, sed omni nubis obscuritate discussa, in sua Ecclesia habitat, quæ est ςύλος ἀληθείας locus veritati destinatus, & quæ, sicut Patres antiqui, hujus loci Scholiastæ, notant, θεὸν ἔνοικον ἔχει, *DEUM inhabitantem habet.* Largimur HEINSIO, τὸν ςύλον respondere Ebræorum עמוד, quod *stationem*, locum in quo statur, aut sedetur, notat 2 Paral. XXXIV. 31. Sed in eo doctissimo viro non suffragamur, quando ἑδραίωμα hoc a ςύλῳ distare dixit, quod ςύλος *stantis* positum ac situm notet: ἑδραίωμα vero *sedentis.* Non ignoro, ἑδραῖον ὕπνον, quem alii Medici βαθὺν, sive *profundum* interpretantur, a GALENO τοῖς καθημένοις *sedentibus* tribui.

tribui. At vero hoc in loco ἑδραίωμα longe aliud quid a ςύλῳ est, latiusque, quemadmodum ex Cl. GOTHOFREDO ostendimus, patet, ita ut quoque columna ipsa ea generali appellatione venire potuerit, quia dantur columnæ, simulacrorum sedes & fundamenta, in quibus simulacra exstant.

§. VI. Tandem FRANCISCUS JUNIUS *adv. Bellarm. ad Tom. I. Controverf. III. L. VII cap. XIV. § 6.* ad *pilas*, sive *columnas* forenses allusum esse existimavit, quæ in curiis, & ante prætoria exstabant, & ad quas auctoritate publica leges atque programmata appendebantur. Ita columna hæc cum sua basi est custos veritatis, non firmamentum domus. Et quemadmodum ex Curia atque Prætorio ad valvas aut columnas, ut Romæ olim pro Rostris, decreta exhibentur, proscribuntur, proscriptaque in iis custodiuntur: sic in Ecclesia DEI, tanquam in columna, ære quovis perenniore Matth XVI. 18. & in loco conspicuo, urbis ad instar super montem sitæ, collocata Es II 2. Mich IV. 1. Matth. V. 14. legis divinæ tabulæ prostant, in quibus DEI consilium de salute nostra nobis delineatur. De columnis ejusmodi, quibus leges vel affigi, vel incidi olim solebant, notatu dignissima ex Cl. GATAKERO affert SUICERUS *in Thesauro Eccles. Tom. II. f. 1049. 1050.* quæ eruditam hanc JUNII interpretationem, & a multis approbatam, ulterius illustrant.

§. VII. Exinde manifestum est, quamcunque demum explicationem amplectamur, veram DEI Ecclesiam non alio sensu ςύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας dici, quam quia cœlestem veritatem, divinitus patefactam, mediante Scriptura in se habet, & τὰ τοῦ Θεοῦ λόγια Rom III. 2. sibi concredita, asservat, legendaque omnibus & cognoscenda publice proponit. Falsissimum ergo est, quod ex hac Pauli assertione concludit R. SIMONIUS *Libr* III. *Criticæ Hist. Vet. Test cap.* XXII. *p. 108. quamvis toto orbe nulla Scripturæ exemplaria superessent, illibata semper remaneret religio, utpote semper subsistente Ecclesia*, scilicet Romana, quam dubio procul solam intelligit. Erroneum est, S. Scripturam secundum nos Ecclesiæ (Romanæ sc.) auctoritate niti, sicut R. BELLARMINUS, acerrimus Romanæ doctrinæ defensor, his Pauli verbis turpiter abusus, contendit. Nam vera Ecclesia ab hac immotæ veritatis majestate ac firmitate, in Scripturis comprehensa, instar fulcimenti ac columnæ erecta subsistit, Christo cum Propheticis & Apostolicis scriptis incumbit firmiter, ac superstructa est 1 Cor. III.

III. v. 11. Eph II 20. Nos igitur veræ & universali Ecclesiæ hunc titulum non invidemus, quem ei tribuit gentium Apostolus, confitemur eam στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας esse, negamus autem, elogium hoc cœtui Pontificio applicari posse, aut Ecclesiæ Romanæ olim a Paulo sigillatim adscriptum esse, ita ut propterea ab omni errore, errandique periculo pronunciari debeat immunis, velut Romani parasiti vociferantur. Nam particularis Ecclesia Romana a Paulo plantata olim, non magis ab errandi periculo censeri debet immunis, quam Ecclesia, quam Apostolus ad Timotheum scribens h. l. *columnam & firmamentum veritatis* maxime appellasse, verisimile est. Excidit enim hac dignitate, quam primum a veritatis verbo defecit, sicut Paulus prædixerat Actor. XX. 29. Conf. Apoc. II. 5. perinde ac hodierna Ecclesia Romana, postquam doctrinæ puritatem ritibus fictitiis & superstitiosis defœdavit, nequiterque corrupit, illustri Ecclesiæ DEI elogio plane est indigna. Conf. B. DORSCHEI *Theol. Zachariana Part* II. *Disp.* II. *Loc.* I. *Q.* II. *p.* 65. & Summe Rever. ITTIGII *programma*, quo orationem inauguralem intimavit A. Ch. M. DC. XCVII. D. V. Cal. Nov.

LXVII.

DE BAPTISMO, FOEDERE BONÆ CONSCIENTIÆ CUM DEO, 1 Petr. III. 21.

§. I.

De Baptismo, Novi Test. sacramento elegans locus apud Petrum exstat, ubi Apostolus inquit: ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν δι᾽ ἀναστάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ, hoc est, *Quod etiam nos antitypum nunc salvat baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ petitio erga DEUM per resurrectionem J. C. Christi.* Multis hæc verba perobscura visa sunt. Difficultatem auget varia codicum lectio. In quibusdam enim est articulus neuter, ὃ, *quod*, in nominandi casu: in aliis vero est ᾧ, *cui*, quod nonnulli referunt ad ὕδατος ut sit sensus: CUI, scilicet aquæ simile baptisma nos salvat. Quemadmodum enim aqua diluvii Noachum cum familia servavit, arcam elevando: ita baptisma

nos salvat e terra in cœlum nos elevando. Quamvis B. GERHARDUS in h. l. interpretationem hanc rejiciat, quod aqua diluvii extinxerit potius, quam servaverit, & quod effectus salvationis prorsus fuerit accidentarius: retinet tamen lectionem ᾧ, *cui*, & refert ad *rem totam*, quæ præcessit de servatis in arca octo animabus, ita ut isti conservationi, tanquam typo spiritualis conservationis, baptismus antitypon respondeat, quo sensu etiam Syrus textum intellexisse videtur. B. LUTHERUS in versione Germanica priorem lectionem secutus est, quam & nos retinebimus, verba Petri exponentes: *quod etiam nos antitypicum nunc salvat baptisma.* Nam in verbis, quæ antecedunt, de antitypico baptismate sermonem esse existimamus cum B. SEB. SCHMIDIO *in Colleg. Bibl. Nov. Test. p 314.*

§. II. Deinde etiam de interpunctione hujus commatis breviter dispiciendum est. Nonnulli verba hæc: δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ ad præcedentem vocem σώζει retraxerunt, & hanc Petrinæ orationis sententiam esse opinati sunt, *aquam baptismi nos salvare per resurrectionem JEsu Christi*, qui cruentis suis perpessionibus salutem promeruerit, & non alium in finem resurrexerit, quam ut idoneis mediis, quale baptismus est, salutem partam nobis applicaret. Verba autem interjecta, & parenthesi includenda, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἐπερώτημα εἰς θεὸν, ad baptismi, cujus mentio facta est, descriptionem duntaxat pertinere. Ita verba hæc distinguuntur in Polyglottis BRIANI WALTONI, variisque aliis Nov. Test. editionibus, ut hic emergat sensus: *Baptismus nos quoque salvos reddit (quo non carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit ut bona conscientia bene respondeat apud DEum) per resurrectionem Jesu Christi.* Eadem interpungendi ratio in pervetusta versione Syriaca obtinet, & talis verborum est ordo, ut baptismo, *tanquam applicationis medio*, Servatoris vero resurrectioni, ut *causæ promerenti*, salus nostra adscribatur

§. III. Sed quæ nos ratio urget, ut verba optime cohærentia tam licenter discerpamus, receptumque eorum ordinem, interposita παρενθέσει, turbemus? Docet Apostolus, baptismum esse συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ. Consentit non solum ARABUM ÆTHIOPUMque versio, sed idem res ipsa postulare videtur. Nam sicut Christi resurrectio expiationis peccatorum ac liberationis nostræ terminus est, quo omnia, quæ ad homines redimendos requirebantur, finiuntur & continentur, Rom. IV. 25. ita conscientiæ tranquillitas ea cum-

primis

primis nititur. Ex Servatoris enim resurrectione certi convictique sumus, DEum placatum, & nobiscum reconciliatum esse, dum ipse vadem ex sepulcri claustris eduxit, Christumque ex mortuis resuscitavit, Ebr. XIII. 20.

§. IV. Quamvis autem vera, naturalis, & in lavandis corporibus alias usurpata aqua, in baptismo sacramentali fuerit adhibita: tamen nec eo fine a DEo institutus, nec a nobis usurpandus est, ut sordes corporis abluamus. Propterea inquit Apostolus: οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, pro οὐκ ἀπόθεσις ῥύπου σαρκὸς, per trajectionem. Baptismus, immersione olim peractus, non ei rei servit, cui balnea sufficiunt. Τί γὰρ ὄφελος ἐκείνου τοῦ βαπτίσματος, ὃ τὴν σάρκα, καὶ μόνον τὸ σῶμα φαιδρύνει; quærit JUSTINUS in Colloquio cum Tryphone. Conf. H. GROTIUS, & B. GERHARDUS *in h. l.*

§. V. Cum igitur Baptismus sacramentalis non sit depositio sordium carnis, sed ἐπερώτημα bonæ conscientiæ in DEum, operæ pretium erit, ut ἐπερωτήματος vocem, in qua præcipua hujus loci difficultas sita est, recte interpretemur. In *Vesperis Groninganis*, sive amicis de rebus sacris Colloquiis, quæ nonnulli Ecclesiæ Gallicanæ Reformatæ Pastores, ob religionem e patria extorres, at ab illustribus Groningæ & Omelandiarum Ordinibus suscepti, Ecclesiæque provinciali Gallo-Belgicæ præpositi, sub finem superioris seculi de rebus eruditis hebdomatim instituerunt, & literis consignata luci publicæ exposuerunt, locus hic Petrinus erudite copioseque in *tertio Colloquio* illustratus occurrit. Primo Vir ille doctissimus, qui ejus auspicium fecit, fuse disserit de conscientia, quam per *judicium mentis de factis aut faciendis in ordine ad DEI judicium* scite definit, & in bonam ac malam dispescit, ut declaret, quo sensu bona conscientia sit ἐπερώτημα εἰς Θεόν. De *faciendis* illam conscientiam bonam esse dicit, quæ judicet de bonis & malis, quoad congruant, aut discrepent a recta ratione & regula actionum nostrarum a DEO præscripta. De *factis* negat conscientiam nostram bonam esse ob admissa peccata, nisi vere resipiscamus, & de impetrata venia certi, in DEi gratia acquiescamus. Et talem conscientiam esse ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, quæ petat, atque interroget, quid ad salutem obtinendam facto opus sit? Dicti ergo Petrini hunc videri sensum: Baptismum non eum esse, qui maculas corporis eluat, sed in quo bona conscientia interroget, quid facto opus sit ad salutem? allusione facta ad interrogationem, quam Judæi Petri prædicatio-

ne perculsi, & postea baptizati ad hunc direxerint, Act. II. 37. τί ποιήσομεν, ἄνδρες ἀδελφοί; Addit vir ille doctissimus, hoc ἀγαθῆς συνειδήσεως ἐπερώτημα non solum eam interrogationem esse, qua quis DEum consulat, quid ab ipso velit fieri: sed etiam subintelligi, includique debere monet eam interrogationem, qua peccator baptizatus interroget, quomodo DEus erga ipsum affectus sit? quaque in precibus suis DEum compellet: nonne tu meus es Pater? annon gratia tua per Christi mortem mihi est conciliata? & quæ aliæ sunt allocutiones, quæ ex bona, & ob certam peccatorum remissionem, tranquilla conscientia oriuntur.

§. VI. Nobis multa dubia in promtu sunt, quibus docta hæc interpretatio impugnari & labefactari potest, quæ neque ipsi eruditissimi collocutores dissimularunt. Tametsi enim Christianorum sacrorum tyro & catechumenus, conversionem ad Christum serio meditatus, quærere potuerit, quid faciam? tamen non apparet quomodo veterani, religionem Christianam dudum edocti, nec, quid ad salutem facto opus sit, ignorantes, ita demum potuerint interrogare? Nec veri fit simile, tam alta mente repostam mansisse apud primos Petri auditores illius interrogationis (Act. II. 37.) memoriam, ut is causam inde occasionemque nactus fuerit, eos diu satis post habitam illam concionem sic alloquendi. Et quomodo, quæso, hæc locutio præbere potuit μνημόσυνον interrogationis olim factæ? Nam qui Petrum ita percontati erant, per universum terrarum orbem paulo post dispergebantur, permulti e vita discesserant, plurimi Christianorum sacris recens initiati Apostolum tunc concionantem non audiverant, multo minus interrogationis istius primorum e Judæis proselytorum recordari, & Petri scopum intelligere poterant. Confer *Acta Eruditorum Lipſ. M.DC.XCVIII. p.347.* & Viri Celeb. JO. FR. BUDDEI *Theologiam Moralem p. m.374.*

§. VII. Longe verisimilior elegantiorque est SEB. SCHMIDII opinio, qui in *Colleg. Bibl. N. T. p.316. & in Tr. de circumcisione p.304.* ἐπερώτημα exponit de *quæsitione* & *acquisitione* bonæ conscientiæ apud DEum, quia in Scriptura ἐπερωτᾷν non tantum interrogare, sed & quærere notat, Rom. X. 20. *manifestus factus sum τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι, iis qui me non quærebant.* In ea vir summus est opinione, D. Petrum per nomen ἐπερωτήματος, *quæsitionis, petitionis*, quam sequitur certa acquisitio, respexisse ad formulam baptismi, qua baptizemus in nomine Patris, Filii, &

Spiritus

Spiritus S. quam formulam precatoriam esse contendit, qua, qui baptizat, a DEo quærit, & petit, ut secundum promissionem suam adsit, & baptizatum in gratiam recipiat, conscientiam ejus bonam, tranquillamque efficiat, & in Baptismo, per sanguinem & meritum Christi, operatione Spiritus S. applicatum, purget. Hæc sane expositio ipsius rei naturæ satis est accommodata. Nam quidquid agit & efficit minister baptismi, id precario efficit & agit, omnemque efficientiam, vi verborum institutionis, a DEo, tanquam causa principali, exorat. Hanc interpretationem mallem sequi, quam *vel* Syri, qui *confessionem bonæ conscientiæ* notari putavit: *vel* DAN. HEINSII, qui *in Exercit. in h. l. f. 607.* ἐρώτημα & ἐπερώτημα per ἀνάκρισιν seu δοκιμασίαν ἑαυτοῦ exponit, quia veteres conscientiæ examen ac probationem ad baptismum non minus requirebant, quam in altero Sacramento, de quo Apostolus 1 Cor. XI. 28. δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτὸν, hoc est δοκιμαζέτω τὴν ἑαυτοῦ συνείδησιν. Baptismum ergo esse *bonæ secundum DEUM conscientiæ probationem*, & non in externarum sordium ablutione, sed in probatione sui, veraque in DEum fide consistere. Eaque occasione, HEINSIUS suspicatur, veteres suam in Baptismo ἐρώτησιν invexisse, cujus examinis compendium erat: πιστεύεις εἰς αἰώνιον ζωὴν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν; *vitamne æternam & remissionem peccatorum credis*? ut habet CYPRIANUS in Epistola ad JOVIANUM, ejusque coëpiscopos, quæ Carthaginiensi concilio est præmissa. Idem ergo eruditissimo viro ἐπερώτημα est, quod ἐπερώτησις: quæ ut ab alio institui, ita & ab adultis, qui baptizantur. & potest, & debet. Ἐπερωτᾷ enim qui ipse se examinat: quæ δοκιμασία, sive examen sui, requiratur.

§. IIX. Quemadmodum autem nos, rerum argumentis diligenter inter se collatis, nec HEINSIO, nec SYRO interpreti suffragamur: ita nec Schmidianam expositionem omnino probamus. Nam ἐρώτημα vel ἐπερώτημα non facile invenias de *quæsitione*, aut *petitione*, multo minus de *acquisitione* usurpatum: sed *quæstionem* vel *interrogationem* sæpius notat, sicut ex verbo ἐρωτᾷν intelligi potest. Præterea Apostolus non de baptizante, sed de baptizato loquitur, ut communis fere est Patrum ac Theologorum nostrorum sententia. Neque minister baptismi semper adhibet precationes in ejus administratione, quia sine precationibus Ecclesiasticis sacramentum est integrum, si modo in nomine Patris,

tris, Filii, & Spiritus S. baptiſmus fiat. Conf. B. CALOVIUS in *Bibl. illuſtr. h. l. 1509.*

§. IX. Recte nobis obſervaſſe videtur H. GROTIUS in h l. ἐπερώτημα vocem juris, & ex foro deſumtum eſſe. Nam Græci Romani juris interpretes hoc nomine uſi ſunt, ubi de verborum obligationibus egerunt, quæ ex interrogatione & reſponſione conſtabant hunc fere in modum: *Spondes? ſpondeo. Promitis? promitto. Fide promittis? Fide promitto. Fide jubes? Fide jubeo. Dabis? dabo. Facies? faciam.* Hoc appellabant ἐπερώτησιν, vel ἐπερώτημα, ut videre eſt apud THEOPHILUM titulo Inſtitut. de verborum obligationibus. Conf. ARNOLD. VINNIUS *in notis ad Inſt. L. III. Tit. XVI. p. m. 417.* Hinc in Gloſſario ἐπερωτῶ *ſtipulor*; ſed μετωνυμικῶς nomine ſtipulationis comprehenditur etiam reſponſio, ſive promiſſio. Nam & ἐπερωτῶμαι ſignificat *promitto* in eodem Gloſſario. Baptiſmus igitur ἐπερώτημα *ſtipulatio* & *pactum* eſt inter DEum & baptizatum. Nam DEUS in baptiſmo cum baptizato paciſcitur, eique ex pacto dat bonam conſcientiam, videlicet remiſſionem peccatorum, Chriſtique juſtitiam & promiſſiones vitæ æternæ. Promittit inſuper, ſe ei fore DEUM, Patrem, Proviſorem, & Protectorem: vice verſa fidelis promittit, ſe DEO fore fidelem famulum, & filium, ſe novam vitam initurum, bonam conſcientiam ab eo acceptam conſervaturum usque ad extremum vitæ ſpiritum. CORNELIUS a LAPIDE in h. l. Hac ratione ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς Θεὸν dicitur hoc loco pro Θεῷ, ut ſubaudiatur ποιηθὲν ſponſio DEO facta de pura conſcientia.

§. X. SEB. SCHMIDIO *in Colleg. Bibl. poſter. p 316.* non valde placet mutua ſtipulatio, ſeu obligatio, ne ea adverſarii, ut ait, abutantur, & aliquam ſalutis conditionem, ſaltim ſine qua non, in noſtra reſtipulatione occultent. In *Tr. de Circumciſione p 306.* pernegat, ſtipulationem & reſtipulationem inter DEum & nos in baptiſmo eſſe poſſe. Primo enim ſtipulationis materiam ibi deeſſe contendit, quia quod homo in baptiſmi fœdere accipit, id accipit, ut DEI filius. Filiatio vero, adoptiva etiam, non ſunt materia ſtipulationis. Et obligatio hominis baptizati ex filiatione potius, & lege gratam teſtandi mentem, ortum ducere videtur, quam ex verbis ſtipulatoriis. Idem quoque ex perſonarum ſtipulantium conditione manifeſtum eſſe opinatur. Quemadmodum enim ſervus nihil poteſt ſtipulari a Domino ſuo, nec filius a Patre quicquam,

quam, ut tanquam filius accipiat: Sic nec homo a DEO quidquam ſtipulari poteſt, cujus & ſervus & filius eſt. Tandem idem hoc ex ſtipulationis *forma* atque *effectu* præſertim confirmat. Stipulationis effectus eſt obligatio ex ſolis verbis, ut ipſum jus civile habet. Sed obligatio inter DEum & homines in baptiſmo, ut olim in circumciſione, non ex ſolis verbis oritur, ſicut res ipſa docet. Verum his argumentis B. SCHMIDIUS nihil efficit & probat, niſi hoc, nempe non eſſe inter DEum & nos ſtipulationem & reſtipulationem proprie ſic dictam, quod nos utraque manu largimur. Multæ enim voces ex foro mutuo acceptæ, ac in Scripturam a Spiritu S. translatæ ſunt, quæ rigoroſum fori ſenſum non omni ex parte tuentur. Sic primum illud *fœdus*, quod fœdus *legale*, *operum*, & *naturæ* dicitur, & quod DEus cum homine in ſtatu integritatis iniit, non omnes fœderis vel pacti conditiones proprie dictas habet, quas H. GROTIUS *J. B. & P. L. II. cap. XIV. XV.* & PUFENDORFIUS *J. N. & G. L. IIX. cap. IX.* deſcripſerunt, quemadmodum nec fœdus poſterius ſive fœdus gratiæ illas admittit: & utraque tamen illa fœderalis conjunctio in Scripturis ſub *fœderis* ſchemate ſiſtitur. Quid in Scriptura Vet. & Nov. Teſtamenti eſt uſitatius, quam ut benigniſſima illa voluntatis divinæ declaratio, qua DEUS, ut Pater benignus, ſignificavit, ſe omnibus in Chriſtum credentibus, omnia beneficia, quæ Chriſtus ſatisfactor morte ſua expiatoria acquiſivit, donare & actu applicare velle, *Teſtamentum* appelletur, quamvis hoc teſtamentum divinum non omni ex parte tale ſit, quale eſt teſtamentum humanum? Non diſſimili ratione hæc etiam ἐπερωτήματος vox fori propria, & a D. Petro Chriſtianæ doctrinæ accommodata per *ſtipulationem* recte exponitur, quamvis non omnes circumſtantiæ forenſes ſacræ huic ſignificationi reſpondeant. Et cum hoc ita ſit, non poſſunt adverſarii hac voce abuti, & aliquam ſalutis conditionem ſub ea occultare.

§. XI. Hæc obligatio ſtipulatoria in baptiſmi diſpenſatione *interrogando* & *reſpondendo* perficiebatur. Antea enim, quam Catechumeni in veteri Eccleſia ſacro fonte tingerentur, interrogati fidei confeſſionem publicam edere jubebantur. Ita Epiſcopus, aut alius quis ejus nomine baptizandum quærebat, & ſtipulabatur: ἀποτάσσῃ τῷ Σατανᾷ; reſpondebat baptizandus: ἀποτάσσομαι. Rurſus interrogatus, συντάσσῃ τῷ χριστῷ; reſpondebat: συντάσσομαι. Et cum ad reliquas interrogationes: *pœniteтne te operum mortuorum? renunciasne illis? profiterisne*

fidem in DEum triunum? credisne resurrectionem mortuorum, & ultimum judicium? affirmando responderet, se credere & abrenunciare, admittebatur ad baptismum. Hæc *stipulatio*, qua inter duos, uno interrogante & altero respondente, contractus fieri solet, non solum a Græcis JCTis, sed a Petro etiam h. l. *ἐπερώτημα* dicitur, a TERTULLIANO, *sponsio salutis* & *responsio*, a CYPRIANO autem *interrogatio baptismi*, ep. LXXVI. LXXX. Plura ea de re testimonia accumulare nolo, quæ ex TERTULLIANO, ARNOBIO, AMBROSIO, CYRILLO HIEROSOLYMITANO, OPTATO MILEVITANO, aliisque veteris Ecclesiæ Doctoribus magno numero excerpi potuissent. Nec est, ut de ritus hujus antiquitate dubitemus, quippe quo ipsos Apostolos usos esse ostendam ex Act. IIX. v. 37. Manifesta istius moris vestigia hoc in loco deprehenduntur. Philippus Eunuchum baptizari cupientem interrogat: *πιςεύεις ἐξ ὅλης τῆς καρδίας; num credis ex toto tuo corde? nec prius*, quam responderat *πιςεύω τὸν υἱὸν τȣ̃ Θεȣ̃ εἶναι τὸν Ἰησȣ̃ν χριςὸν, credo Jesum Christum esse filium DEI*, solenni immersionis ritu sacris Christianorum initiavit.

§. XII. Est igitur baptismus *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, conscientiæ bonæ fœdus, seu stipulatio cum DEO.* In eo enim DEus cum homine arctissime unitur, Christus induitur, baptizatus *ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς* liberatur, Ebr. X. v. 22. & in tranquillitate conscientiæ, jucundoque amoris divini sensu, ac fœderis firmitate, vehementissime lætatur. Ita B. LUTHERUS hunc locum interpretatus est non solum in Germanica versione, sed etiam in *Tom. II. Jenens. Germ. f. 342. col. 2. & Tom. II. Altenburg. f. 453. col. I.* Conf. B. CARPZOVIUS *in Concion. funebr. Tom. IV. p. 488.*

LXVIII.

DE JESU CHRISTO, APOSTOLO ET SUMMO NOVI TESTAMENTI PONTIFICE, ex Ebr. III. 1. 2.

§. I.

Sicut Servatoris nostri, Summi Pontificis, munus sacerdotale a Paulo in Epistola, quam ad Ebræos scripsit, peregregie illust-

illustratur & explicatur: ita præ ceteris observatione, diligentissimaque consideratione digna sunt illa verba, quando ἀπόστολον, καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, καὶ πιστὸν eum appellavit, Ebr. III. v. 1.

§. II. Christum in Summo Vet. Test. sacerdote præfiguratum, elegantissimeque depictum fuisse, a nemine in dubium vocatur, quia hoc Apostolus per totam Epistolam ad Ebræos, maxime cap. VII. v. 26. docet. Quemadmodum enim in Summo V. T. Sacerdote singularis vitæ sanctimonia, morumque innocentia ad munus rite obeundum requirebatur: ita Servatorem nostrum, aliena peccata expiaturum ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, ab omni scelere purum, sanctissimumque esse oportebat. Tantum enim abest, ut ille, qui vel minimo peccato contaminatus, pollutusque est, aliorum delicta expiare possit, ut ipse potius sacerdote indigeat, qui scelera ejus expiet, iratique Numinis gratiam restituat. Qui ipse in ære alieno, totusque obæratus est, alterius debita solvere nequit. Qui in pacificationem quandam se immittit, & mediatoris partes suscipit, commercio quodam inter partes litigantes uti, & neutri exosus esse debet. Sed peccatores DEus detestatur, longeque a conspectu suo arcet, Es. LIX. 2. 2 Cor. VI. 14. 15. Ergo verus internuncius inter DEum & homines sive mediator ac Pontifex S. non debebat esse peccatis infectus. Hoc argumentum eleganter copioseque exposuit JO. BRAUNIUS in *Libello de S. Pontifice*, qui continetur *L. III. Selectorum Sacr.*

§. III. In præsens breviter investigabo, cur Christus ἀπόστολος καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς, *Apostolus, & fidelis sacerdos S.* a Paulo h. l. dicatur? Mihi nullum est dubium, quin ad ritum quendam Vet. Test. respiciatur, quo Christi officium olim delineatum fuit. Qua in sententia valde confirmatus sum, ex quo cognovi, ipsum Summum Pontificem שָׁלוּחַ sive *Apostolum* olim dictum fuisse. Nam in magno Expiationis festo, die X. Tisri, a summo Judæorum senatu in Sanctum sanctorum, ad omnia totius populi peccata, sanguine victimarum, expianda, mittebatur. Hoc testantur legati a magno Synedrio ad S. Pontificem missi, ut eum jurejurando obstringerent ad munus rite peragendum. Codice Joma cap. I. §. 5. השביעוהו ונפטרו והלכו להם ואומרים לו אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחנו ושליח בית דין *Jurejurando obstrinxerunt eum, & abierunt, & dixerunt ipsi, Vir Sacerdos magne,*

 nos

nos sumus legati magni senatus , & tu es noster legatus , & legatus magni synedrii, id est APOSTOLUS. Quemadmodum ὁ ἀρχιερεὺς כֹּהֵן גָּדוֹל perinde ac reliqui sacerdotes, quos הֶדְיוֹטִים Talmudici appellarunt, ex hominibus sumti erant, & pro hominibus constituti, in iis, quæ apud DEum agenda erant Hebr. V. 1. Christus igitur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, *legatus & Pontifex Max. adstipulationis*, seu ut alii interpretantur, *confessionis nostræ* appellatur, non hanc duntaxat ob causam, quia ipsum agnoscimus, & confitemur pro illo insigni Apostolo olim promisso, Es. LXI. v. 1 & cap. LXIII. 1. & Propheta, Devt. XIIX. 15. 16. 18. qui missus est ad oves Israelis perditas, Matth. XV. 24. ut B. CALOVIUS putat *in Bibl. illustr. f. 1202.* sed quia in æterno SS. Trinitatis concilio spopondit, & pollicitus est ἰσόῤῥοπον redemtionis pretium pro genere humano offerre: *Ego e manu inferni redimam eos, & e morte liberabo eos*, Os. XIII. 14. 1 Cor. XV. 45. *Ego torcular calcabo solus, nec de populis quisquam erit mecum, Es. LXIII. v. 3.* Nam ὁμολογία verbum forense est, & significationem *sponsionis*, seu *promissi* & *conventi* habet, quemadmodum jam olim JO. CAMERARIUS observavit. Ille, qui stipulatur ἐπερωτᾷ, & qui spondet, ὁμολογεῖ, atque ita convenitur verbis. Nostra igitur opinione Christus ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, idem est ac ἔγγυος sive *sponsor & fidejussor*, Ebr. VII. 22. qui vadimonium de solvendo & redimendo interposuerat, Psalm. LXIX, 5.

§. IV. Summa præterea fides in Sacerdote S. ad expiationis ritum recte perficiendum requirebatur. Funesta non desunt exempla, quæ docent, nonnullos Vet. Test. Sacerdotes, in decimo mensis Tisri die, tam negligenter Expiationis munus obiisse, ut si Maimonidi fides habenda est, in ipso Sanctissimi introitu justam irati Numinis vindictam experti, & violenta morte fuerint affecti. Cum igitur metuendum esset, ne Pontifex Maximus segnior & negligentior in tam ardua re esset, vel doctrinæ pravitate infectus profanis ritibus indulgeret, jusjurandum antea de eo sumebatur, quam Expiationum solennia auspicaretur, & Judæorum senatus, totusque populus de ejus ὁσιότητι, integritate, recteque agendi studio certiores essent, id quod diserte ita docetur *in Codice Joma Cap. I.* §. V.

§. V. Christo Apostolo nostro & מלאך הברית Mal. III. v. 2. ad

ad fœdus ſanguinis effuſione DEum inter & homines ſanciendum a Patre miſſo, & Sanctiſſimum ingreſſuro, non deerat fides, ac ὁσιότης, rectumque ſtudium munus adminiſtrandi ſacerdotale. Tam ardenter enim Eccleſiam amavit, ut ſeipſum in mortem pro ea tradiderit, Eph. V. 25. eandemque divino ſuo ſanguine fuerit emercatus Actor. XX. 28. *Hic eſt*, ajebat, *totus meus cibus, ut voluntatem Patris mei faciam*, Joh. IV. 14. Chriſtus igitur S. novi fœderis Sacerdos, qui Vet. Teſt. Sacerdotes amore in homines expiandos, ac fide cumprimis, infinities ſuperavit, κατ᾽ ἐξοχὴν *fidelis*, ſive πιςὸς ἀρχιερεὺς καὶ ἀπόςολος vocatur.

LXIX.

AN CHRISTUS, qui Ebr. VII. v. 22.

ἔγγυος κρείττονος διαθήκης vocatur, ante præſtitam ſatisfactionem in Vet. Teſt. nudus fuerit FIDEJUSSOR?

§. I.

IO. COCCEJUS ejusque diſcipuli negant, Chriſtum apud fideles Veteris Teſtamenti rationem EXPROMISSORIS habuiſſe, contenduntque accerime, eum ante præſtitam ſatisfactionem in Vet. Teſt. ut nudum Fidejuſſorem ſpectandum eſſe. Legantur JO. BRAUNIUS *in Oeconom. fœd.* Vol. II. P. IV. cap. XIX. §. 6. & MELCHIOR LEYDEKKERUS *in Vi Veritatis* &c. *Libr. II. controverſ. I. p. 72. 73.* ULRICUS HUBERUS *Exercit. Juridico-Theol. de fœder. & Teſtam. Exercit. V. §. XIX.* Cocceiani, fidem aſſertioni ſuæ facturi, provocant ad cap. VII. v. 22. Epiſtolæ Pauli ad Ebræos, ubi Chriſtus vocatur ἔγγυος κρείττονος διαθήκης, *fidejuſſor*, ut exponunt vulgo, *melioris Teſtamenti.* Exinde colligunt, Chriſtum in V. T. *Fidejuſſoris* potius, quam *Expromiſſoris* partes ſuſtinuiſſe. Ceterum Reformatorum hypotheſin de fœdere Patris & Filii juxta Scripturas doctiſſime & ſolidiſſime examinavit B. noſter NEUMANNUS, in Diſput. *de Fundamento benevolentiæ DEI univerſalis* §. VII.

§. II. Ex JCTorum definitione *Fidejuſſor* ſeu *Adpromiſſor* ille eſt, qui apud creditorem pro debitore intercedit, & promittendo per ſuam fidem & periculum ſe debitori ita adjungit, ut

nisi verus debitor creditori satisfaciat, hic ipsius vices subire, debitumque plenissime exsolvere velit. At vero *Expromissor* est, qui aliena debita & obligationem plene in se transfert & recipit, ut principalis debitor statim liberetur, ejusdemque obligatio, etiam ante solutionem actualem, penitus cesset & aboleatur. Ita *Sponsor*, a creditore conveniendus, ut novus reus consideratur, usque dum actu solvat.

§. III. Hæ aliæque voces e foro civili & humanis negotiis petitæ rebus divinis caute applicari, & accurate vicissim explicari debent, utne in maximos errores, quod multis evenit, incidamus. Tametsi igitur in *Expromissione*, prout in JCTorum scholis definitur, nonnullæ circumstantiæ sunt, quæ in Christum non conveniunt: tamen, quia debita aliena in se transtulit, dum *nostra peccata in se recepit* Es. LIII. v. 4 quod præcipuum est in expromissione, Christum *Expromissorem* recte eleganterque appellari posse existimamus.

§. IV. Talis expromissor Christus jam in Vet. Test. fuit, quia ab æterno promisit plenissimam pro omnium hominum peccatis solutionem, & DEus Pater ab æterno ob vim & fructum hujus solutionis, irrevocabiliter promissæ, homines ad filiationem ordinavit, & ad vitam æternam in Christo elegit Eph. I. 4. III. 9. Omnes præterea Veteris Test. fideles remissionem peccatorum consequuti sunt, qui in Christum credebant Act. X. 43. Psalm. CXXX. 4. CIII, 3. Mich. VII. 18. 19. Inane est Coccejanorum effugium, quod in vocum παρέσεως & ἀφέσεως discrimine quærunt. HESYCHIO ceu synonyma ponuntur: παρίημι, συγχωρῶ, ἀφίημι. Idem πάρεσιν exponit per ἄφεσιν, συγχώρησιν. Si igitur fideles V. T. vere fuerunt justificati, eorumque peccata remissa, sequitur etiam, quod debitum fuerit ablatum per Christum venturum, qui illud in se transtulit, qui propterea ut *expromissor*, non ut nudus fidejussor spectari debet. Si Christus in V. T. nudus fuisset fidejussor, omnis gratia fidelibus in promisso Messia annunciata inanis, imo illusoria fuisset. Nam in *fidejussione* principalis debitor semper adhuc manet obligatus ad debitum creditori suo exsolvendum, & aliqua certe solvendi facultas in debitore supponitur, qua tamen fideles Vet. Test. perinde ut omnes homines hodienum, fuerunt destituti. His igitur, qui nihil plane solvere poterant, non nudus fidejussor, sed expromissor necessarius erat, qui cancella-

cellaret & irritum faceret peccati chirographum, ut conveniri amplius ex eo non possent.

§. V. Falsum est, vocem ἔγγυος Ebr. VII. v. 22. nudum fidejussorem notare, quemadmodum COCCEII sectatores opinantur. Græcis ἔγγυος dicitur ὁ ἀναδεχόμενος τὴν δίκην, qui se in judicio pro reo substituit, qui spondet λύτρον, τίσιν, τιμήν. HESYCHIUS ἔγγυον per ἀνάδοχον, & ἐγγυητὴν interpretatur. Ἐγγύη est ἀναδοχή. Ἀναδέχεσθαι vero idem est, ac ἐγγυᾶσθαι, vadare, vadimonium promittere, in judicio se sistere, factum vel debitum in se recipere & suum agnoscere, id quod omnino *expromissoris* est, non *fidejussoris* nudi. Christus igitur, qui aliena debita in se transtulit, ἔγγυος, sponsor & expromissor non solum in Novo, sed etiam in Vet. Testamento fuit, quod Cocceiani temere inficiantur. Conf. post laudatam CEL. NEUMANNI Disputationem, D. CHRIST. REUTERI *de Fœderibus & Test. divinis P. I. cap. 2 §. VIII.* qui hos, aliosque Cocceianorum errores erudite solideque convellit, & propterea præ ceteris evolvi legique meretur. Ex Reformatis idem magna cum laude præstitit Vir Cl. MELCHIOR LEYDEKKERUS in libello de *Filio DEI Sponsore*, quo justa ἀποδείξει probavit, Christum non pro *Fidejussore*, sed *Expromissore* coram æterni Judicis tribunali esse habendum, imo pro Sponsore, qui longe major & præstantior omni *Expromissore* esset, nec non in *Veritate Fidei Reformatæ*, in Præfat. & in Appendice p. 89.

LXX.

QUID IN EPISTOLA JUDÆ versu XIII. sint ἀστέρες πλανῆται?

§. I.

Doctores in Ecclesia, aut qui Doctorum personam sibi sumunt, usitata Ebræis ratione *stellæ* appellantur. Conf. Apoc. I. 20. & Matth. XXIV. 29, ubi stellæ cadentes sunt Doctores, a veritate divina deficientes. Hoc in loco hæretici *stellæ erraticæ* dicuntur, scita sane, elegantique translatione a *Planetis* desumta, qui cœlo infixi non sunt, sed vario vagoque cursu hinc inde oberrant.

§. II. Falluntur, qui ἀστέρας πλανήτας de meteoris & exhalationi-

tionibus ſulphureis ac ignibus fatuis, in aere diſcurrentibus, interpretantur. Hæc enim meteora ignea non πλανήτας appellat AIRSTOTELES, ſed ἀστέρας διάττοντας, ſtellas diſcurrentes & proſilientes. Contra apud Græcos Aſtronomos ἀστέρες πλανῆται ſunt ſtellæ cœli erraticæ, quæ eundem inter ſe ordinem & ſitum non ſervant, nec lumen in ſe habent, ſed illud aliunde acceptum refundunt, & mutuatitio lumine tantum ſplendent. His opponuntur ſtellæ ἀπλανεῖς, quæ cœlo videntur infixæ, eundemque motum ac ordinem ſervant. SYRUS igitur minus recte h. l. vertit, *ſtellas ſeductrices*, quia ignes fatuos, qui viatores incautos in præcipitia, loca paludoſa, aut avia quævis abducere ſolent, in animo habuiſſe videtur. Rectius ARABS vertit, *ſtellas caliginoſas*, quales planetæ omnes ſunt *in ſe*, quando a Sole non illuminantur.

III. Quod ut eo melius intelligatur, ſciendum eſt, quod duo ſint genera ſtellarum. Aliæ Græcis ἀπλανεῖς, CICERONI *inerrantes*, cœloque infixæ, dicuntur, quia unum & eundem ordinem, eaſdemque motus leges perpetuo inter ſe ſervant. Quæ cum ex ſeipſis lumen, quod in creatione univerſi acceperunt, effundant, neque illud aliunde mutuentur, communi Aſtronomorum conſenſu omnes pro totidem ſolibus habentur. Stellas fixas enim a ſole noſtro illuminari non poſſe, illud argumento eſt, quod vaſto nimis intervallo ab eo abſunt, & quod Sol noſter, fixarum reſpectu, inſtar puncti duntaxat ſe habet, quemadmodum RICCIOLUS & *de* RHEITA, aliique Aſtronomi dudum accurate docuerunt. Turpiter igitur ſe dederunt HONORATUS FABRI, & non ita pridem OZANAMUS, qui fixas non lucere, ſed tantum a Sole noſtro illuminari, & extrinſecus pingi exiſtimarunt.

§. IV. Alius plane generis ſunt ſtellæ erraticæ, vagæ & errantes, quæ πλανῆται Græcis dicuntur, quia vago curſu in cœlo oberrant, quemadmodum PLATO olim mercatores vocavit πλανήτας ἐπὶ τὰς πόλεις, quia urbes mercium cauſa pervagantur, & hinc inde oberrare videntur. Hæ ſtellæ vagabundæ prima quidem ſpecie ex ſplendoris indicio magnam cum Sole reliquisque fixis naturæ ſimilitudinem habere, ac terræ noſtræ opacæ & caliginoſæ, prorſus diſſimiles eſſe credi poſſent. Verum ſolertes rerum cœleſtium inveſtigatores dudum deprehenderunt, quod *planetis* cum tellure noſtra ingens ſimilitudo intercedat, quod maculæ, quæ in diſco Martis Teleſcopiorum ope obſervantur, aliaque argumenta pro-

probant. Nubes in medio Jove oriri persæpe deprehenduntur. In eodem Jove partes quædam reliquis illustriores & candidiores interdum conspiciuntur, quas a nive, qua montium cacumina obtecta sint, CASSINUS derivavit: HUGENIUS autem, *in Cosmotheoro*, terras albicantes esse, & nubium interpositu quandoque intercipi, acute suspicatus est. In his planetis, non minus ac in terra, & luna sigillatim, lumen decrescit, & certo temporis intervallo vicissim accrescit, quæ apparentiæ Græca suetaque voce *phases* appellantur, & in Venere etiam ac Mercurio distincte visæ sunt. Cum proinde ἀστέρες ejusmodi πλανῆται terræ nostræ persimiles, atque montibus, pratis, herbis, sylvis, aquis & rupibus, perinde, ut terraqueus noster globus, abundare videantur, ideo illos etiam a viventibus inhabitari crediderunt FONTANELLIUS, homo Gallus in Dialogo *de pluralitate mundorum*, Gallice primum edito, & CHRIST. HUGENIUS *in Cosmotheoro*, aliique veterum Philosophorum non pauci, quos omnes recensere non vacat. Quam opinionem rerum naturæ non repugnare RICH. BENTLEIUS *in stultitia Atheismi* p. 379. demonstrare conatur. A veteribus, & hodie a vulgo, & rerum cœlestium imperitis, non nisi septem planetæ numerantur. Sed longe plures diligenti telescopiorum usu superiori seculo detecti sunt. Communi Mathematicorum consensu *sedecim* hodie in nostro vortice conspiciuntur, quos dividere solent in *primarios*, quorum sex sunt, videlicet Mercurius, Venus, Terra, Mars, Jupiter & Saturnus: & in *secundarios*, quo lunam, terræ nostræ comitem, quatuor Jovis & quinque Saturni satellites referunt. Præterea cum quævis stella fixa ejusdem, cujus Sol, naturæ esse ab Astronomis supponatur, fieri omnino posse censent, ut earum unaquæque suis stipata sit planetis, licet ob vastissimam distantiam oculos nostros effugiant. & ne telescopiis quidem conspici possint. Conf. R. BENTLEIUS l. c. p. 330.

§. V. Et hæc quidem constans hactenus firmissimaque recentiorum Astronomorum opinio fuit de planetarum numero, ordine, & divisione. Nuper tamen CONYERS PURSHALLUS, Anglus, publice negare ausus est, Jovem & Saturnum, quos Planetis primariis adnumerari diximus, a Sole illuminari. Inter argumenta, quibus, ut sic sentiat, motus est, hæc refert: Quod 1) per telescopia semper toti appareant illuminati: 2) quod satellites suos illuminent, qui prorsus obscurati sint, si pars Satur-

ni vel Jovis opposita, a nobis avertatur, utut altera Soli obvertatur: 3) quod interna annulli Saturni superficies semper illuminetur, cum externa Soli nostro opposita tenebris sit involuta. Exinde colligit Jovem atque Saturnum suorum satellitum Soles esse, quemadmodum Sol noster sit Sol suorum satellitum Veneris atque Mercurii. Quid hisce observationibus veri insit, quid erronei, peritiores judicabunt. Nos nunc eo, unde dilapsi sumus, revertimur, ut ex doctrinis hisce Judæ mentem illustremus paulo, & interpretemur. Ceterum videri possunt *Acta Erud. Lipſ. 1707. p. 364.*

§. VI. His stellis erraticis & in se caliginosis Apostolus hæreticos comparat, sive Carpocratiani, quemadmodum GROTIUS suspicatur, intelligantur, sive, ut aliis videtur, Simonis Magi sectatores, & Nicolaitæ spectentur, parum refert, quia de eo nunc non disputatur. Hæretici enim in eadem statione & doctrina ab Apostolis tradita se nunquam tenent, sed inter varios fidei errores hinc inde oberrant, controversiæ statum, quando urgentur, immutant, & aliter denuo refingunt, ut nusquam fixam teneant sedem. Ob hanc igitur errorum inconstantiam, & opinionum mutationem ἀστῆρες πλανῆται pervenuste appellantur, perinde fere ac Heraclius Imperator milites desultorios *planetas castrorum* appellare solebat. Conf. TIRINUS *in h. l.* Et quemadmodum stellæ erraticæ a mundi statim exordio corpora opaca sunt, innata propriaque luce destituta, & extrinsecus solum a Sole illuminantur, interiori caligine manente: ita falsi Doctores a carnali nativitate sua filii iræ ac tenebrarum sunt, interiorique ac puriori cœlestis doctrinæ luce destituti, qui aliquem veritatis divinæ splendorem exterius mentiuntur, interius vero obscuris pravæ & detestabilis doctrinæ tenebris perhorrent. Et quamvis sidera lucidissima, magnaque Ecclesiæ lumina videri velint, tamen quia pro veritate errores offundunt, ὁ ζόφος τοῦ σκότους, infernalis caligo eos exspectat. Conf. BEZA *in h. l.*





ORA-

ORATIO
DE
ISRAELITARUM ÆGYPTIACORUM INGENIO,
IN QUA
COMMENTUM DE EORUM STUPORE REFELLITUR, ET RELIGIONIS ATQUE HISTORIÆ MOSAICÆ FIDES ET AUCTORITAS CONTRA ATHEOS AC THEORISTAS NONNULLOS IN ANGLIA VINDICATUR,
IN
SOLENNI PATRUM CONSESSU VITEMBERGÆ
M DCC VII. IPSIS NONIS SEPTEMBR.
PRO SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS IMPETRANDIS RECITATA.



MAGNIFICE ACADEMIÆ
PRO-RECTOR,
VIRI

SUMME REVERENDI, MAGNIFICI,
CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, PL. REVERENDI, PRÆCELLENTISSIMIQUE,

Tu denique florentiſſima & in ſpem patriæ
nata ſtudioſæ juventutis corona.



Iviniotis Scripturæ auctoritatem, hodierno imprimis tempore, varia ac multiplici ratione labefactari noſtis, impiosque ac deteſtabiles ſeculi mores mecum peracerbe deploratis. Sunt enim qui neglecto rejectoque verbo divinitus patefacto, interius ac connatum quoddam mentis lumen jactant, & more fanaticis recepto omnia turbant. Sunt, qui Scripturæ integritatem in dubium vocant, eandemque non tam ad Criticorum regulas, quam ad arbitrium ſuum libidinemque in omnes, quas cupiunt, partes fingunt & refingunt: quod vitium Anglis fere Belgisque interpretibus proprium eſſe obſervavi. Nec deſunt, qui ex intempeſtiva profanorum auctorum collatione, vaniſſimaque ingenii ac eruditionis ſecularis oſtentatione plus damni, quam emolumenti, plus tenebrarum, quam lumi-

luminis ſacris literis intulerunt, quod infelicia multorum interpretum exempla confirmant.

Nulla tamen opinio peſtilentior, nulla ad evertendam religionis Moſaicæ, totiusque Scripturæ auctoritatem aptior mihi videtur, quam pervulgata illa, receptiſſimaque recentiorum quorundam aſſertio, Moſen videlicet mundi a DEO conditi origines, cum ipſo diviniore cultu, non ſicut ſe habuerunt, ſed prouti ſtolido Ægyptiacorum Iſraelitarum ingenio, illas accommodatas eſſe credebat, deſcripſiſſe. ATHEI enim, Iſraelitas Ægyptiacos rudes, omni elegantioris doctrinæ intelligentia, ingenioque ad res ſublimiores cognoſcendas, omni item humanitate ac pietate in DEUM vacuos, ac tantum non brutos fuiſſe, vociferantur. Quem incredibilem gentis ſtuporem vel ipſius Moſis ingenio confirmari poſſe credunt, qui adeo *inepte* (venia ſit verbo) adſpectabilis hujus mundi exordium, originumque incrementa atque progreſſus deſcripſerit, ut facile intelligatur, eum hiſtoriæ naturalis valde imperitum fuiſſe, cum rerum ab initio conditarum deſcriptio, unde libros ſuos exorditur, a motus, naturæ, ac totius Philoſophiæ regulis tantopere diſcrepare videatur.

Permulti ex hodiernis Philoſophis, ut crimen ἀθεωρίας MOSI, ſcriptori, divino afflatu ad ſcribendum excitato, objectum, diluant tollantque, ac Atheos profligatæ nequitiæ convincant, contendunt, Moſen virum ſapientiſſimum, ſummisque ingenii viribus ornatum, nec rerum Mathematicarum & naturalium imperitum, ſed ſatis idoneum fuiſſe, qui rerum initia exponeret, & ſecundum Geometriæ ac motus leges accurate delinearet. Obſtitiſſe autem rude, ſtolidum, ac tantum non brutum Iſraelitarum ingenium, quo minus ad Philoſophiæ regulas, ſed rudi duntaxat Minerva, ac incondite ſatis mundi hiſtoria conſcriberetur. Offenduntur enim vehementer diviſione rerum conditarum in cœlum & terram, quam, *diviſioni maris in guttam & Oceanum*, perſimilem videri ajunt. Nec explicari poſſe credunt, cur productio terræ noſtræ, quæ ad totam hanc rerum univerſitatem vix puncti rationem habet, ſola deſcribatur, maximorum vero corporum cœleſtium obiter tantum, & in quantum globulo noſtro inſerviunt, mentio a Moſe fiat, niſi populi Iſraelitici ſtuporem obſtitiſſe dicamus. Multis præterea perabſurdum videtur, quod terræ noſtræ, tam exilis contemnendique cor-

corporis, formationi & exornationi, quatuor integri dies a Mose attribuuntur, dum Sol interea, ac infinita stellarum tum errantium, tum cœlo infixarum, ac totidem Solium, multitudo, in unius diei opus compinguntur. MOSES, quemadmodum nostis, ad terricolarum utilitatem omnia refert: Nostris autem Philosophis veri non fit simile, tot millia corporum vastissimorum, inconspicuorum & immensorum, immensisque distantiis a nobis remotorum, in gratiam solius terræ globuli, aut incolarum ejus, condita fuisse. Idem rude Israelitarum ingenium Mosem impedivisse censent, quod corpora illa cœlestia nobilissima, variis immensisque distantiis a terra hac remota, non aliter descripsit, quam ut appendices telluris nostræ, & ut luminaria ignea in superiore aeris nostri regione, quam cum Græcis *atmosphæram* appellamus, collocata, & ad eam non secus pertinentia, quam nubes, aut alia aërea meteora: item quod mentio fiat mane & vesperæ, adeoque dierum, antequam Sol luminis fons & dierum causa, ac reliqua cœli luminaria a DEO condita commemorantur.

Non subsistunt ATHEI, sive ut hodie appellari malunt, DEISTÆ, in sola mundi conditi historia, sed omnem fidem Mosi erepturi, ad diluvii descriptionem, quam dedit, progrediuntur, falseque rident, quod universum terrarum orbem tam stupenda aquarum mole obtectum fuisse narrat. Nam dicere, quod universus mundus eodem tempore aquis perierit, non minus ineptum esse censent, quam si adfirmes, *hominem aliquando sputo suo submersum, suffocatumque fuisse.* *

Hæc aliaque incommoda sexcenta, quæ a religionis Mosaicæ, Scripturæque hostibus proferuntur, depelli, diluique posse, multi ex hodiernis Philosophis, Anglis præsertim, acutissimique ISAACI NEWTONI discipulis, quod merito mireris, desperant, nisi stolidas Israelitarum mentes, & torporem ingeniorum obvertamus, ac Mosem sese bruto, rudique illorum captui, accommodasse, existimemus. Sed ô monstrum opinionis horrendum, fœcundamque plurimorum malorum lernam! Hæc est illa sententia, qua occupatus JO. SPEN-

* Videatur WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist* P. II. p. m. 184.

SPENCERUS, * vir certe eruditissimus, in eam abiit opinionem, veteris Instrumenti leges, a DEO per Mosen populo Israelitico latas, ex Ægyptiorum institutis desumtas fuisse. Quibus ex lacunis sacratissima quæque religionis Mosaicæ capita arcessere maluit, quam fateri, DEUM leges illas rituales ex prima sui origine in arcanarum rerum typos ac figuras ordinasse. *Nihil enim probabilitatis habere* opinatur, *DEUM hebeti & inculto populo legem perpetuis mysteriis scatentem tradere, & eos, qui vix dum sordes, a lateribus Ægypti contractas, abluissent, rebus tantum mysticis exercere voluisse?* ** Et certum esse, *Judæos etiam antiquiores, ultra rituum corticem & superficiem ad sensa, si quæ laterent mystica, minime penetrare potuisse.* *** Quin imo cum statim sub initium Libri primi supponat, *DEO rem fuisse cum præfracto, rudi & semipagano populo*, par fuisse credit, *ut legibus hisce ritualibus, solum* τὸν ἔξω ἄνθρωπον *exercentibus, gentem tam rudem ad obsequium erudiret, & jugum imponeret, ad indomitæ illius juvencæ ferociam frangendam, aptum & accommodatum.* Intelligitis, AUDITORES, totius molis structuram non alio inniti fundamento, quam Israelitarum stupiditate, quam sub Ægyptiorum servitute, ipsa humanitate pene exuta, contraxisse dicuntur. Cum igitur sub Ægyptiorum jugo tam stupidi fuerint effecti, ut viderentur trunci potius & fungi, quam homines Philosophiæ capaces, Mosem, rerum origines descripturum, se non minus ad obtusos miselli istius populi sensus attemperare debuisse, quam ipsum DEUM T.O.M qui ex MARSHAMI † atque SPENCERI judicio, Israelitas a superstitione Ægyptiaca, cui fuerant innutriti, revocaturus, hanc rationem inivit, ut idolorum cultu sub capitis pœna iis interdiceret, multosque antiquos ritus, qui peccati exemplum vel occasionem præberent, aboleret: alios autem non

* JO. SPENCERUS, Theologus Anglus, anno superioris seculi LXXXV. Cantabrigiæ in lucem emisit *Libros Tres de Legibus Ebræorum ritualibus & earum rationibus*, opus multa cura, labore, eruditionis apparatu elaboratum.

** *L. I. cap. XI. Sect. IV. p. m. 289.*

*** *L. II. cap. IV. Sect. I. p. m. 389. Edit. Lips.*

† JO. MARSHAMUS, Anglus, Eques Auratus, *in Canone Chronico, Ægyptiaco, Ebraico Græco, p. m. 189. Ed. Lips.*

non paucos, quos INEPTIAS NORAT MAGIS TOLERABILES, & ad myſterium aliquod adumbrandum aptiores, in ſacrorum album, paululum emendatos, transſcriberet.

Ego vero, quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit! Oratione hac auſpicali omne iſtarum opinationum fundamentum ſubruam, & poſtquam idoneis rerum argumentis evicero, Iſraelitis tam rude, ſtolidumque ingenium non fuiſſe, quale ipſis adfingi & adſcribi ſolet, ad illa etiam dubia, & incommoda, quæ ex Moſaica hiſtoria adferuntur, breviter ſtrictimque reſpondebo. Antea autem, quam de argumento hoc nec ineleganti, nec mea perſona, & loco hoc indigno, dicere ingredior, VESTRUM favorem PRO-RECTOR MAGNIFICE, AC PATRES CONSCRIPTI, mihi exorabo, operamque dabo, ut ſi non oratione ad artis leges ſcite eleganterque elaborata, brevitate certe, & veritatis defenſione, me VOBIS placere voluiſſe exiſtimetis.

Exorata a VOBIS dicendi venia, prompto & alacri animo ad ipſum inſtitutum accedam propius, atque de INGENIO ISRAELITARUM ÆGYPTIACORUM disquiram. In exponenda *ingeniorum* indole mire inter ſe diſſentiunt auctores, qui cum HUARTO, NEUHUSIO, & IMPERIALI paullo diligentius ea perveſtigarunt. Ingenioſos enim modo ab intelligendi vi nuncupant, modo ipſam imaginationem pro præcipua ingenii parte habent, modo in intellectus ac phantaſiæ vi, modo in cognoſcendi imaginandique facultate, ac ipſa memoria ingenium conſiſtere ſibi perſuadent.

Nos opinamur, ingenium quidem ſolius mentis vim eſſe, ad promptam tamen ejus uſurpationem & applicationem certam corporis ſtructuram, mixtionem, ſanguinisque temperiem, imprimis autem legitimam cerebri conformationem, & liquorem nerveum valde depuratum, ſubtilem ac ſufficientem neceſſario requiri. Quemadmodum enim mens multas alias operationes ſine motibus corporis, cum quo arctiſſime nexa eſt, perficere nequit, & in functionum ſuarum executione liquidi nervei ac fibrarum cerebri habitudinem ſequitur: ita etiam ad exſerendam ingenii facultatem his veluti inſtrumentis opus habet. Ab hac diverſa cerebri fabrica, & liquoris nervei indole, ipſam ingeniorum diverſitatem proficiſci, multis idoneisque argumentis moti arbitramur. Etenim cum mentes humanæ ſubſtantiæ cogitantes, & omnes natura

sua ejusdem perfectionis sint, non potest profecto ingeniorum varietas aliunde, quam ex vario corporum humanorum discrimine deduci. Accedit & hoc, quod pro varia corporis humani constitutione, pro diversa hominis ætate, mentis exercitatione, otio, morbis corporis, quin imo, pro mutata vitæ victusque ratione, & ipsius denique regionis, in qua alimur, & spiritum ducimus, varietate, ipsa ingenia varie immutentur & modo acuantur & exaltentur, modo debilitentur, aut etiam penitus corrumpantur. Quam ob caussam intelligentes Medici cum ingeniorum vigor languet vel deficit, non menti, sed corpori auxilia ferunt & applicant, quia usu cognoverunt, ingenii vires a textura corporis pendere, & ab illius vitiis labefactari.

Quamvis igitur cum ingenio, quod in cognoscendi, inveniendique facilitate cumprimis situm est, judicium, seu firmum stabilemque distinguendi juxta ac eligendi vigorem, felicemque memoriam rarius in uno homine conjungi videamus, quia singulæ hæ mentis facultates peculiarem cerebri structuram, singularemque totius corporis conditionem requirunt: tamen ingeniosos omni judicii, imaginationis ac memoriæ facultate carere hautquaquam posse, certum nobis exploratumque est. Quapropter illi demum ingenio valere censendi sunt, quibus animus est docilis, qui ad ardua nati, & vigore naturali præditi, nec non in rebus inveniendis & addiscendis, expediti, in abscondita rerum momenta facile penetrant, ac difficultates, quæ aliis negotium facessunt, eosdemque in rebus inveniendis diu multumque morantur, feliciter superant, facileque perrumpunt.

Nunc ostendam, talem ingenii vim Israelitis Ægyptiacis non defuisse, si præmonuero, me non in ea opinione versari, quod omnes, quotquot in gente hac, multitudine innumerabili, continebantur, acris & excellentis ingenii fuerint, quia nulla natio tanta felicitate fruitur, ut nullas habeat *sues*, quod ajunt, *Boeoticas*. Si inter ipsos Athenienses non defuerunt homines adeo crassæ Minervæ, ut in aëre Bœotico nati viderentur: Contra, si ipsa vervecum patria ingenia sua quandoque profert, & PINDARUS, Lyricorum princeps, in Bœotia, quæ ob crassiorem aerem stupidiores incolas procreare credebatur, natus est: quis dubitet, in optima saluberrimaque terra stupidos & obtusioris ingenii homines quandoque vel nasci, a Parentibus præsertim effœtis, languidis, stupidis, ebriosis, senio confectis, laboribusque fractis; vel ex morbis, aut er-

rore

rore victus tales fieri posse? Satis inpræsens fuerit, ostendisse, nullas idoneas subesse caussas, cur de ISRAELITARUM ÆGYPTIACORUM INGENIO dubitemus, & illas enumerasse rationes, quæ nos permovere possunt, ut credamus, gentem istam a DEO in peculium electam, tenerrimeque amatam, docilem valde ingeniosamque fuisse.

Artis salutaris Antistites multas variasque caussas recensent quæ proventum ingeniorum vel inpediunt plane, vel ingeniorum certe vim debilitant atque frangunt. Quo pertinet crassior ac nebulosa aëris constitutio, liberam corporum perspirationem impediens; loca item nativitatis & educationis uliginosa, aut ventis impervia, ita ut fluidæ, inutiles, & excrementitiæ corporum impuriorum partes extrudi, & dissipari non possint. Perduntur ingenia vel contusione & vulneratione capitis, nimia item nutritione, ebrietate, & immoderato vini usu; a quibus tamen caussis Israelitarum ingenia in Ægypto corrupta non fuerunt, nec corrumpi potuerunt.

Nati quippe erant in Ægypto, fertili & peramœna terræ parte, fœcundaque elegantissimorum ingeniorum genetrice. Qui de nimio & intolerabili Solis æstu conqueruntur, & pro vitio regionis habent, *illi non cogitant, ardorem Solis ex minima radiorum obliquitate oriundum, cum annua Nili exundatione, quæ sub Junium mensem incipit quotannis, cum ventis e Septentrione spirantibus, & ipsis interdum imbribus ** mitigari. Aere ibi fruebantur puriore atque salubri, qui cum massa sanguinea se permiscebat, & impuriores partes subinde expurgabat. Ex quo non potuit aliter fieri, quin partium fluidarum stagna impedirentur, & homines, vitali humorum circuitu conservato, ad quasvis actiones prompte recteque obeundas, idonei redderentur.

Præterea si generosi ingeniosique Parentes, egregii, ac sui similem ingenii, prolem communiter fere relinquunt, maxime, quando ad indolis, naturæque præstantiam solers educatio, & prudens accedit disciplina, quid, quæso VOS, gente Israelitica ingeniosius, quid elegantius cogitari potest? Illorum Parentes, a quibus ortum ducebant, mente sani & corpore firmi erant. Illo enim

* L' air d' Egypte est extemement mal sain, à cause des grandes chaleurs; ce qui cause bien souvent des maladies facheuses. L. MORERY *Diction. Historique Tom. II. f. m. 404.*

** V. WAGENSEILII *Sota p. m. 301.*

tempore corpora hominum modico labore exercebantur, cibi concoctu faciles adsumebantur, temperanter vivebatur, idonea quietis motusque habita ratione, ex quo salutari vivendi genere non potuit non ingens corporis robur ac firmitas sequi, & grandæva vita acquiri, sanitate ac ingenii felicitate in seros usque nepotes propagata. Secus ac hodierno fieri solet tempore, quo genio indulgetur, comessationes, & compotationes in multam noctem sæpe protrahuntur. Quo inhumano vitæ genere corpus redditur morbosum, vires ingenii franguntur, ingeniique jactura ac imbecillitas in ipsos liberos diffunditur atque propagatur.

Requirit ordo, ut Israelitarum etiam educationem, quam pii sapientissimique eorum progenitores, ab ABRAHAMO inde, ad exitum usque ex Ægypto, constanter tenuerunt, intueamur. Nam a Majoribus peringeniosis orti, ipsius naturæ beneficio non solum ingenium felix ac docile acceperant, sed in quavis etiam doctrina, cum divina, tum humana, liberaliter instituti illud magis magisque expoliebant.

De ABRAHAMO hoc dubitandum est minus, quo luculentius, certiusque est Spiritus S. testimonium de ejus egregia educandorum & instituendorum liberorum ratione. Nam toti suæ familiæ, filiis non tantum, sed universæ servorum turbæ præcepisse, legitur, *ut custodirent viam Jehovæ, & ut facerent justitiam atque judicium.* * Cum autem tantus & tam divinus Vir præter doctrinam morum, naturali etiam scientia, ac universa Chaldæorum sapientia, mirifice fuerit excultus, quo nomine ab omni retro antiquitate celebratur, opinari par est, eum & veræ religionis Doctorem, & artium præclarissimarum Magistrum suis extitisse. Nefas esset, ea de re amplius dubitare, cum Phœnices ac ipsos Ægyptios, rudes antea, erudivisse, & sigillatim Sacerdotes Heliopolitanos, cum quibus familiariter versabatur, Astrologiam, quam ex Oriente secum attulerat, edocuisse, traditione perantiqua feratur. ** Quemadmodum vero extra omne

* Genes. XIIX. v. 19.

** ABRAHAMUM Phœniciis non solum, sed Ægyptiis etiam Astrologiam, aliasque doctrinas liberaliter communicasse JOSEPHUS asseverat *Antiquit. L. I. cap. VII. & VIII.* EUPOLEMUS apud ALEXANDRUM POLYHISTOREM, citatum ab EUSEBIO *Præp. Evangel. Libr. IX. cap. XVII.* &

omne dubium eſt, diviniorem cultum, doctrinasque inde ab Abrahamo ad ſeros usque nepotes propagatas fuiſſe: ita nec diſciplinas, paternasque ſcientias protinus abjectas, neglectasque fuiſſe, exiſtimare debemus, cum præſertim ISAACUM atque JACOBUM, viros & moratos, & omni doctrinarum genere excultos, in tuendis ac propagandis Patrum inſtitutis, totos fuiſſe legamus.

JACOBUM certe apprime doctum, & Philoſophiæ naturalis peritum fuiſſe, argumento ſunt, ingens pecudum multitudo, maximæque divitiæ, artificio naturali brevi tempore acquiſitæ, quas ſine interiori naturæ cognitione & peritia imaginationis excitandæ & confirmandæ, nunquam confecutus eſſet. Quas artes JACOBUM filiis, quorum permultos habebat, tradidiſſe, dubitari nequit. Si igitur filii hi tam egregie, tam pie a Patre inſtituti diſciplinæ Paternæ tenaces, diligentesque fuerunt, in ſuis familiis erudiendis, quemadmodum veri omnino ſit ſimile; imo, quod res maximi momenti eſt, ſi ipſe JACOBUS in Ægypto *ſeptendecim* annos, ſicut ſacræ literæ id teſtantur, vixit, & ſenectute confectus, non niſi piæ ſapientique nepotum inſtitutioni vacavit, non potuere non ad divinam humanamque ſapientiam, & varias ſcientias, quæ illa jam ætate apud vicinas gentes invaluerant, magnoque in pretio erant, manuduci, & ita expoliri, ut inter omnes excellentis & ſingularis ingenii laude eminerent.

Quid de JOSEPHO commemorare poſſum, AUDITORES, quod illius laude, ac rerum in Ægypto ſapienter & præclare geſtarum gloria dignum eſſe videatur? Nam & ipſos Pharaonis Proceres erudiviſſe, & ſenatoribus regni ſapientiam inſtillaſſe, teſtimonio DAVIDIS, Vatis diviniſſimi, docemur.* Excellens in JOSEPHO ingenium fuiſſe, JUSTINUS, Trogi Pompeii Epitomator, non ſolum, tradit, ſed eundem etiam vehementer laudat. Iſignem fuiſſe Aſtrologum ingeniumque habuiſſe ad iſtas diſciplinas accommodatum formatumque, ſomnium illud de Sole, luna, & undecim ſtellis, ſeſe ad pedes ejus proſternentibus, quod de noctu per ſomnium ei obvenit,

 haut

& ARTAPANUS apud eundem EUSEBIUM *l. c. cap. XVIII.* Modernorum quorundam nugas, qui hoc inficiantur, recte exploſit P. BAELIUS *in Diction. Hiſt. Crit. T. I. f. 33. ſub voce* ABRAHAM.

* *Pſalm CV. v. 22.*

haut obſcure declarat. Paucis multa complector, ſi dixero, JOSEPHUM & eruditione, & rerum gerendarum prudentia, omnes Ægyptios ſuperaſſe. Ægyptios ſuperavit, gentem doctrinæ & ſapientiæ laude, per totum terrarum orbem celebrem, & tanti æſtumatam, ut Græcorum Philoſophi, diſcendi cauſa, Ægyptum frequenter adirent, quo non ſolum in ſacris, & DEorum myſteriis initiarentur, ſed ut in erudito pulvere imprimis, & corporum dimetiendorum ratione, ac rerum cœleſtium ſcientia, aliiſque ſeverioris argumenti doctrinis, inſtituerentur. Ægyptum ſe adiiſſe prædicat ORPHEUS in adſcriptis illi *Argonauticis*, ut reconditas Ægyptiorum diſciplinas hauriret. Ipſum THALETEM vetuſtiſſimum Græciæ Philoſophum, qui circiter *trigeſimam quintam* Olympiadem floruit, illuc, condiſcendæ Philoſophiæ cauſa, profectum fuiſſe, veteres memoriæ produnt. Quem morem deinde tenuerunt e priſcis Græcis plerique, & quotquot ad doctrinæ non vulgaris laudem adſpirarunt. Quæcunque de rebus divinis a Græcis diſputata ſunt, ex ſcholis Ægyptiorum ortum ducunt, quemadmodum PLATO, aliique candide fatentur. Idem argumentum perſequuntur DIODORUS, PROCLUS, JAMBLICHUS & PLUTARCHUS, qui narrant, antiquiſſimos, clariſſimoſque Græcanicæ eruditionis, & Philoſophiæ Antiſtites, DÆDALUM, MUSÆUM, HOMERUM, SOLONEM, PHERECYDEN, PYTHAGORAM, LYCURGUM, ANAXAGORAM, DEMOCRITUM, EUDOXUM, ARCHIMEDEM, alioſque, in Ægytum, philoſophandi cauſa ſe contuliſſe. Inveſtigate, & perquirite rationes, unde Ægyptus, depoſita priſtina barbarie, tot tamque præclaris artibus & doctrinis exculta ac mitigata fuerit? Deprehendetis, Ægyptios vetuſtiſſimos Aſtrologiam ab ABRAHAMO, quemadmodum perantiqua fert traditio, didiciſſe, doctiores deinde, & rerum naturalium atque civilium peritiores factos eſſe a JOSEPHO, cui INGENII SOLERTIAM & ſomnia interpretandi peritiam adſcripſit JUSTINUS, Hiſtoricus Romanus; denique a reliquis JACOBI filiis, quos eadem Patris educatio formarat, in terra Goſenis, magis inſtitutos expolitoſque fuiſſe. *

JOSEPHI, totius Ægypti Præſidis, ætate, gentem hanc in multis egregiiſque Philoſophiæ capitibus excelluiſſe, locorum muni-

* Pſalm. CV. v. 22.

munitorum, Pyramidum, ac Palatiorum splendidiorum exstructio, nec non illa laterum coquendorum cura, unde Israelitarum durissima servitus orta, satis docent. Nec *Geometria* carere poterant Ægyptii, ad inveniendos, figendosque agrorum limites, annua Nili eluvione turbatos atque submotos. * Has tamen scientias, rudes ab initio & impolitas, exercitatione lapsuque temporis magis excoluerunt, & ita amplificarunt, ut non indignæ haberentur, in quibus ipse MOSES institueretur.

MOSEM vero quando commemoro, Virum memoro prudentia rerum gerendarum, Philosophiæ abstrusioris cognitione, novarumque artium inventione vere illustrem. Non disquiram inpræsens, an eadem tempestate Chemiæ studia, atque artificia secretiora Ægyptiis cognita fuerint, quemadmodum EDMUNDUS DICKINSON opinatur. MOSEM certe in illis insigniter exercitatum fuisse, confidenter pronunciabo, argumento nisus aurei vituli, quem igne non vulgari, quo aurum ita comminui nequit: sed artificiali, & nobis hodie incognito, in minutissimum pulverem redegit, ut in aqua dissolvi, & ad bibendum dari posset. His subsidiis instructus, & quod caput rei est, diviniore Spiritu excitatus atque actus, ad describendas mundi origines accessit, earumque causas populo suo ita explicatas reddidit, ut haut difficulter intelligatur, neminem omnium mortalium ad tradendas rerum origines magis idoneum fuisse. Propterea non domi magis, quam foris magni semper æstumata fuit Viri integritas atque sapientia, cum perpetua rerum gestarum gloria conjuncta. DEUS non tantum testatur, *Mosen in tota domo sua fidelissimum fuisse*, ** sed homines etiam, a Judæorum partibus alienissimi, laudibus neminem magnificentius extollunt. Nam Mosen CHALCIDIUS τὸν προφήτην, & PLATO Νομοθέτην, *per excellentiam* vocant. Similiter EUPOLEMUS τὸν πρῶτον Σοφὸν, NUMENIUS autem Σοφώτατον appellarunt. Neque est, ut existimemus, unum duntaxat, alterumque ex innumerabili illa Israelitarum multitudine ingenii excellentia eminuisse, & ceteros rudes, stolidosque superasse. Nam a sapientibus instituebantur rudiores, saluberrimisque Progenitorum suorum præceptis atque doctrinis imbuebantur, ut ingeniosi fierent

* Videatur SCHOLIASTES ÆSCHYLI ad *Prometh. vers.* 812, & STRABO *Libr. XVII. p.* 542.

** *Numer. XII.* 7.

fierent atque docti. Et cum Ægyptii ingenii, rerumque inventarum laude excellerent, veri fit simile, Israelitas eos in disciplinis addiscendis, novis artibus inveniendis, inventisque expoliendis & amplificandis, sicut fieri consuevit, æmulatos esse, cum præsertim scientiarum peritis, Medicis videlicet, Mathematicis, & Astrologis, iidem honores in Ægypto deferrentur, qui Sacerdotibus illius gentis exhiberi solebant. Neque hæc conjectandi & argumentandi ratio me fallit. Israelitas enim ex Ægypto egressos, gentem peringeniosam, variisque artibus instructam fuisse, exinde apparet, quod tot egregii cælatores tam in metallis, quam in lignis, tot suffitores, tot gemmarii, destillatores, unguentarii, acupictores, tot utriusque sexus artifices, qui in arcæ ac tabernaculi exstructione ingenium satis probarunt, inter illos reperiebantur.

Tantum igitur abest, ut Israelitas Ægyptiacos hebetem, rudem, brutum, stolidumque populum fuisse concedamus, ut potius, idoneis rerum argumentis confirmati, existimemus, vix ullam istius ævi gentem sagaciorem, vel sapientiorem exstitisse.

Reliquum est, AUDITORES, ut scrupulos, qui multorum animis permolesti sunt, tollam, & ad Adversariorum argumenta, quibus hac in causa præcipue nituntur, VESTRA pace respondeam. Permulti equidem rationibus a nobis breviter; pro instituto, enumeratis, moti, fatebuntur, Israelitas, sub prima incolatus Ægyptiaci tempora, Patrum institutione excultos, ingenio valuisse. Existimabunt tamen, eorum posteros, longo Ægyptiis usu junctos, dura ac diuturna servitute oppressos, sensim paulatimque obbrutuisse. Alii enim dum lateres coquere, quidam stipulas undique corrasas convectare, pars lutum apportare, omnes vero servilibus ministeriis intenti vitam agere, nulla a misera servitute quiete data, cogebantur, & ab operum exactoribus pugnis fustibusque ad absolvenda singulorum dierum pensa, adigebantur, de rebus cœlestibus, pristinisque Patrum doctrinis vel retinendis, vel tuendis & propagandis, ne cogitare quidem potuisse. * Hoc præcipue argumento inducti credunt, Israelitas Ægyptiacos, prolem ab ingeniosis hominibus ortam, tam repente degenerasse, omnesque ingenii sui vires decoxisse.

Cum

* JO. SPENCERUS *l. c. L. I. cap. I. p. m. 30.*

Cum autem ſub exprobratione Iſraeliticæ ſtupiditatis impia non tantum Philoſophiæ, ſed Religionis etiam Moſaicæ diffamandæ ratio delitſcat, quemadmodum EDM. DICKINSONUS * recteobſervavit: & Athei facile contemni poſſeputent DEUM, qui non niſi ſtolidos, ac brutos ſui cultores habuerit, omnemque cultum ad imbecillem exulis iſtius, & vagabundæ nationis, ut impie loqui ſolent, intelligentiam accommodarit: ego cum exiſtimationi Moſis, tum famæ inclytæ gentis, maxime autem Scripturarum autoritati & religionis Moſaicæ divinitati conſulturus, evincam, ſervitutem Ægyptiacam adeo gravem ſævamque non fuiſſe, ut Iſraelitas omni corporis remiſſione, animique laxamento privaret, ingenia labefactaret, omnesque mentis vires & facultates immutaret, peſſumdaret atque deleret. Audiamus ipſos Iſraelitas. Hi enim, in libertatem aſſerti, & ex Ægypto, tanquam ex *fornace ferrea* educti, ſponte fatentur, *ſibi in Ægypto bene fuiſſe.* ** Nec aliam ob cauſam de reditu toties cogitarunt. Neque tam diuturna fuit illa vexatio, ac multi credunt, cum ante Mirjam natam, quæ a *peramara* Iſraelitarum ſervitute nomen accepit, vix incepiſſe videatur. Nam ante, & paullo poſt JOSEPHI ac fratrum exceſſum Iſraelitarum res in tranquillo atque felici ſtatu erant. Deinceps demum meritorum Joſephi memoria temporis diuturnitate deleta cum in immenſum excreſceret Iſraelitarum multitudo & Rex novus forte externus vel *Aſſyrius* vel *Arabs*, regni ſolium occupaſſet, de minuendo Iſraelitarum numero, frangendisque populi viribus, cruenta ſæviſſimaque conſilia agitari cœperunt, ne res novas aliquando molirentur, & vel ipſos indigenas ſubjugarent iſti peregrini, vel hoſtibus, ſi bellum exoriretur, accederent, vel terram divinitus promiſſam occupaturi ex Ægypto egrederentur. Magna igitur exactorum ſævitia ad pendenda tributa & ad opera ſervilia, compulſi fuerunt, quod libertati adſuetis & delicatis animis, qui delicias Goſſenis, terræ tam fertilis, tam diu ſine ullo vectigalis, vel operis ſervilis impoſitione, perceperant, duriſſimum & plane intolerabile videbatur, cum præſertim ad ſervitutis duritiem immanis illa crudelitas accederet, ut cuncti infantes maſculi trucidarentur. Quæ feritas tamen inhumana nec diu duravit, cum libera-

Yy

* EDMUNDUS DICKINSONUS *in Phyſ. Veteri & Vera cap. XIX. §. XVI, p. 425.*

** *Numer. XI. v. 18.*

liberationem proxime antecesserit, nec Israelitas, ingeniosorum Parentum filios, egregie educatos & institutos, in bardos, stipites, stolidos, truncos, imo brutos tam subito potuit commutare.

Nunc me converto ad illa diluenda dubia, quibus multi in mundi conditi, diluviique historia a Mose tradita, offenduntur, & eo ducuntur, ut credant, Mosem *vel ignarum fuisse* veræ totius universi originis & constructionis, quia illam, non sicut se revera habuit, sed quemadmodum ipsi visa, & populo accommodata fuit, exposuit: Vel, *si gnarus fuit*, impostorem egisse, dum aliter, atque fuit, mundi a DEo producti ortum descripsit; quod ATHEORUM est argumentum. THEORISTÆ vero incredibilem Judæorum stuporem obstitisse fingunt, quo minus veram & Philosophicam descriptionem Moses adornaret. Quam tamen opinionem falsissimam, & magis cavillationem, quam ratiocinationem, Viro sapiente dignam esse, antea probavi. Nonne plurima sacramenta, nonne res multo sublimiores Judæis propositas fuisse legimus? Nonne Sacerdotes habuerunt, & Vates rerum naturalium æque ac cœlestium gnaros, idoneosque Scripturæ interpretes? Israelitici ingenii defectus non obstitit Mosi, quo minus hujus universi structuram ad Geometriæ leges exigeret, exponeretque. Caussa ejus rei vera fuit, quod mundus nec philosophice conditus, nec caussis naturalibus, & materiæ motibus, quos *mechanismum* adpellant, sed omnipotente DEI verbo, ac sola ejus virtute neglectis naturæ legibus, productus fuit. Et quamvis evictum esset ab adversariis, in mundi formatione usitatas naturæ, motuumque leges viguisse; in Philosophia tamen naturali nondum sunt omnia ad eam evidentiam perducta, ut ad eam, tanquam ad Lydium lapidem, divinissimi Spiritus oracula possint, debeantve examinari. Turpiter labuntur, qui intelligentia sua pertenui Divinæ sapientiæ recessus pervestigare ac metiri audent.

Vestram obtestor fidem DEISTÆ, Vos Sapientum Præsides provoco, qui mentis acie omnes difficultates perquisivisse, & penetrasse videri vultis, vos adpello, explicetis, quæso, nonnulla Philosophiæ capita! Nonne docetis, quodvis corpus, quamvis sit minimum, tamen in innumeras partes infinities dividi posse? At vero dicite mihi, si Viri estis, *quomodo partes arenulæ numero æquent partes totius universi*? Hoc enim ex priori assertione sequitur. Generari hominem ex ovo, in quo ejus rudimenta efformata

mata latent, certum Vobis exploratumque eſt. Atvero, numne intelligitis, & definire poteſtis, quomodo totius generis humani ſtamina in EVA, omnium mortalium matre, latere potuerint? Reſpondebitis forte, *quod res, quæ ſemel vera eſt, & evidenter probata, veritatem ſuam retineat, licet conſequentiarum ſeries ad res inexplicabiles nos deducat?* Ego hanc reſponſionem grata amplector mente, & regero: quamvis tanta intelligendi & judicandi vis in nobis non ſit, ut omnes difficultates, in Scripturarum lectione obnatas, ſolvere queamus, propterea tamen ipſius Scripturæ, Divinitus traditæ, auctoritas atque fides, tot miraculis confirmata, tot gentium ſuffragiis pro Divina ac vera agnita, ſolicitari & in dubium vocari nequit.

Nec eſt, ut rerum conditarum *diviſione in cœlum & terram* offendamur. Nam Scriptura interdum ſenſuum experientiam, ſive ideas ſenſus maxime ferientes, ſequitur, & de corporibus cœleſtibus perinde ac terreſtribus non aliter loquitur, quam prout ſenſus illa nobis repræſentant, quia quidquid de corporibus ſcimus, per ſenſus nobis innoteſcit. Quas loquendi formulas artis periti *opticas* appellare ſolent, & a veritate *phyſica* diſtinguunt. Abſit igitur, ut Diviniorem Scripturam ad vulgi captum, id eſt, ad errorem ſeſe accommodare, ſive *erronee* loqui, dicamus, quemadmodum multi, ex R. CARTESII cumprimis ſchola, imperite & impie opinantur. Quid autem obſtat, quo minus aſſirmemus, & largiamur, Scripturam nonnullis in locis non *phyſice* ſed *optice* ſive ſecundum obſervationem ſenſuum, & ſicut ſenſibus res comprehenduntur, locutam eſſe? Nonne ipſimet Aſtronomi lunam ad hanc vel illam *Eclipticæ* partem referunt, in qua vere non eſt, ſed oculis noſtris apparet? Nonne *loco Optico* innituntur omnes Aſtronomorum tabulæ, quæ tamen non ſunt indices errorum, ſed obſervationum verarum? Ille demum errorem vulgi errat, qui locum *Opticum* pro *Phyſico* habet, quod SPIRITUS S. Scripturæ auctor, nusquam fecit, nec errorem vulgi reſpexit ſed noſtram ὄψιν. Accedit, quod S. literæ non Philoſophorum vel oblectandis, vel inſtruendis ingeniis, ſed animis hominum, ſalutis avidorum, inſtituendis, qui ſimplices magnam partem ſunt, & indocti, conſignatæ fuerunt. Ego profecto ingens bonitatis Divinæ argumentum in eo ſitum eſſe puto, quod non ſecundum *Phyſicam*, ſed *Opticam* veritatem, hujus univerſi conſtru-

ctio descripta fuit, ut videlicet ne offenderentur infirmiores, & Philosophiæ rudes, quorum tamen in gratiam, totam Scripturam S. confectam esse scimus, ut legant eam, & facile intelligant. *

Cum igitur DEUS ea maxime describi voluerit, quæ sensibus & usui nostro magis sunt obvia, mirari desinamus, AUDITORES, cur terræ imprimis formatio a Mose commemoretur, maximorum vero corporum cœlestium, obiter duntaxat, & quantum telluri nostræ inserviunt, mentio fiat? item cur Moses corpora cœlestia, velut appendices telluris nostræ descripserit? Nos nodos non secamus, nec mundi conditi origines, a Mose descriptas, ad unicum hujus terræ globulum coarctamus, quemadmodum eruditissimi quidam in Anglia Viri, THOMAS imprimis BURNETIUS, &, qui sententiam ejus magis declararunt, & ornarunt, WILHELMUS WHISTHONUS, RICHARDUS BENTLEIUS, WILH. NICHOLLSIUS, institutione CEL. IS. NEWTONI corporum dimetiendorum rationes edocti, difficultates ab atheis circa historiam Mosis motas, hypothesibus mechanismo naturæ harmonicis, solvere studentes, fecerunt. Quarum opinionum summam DETHLEVUS CLUVERUS peculiari Libro complexus est, & orbi erudito communicavit. ** Ex quo cognoscas, creationis historiam a summis istis Viris ultra terræ nostræ productionem non extendi, quam, confusum Cometæ Chaos antea existentem, DEUS sex dierum, qui tot annis pares sint, spatio, condiderit, & exornarit, ut habitari posset.

At vero quam vane hæc tradantur, me etiam nil monente, intelligitis. Nam si ex rudi illa, & indigesta mole, quam Veteres χάος appellarunt, lux, æther, stellæ, Sol, Luna, & reliqua corpora mundana producta sunt, quod Moses nos docet, quomodo per eam solus terræ nostræ globus intelligetur? Nonne illa ad totam hanc rerum Universitatem pertinent? Plurimis profecto testimoniis evincere possem, veteres Philosophos atque Poetas per *Chaos* suum nihil intellexisse aliud, quam confusam illam

* Hoc argumentum contra P. BÆLIUM, & alios RATIONALISTAS copiosius persequitur J. JAQUELOTUS *P. II. c. I. Libri: Conformité de la Foy avec la Raison.*

** DETHL. CLUVERUS Libro isti titulum fecit: *Geologia seu Philosophemata de genesi & structura globi terreni.* Prodiit Germanico idiomate Hamburgi M DCC.

illam totius Universi materiam, quæ systematis mundani seminium extitit. Quo pertinere videtur *ovum* illud mundanum, quod *Chaos* esse, & totius Universitatis substantiam includere, VARRO docet, dum ovi *testam* de cœlo, *albumen* de aere, *vitellum* de terra interpretatur. * Cum igitur veteres etiam Philosophi ex *Chao* cœlum factum, stellas ortas, terram productam, aeremque, voluerint, ac mundi materiam secundum immensæ molis magnitudinem delinearint, nefas esset, origines rerum a Mose traditas, ad unicum telluris nostræ globum, qui cum reliquis mundi, indefinite extensi, partibus comparatus, exigui puncti rationem vix habet, violenta interpretatione restringere & coarctare. MOSES enim, Scriptor vere Divinus, mundi conditi historiam ideo recensuit, ut non populo solum, cujus Dux erat, sed ut universo hominum generi veram genuinamque Summi DEI, Omnipotentis cœli & terræ Conditoris, ideam exhiberet, imprimeretque, ac eosdem doceret, hanc, quam cernimus, mundi fabricam, non a se, & ab æterno, eo, quo stat, ordine, stetisse, nec cœco quodam casu & impetu factam, nec fato, & inevitabili necessitate, sed infinita summi Numinis potentia, sapientia & bonitate, totam constitutam, formatamque esse.

Quibus discussis ad reliqua dubia haud difficulter respondetur. Nam quando antea matutini ac vespertini temporis, nec non dierum, mentio fit, quam Sol, luminis fons, & dierum auctor, ac reliqua luminaria cœli, condita leguntur, tantum temporis spatium indicatur, æquale illi, quod inter Solis ortum atque occasum, intercedere solet.

Nec alium in finem DEUS plus temporis *telluri*, quam Soli, ac reliquis astris condendis, impendit, nisi ut ostenderet, se bonitatis suæ contestandæ causa res terrestres in nostrum usum & commodum direxisse, ac tanta cum cura, temporisque mora habitaculum nostrum præparasse & exornasse, ut ejus singularem in nos amorem exinde intelligeremus. Recte præterea ad terricolarum utilitatem res a DEO conditæ referuntur, tametsi de singulorum corporum, cœlestium præsertim & inconspicuorum utilitate, quam præstent, nobis minus constat.

 Ultimo

* Conferatur Viri Cl. JO. ALB. FABRICII *Biblioth. Græcæ L. I. Cap. XIX. p. m. 123.* & JO. LOMEIERUS *de Lustrationibus Cap. XXI. p. m. 260. & 262.*

Ultimo tandem loco cum Athei negant, universum terræ globum imbribus per XL. dies de cœlo delapsis, submergi, & aquas maximorum montium cacumina, *quindecim* cubitis, superare potuisse, nil mihi, præter impudentiam profligatamque nequitiam prodere videntur. Ut non commemorem in præsens, diluvium, renuente quasi natura, ad perdendum impiorum genus, Divina potentia illatum, inductumque esse, & DEI verbum aquas, cessante diluvio, fugasse, * ut ne soliciti essemus de recessu tantæ aquarum molis, quo se subduxerint, aut, ubi nunc delitescant, ambigentes? Ablegabo irrisores istos ad præclaras idoneorum quorundam naturæ Consultorum meditationes, sigillatim TH. BURNETII, ROBERTI SANCTI CLARII, GUIL. NICHOLLSII, JO. PELLETERII, WOODWARDI, ac WISTHONI, qui omnes ex probatis receptisque Philosophiæ placitis probarunt, diluvium eo modo, quo Moses illud descripsit, fieri, ac universum terrarum orbem aquis submergi, destruique potuisse. Quamvis autem non negem, permulta tantorum Virorum opinationibus inesse, tum a Mosis verbis aliena, tum cum veritate minus consentanea: tamen labores eorum, non sine ingenti laude susceptos, tanquam ad confutandos Atheos non inutiles, merito commendamus. **

Hactenus demonstravimus, AUDITORES, quale fuerit Israelitarum, ex Ægypto egressorum, ingenium. Confutavimus Adversariorum argumenta, quibus armati, historiam Mosis oppugnant, ut vel ipsam Religionis ac Philosophiæ Mosaicæ auctoritatem convellant, vel Israelitas minimum, incredibilis hebetudinis & stuporis convincant, obtineantque, in eorum gratiam mundi origines tam impolite descriptas esse.

Reliquum est, ut prius etiam, quam hinc discedamus, MARSHAMI atque SPENCERI sententiam breviter, strictimque refutemus. Ille enim tantum non omnes Vet. Testamenti leges ex Ægyptiorum institutis repetit, easdemque secundum historiæ rationes interpretari mavult, quam ad Novi Test. tempora referre: Hic per omnia fere suffragatur, nisi quod MAIMONIDEM improvide secutus, non in Ægyptiis solis adquiescat, sed integram præterea gentilium colluviem, *Zabiorum* nomi-

* *Gen. VI. 17. Psalm. XXIX. 10. Psalm. CIV. 7. 8.*

** Videatur WILLIAM NICHOLLS *Conference with a Theist* P. II. p. m. 103. & p. 214.

nomine appellatam, ſibi fingat ſtatuatque, DEUM legem tradidiſſe, cujus plurima præcepta *Zabiorum* ritibus adverſarentur, ut populus in alienum cultum pronus, in eorum mores ne abiret. Opinioni ſuæ vix aliud ſubſternunt fundamentum, ut ſub initium orationis monui, niſi nimium Iſraelitarum ſtuporem. Hunc enim populum *e longa cum Ægyptiis conſuetudine in ventrem tantum pronum & abjectum fuiſſe, nec quidquam ſupra cæpe & allium Ægypti vere ſapuiſſe: Præterea ſtipulis & lateribus innutritum, non tantum a Religione ſed & humanitate pene deſciviſſe, & mores, tantum conditioni ſuæ ſervili convenientes, imbibiſſe*, opinantur. * At enim vero quam vane & impie diviniori populo hebetudo ingenii & inhumanitas objiciatur, antea oſtenſum demonſtratumque fuit. Porro quæ de *Zabiorum* nomine, origine, antiquitate, religione, & ſcriptis vulgo circumferuntur, & a Spencero ad confirmandam opinionem colliguntur, ea omnia dubia ſunt, & perincerta. Denique falſiſſimum eſt, DEUM ſuperſtitionum Ægyptiacarum *ineptias*, quibus ſtolidum Iſraelitarum ingenium ſervitutis tempore adſuetum fuerit, approbaſſe, & *paullulum emendatas* in ſacrorum album transſcripſiſſe atque hac occaſione in rerum arcaniorum figuras ordinaſſe. Nonne DEUS ſanctiſſimus populo ſuo ad vitæ ſanctimoniam, ex omnibus terræ gentibus electo, formatoque, rituum Ægyptiacorum ac profanorum quorumvis uſu, & imitatione ſeveriſſime interdixit? ** Ex TACITO, ex MANETHONE apud JOSEPHUM, e DIODORO SICULO apud PHOTIUM, aliisque patet, ipſos gentiles exprobraſſe Judæis, quod eorum leges omnium gentium ſtatutis contrariæ ſint, quod plurimis exemplis confirmarem, ſi SPENCERUS id non ſponte confeſſus eſſet. Neque, ſi rationes bene ſubducamus, tanta convenientia inter leges Moſaicas, profanosque gentium ritus, invenietur, quantam fuiſſe, Viri eruditiſſimi tradunt. Auctoritas HERODOTI, qui Ægyptios ſacrorum rituum auctores facit, SPENCERUM parum juvat, quia mille fere annis Moſe eſt junior. Et cum aliis in rebus perſæpe alucinatus ſit, quemadmodum dudum id animadverterunt doctiores, in ardua hac controverſia idoneum & ab omni dubitatione immune teſtimonium perhi-

* JO. SPENCERUS *l. c. L. I. cap. III. p. m. 46. it. L. I. cap. VIII. p. m. 245.*

** *Levit. XIIX. v. 3*

perhibere nequit. Multo minus recentiores Ægyptiorum mores adferri, & urgeri debebant, quippe quos a Judæis ipsi potius acceperunt Ægyptii, varieque, ut fieri solet, interpolarunt. Ne dicam, ab ipsis Indis ac Tartaris eadem facilitate repeti posse Judaicos ritus, quippe qui non parvam similitudinem cum moribus Indorum habere dicuntur, perinde ac cum moribus Tartarorum, & Americanorum. *

Intelligitis, AUDITORES, quod hæc noviter excogitata opinio, super obtuso, rudique Israelitarum ingenio exstructa æque falsa, impia & in DEUM injuria sit, ac ATHEORUM & THEORISTARUM sententia, qua vel Mosem ipsum ignorantiæ postulant, vel Israelitarum stuporem obstitisse putant, quo minus ea, qua mundus conditus fuit, ratione, origines ejus describerentur.

Postquam igitur pro instituti, viriumque mearum ratione ostendi, mundum nec *philosophice* ad motuum leges conditum, nec, si *mechanice* a DEO formatus esset, hebes & obtusum Israelitarum ingenium obstitisse, quo minus MOSES, Philosophiæ naturalis peritissimus, & Divino Spiritu afflatus, mundi conditi historiam, ad Philosophiæ rationes exactam, adornaret, finem dicendi facio, ne patientia VESTRA abuti videar, & in votis, pro patria & Academia fusis, adquiesco.

Servet DEUS SERENISSIMUM REGEM NOSTRUM, ELECTOREM SAXONIÆ. servet SERENISSIMUM REGIÆ JUVENTUTIS PRINCIPEM, MAGNIFICENTISSIMUM hujus Academiæ RECTOREM. Idem DEUS, literarum Stator ac Vindex Optimus, Maximusque almam hancce purioris Religionis, & elegantiorum literarum matrem, quæ me tam diu aluit, formavit, ornavit, servet, in eaque Docentes æque ac discentes contra quasvis hostium temporumque injurias fortiter tueatur. Servet afflictissimam nostram patriam, eidemque tot calamitatibus, tot miseriis, & bello tam fatali perfunctæ, tranquillitatem ac pristinam feliciatem reddat, ac omni periculi metu, terroribusque belli liberatam, tandem in tuto collocet, redditaque pace perpetuo ac constanter frui patiatur!

IN-

* Conferatur GUILIELMI NICHOLLSII *Collatio cum Theista P. II. p. m. 276. 277.*

INDEX I.

Dictorum S. Scripturæ, quæ in hoc Libro explicantur.

INDEX. I.

INDEX II.

Rerum & Verborum maxime memorabilium.

A.

Ægy-

Ἀπο-

C. *Calen-*

C.

E.

F.

Ha-

Jur-

K.

L.

מוסר

N.

Omnes

R.

S.

Sta-

V.

Virga



